
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 A
45





DIOGENIS LAERTII DE VITA ET MORIBVS

philosophorum libri x. recens opera Ioannis Boulieri ad fidem Græci codicis diligenter recogniti.

*

Cum Indice locupletissimo.






BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE


LVGDVNI,
Apud Antonium Vincentium,
M. D. LVI.

FR. AMBROSII IN DIOGENIS LAERTII OPUS *ad Cosmam Medicem epistola.*

*



OLVENTI mihi quædã Græca uolumina, venit ad manus Laërtij Diogenis de philosophis prolixum opus. Id etsi autori plus in legendo studij quàm in scribendo diligentiæ fuisse ex ipsa lectione deprehẽderem, quia tamen varia erat historia, & plurima cognitu necessaria continere videbatur, Latinũ facere, amicis maximè id fieri orãtibus statui. Quanquam enim sacris transferendis iampridem studium omne tempusq; deuoueram, atque id religionis instituto magis consentaneum, ad hoc tamẽ veluti curriculo modicè deflectere, vt studiosis morẽ gererem, haudquaquã reprehensibile existimaui: imò hoc ipso labore meo fore, vt Christianæ pietatis & gratiæ dignitas magis patesceret, ac per id fides in



deum promptior ac ardentior ſurgeret, ratio veriſsima ſuadebat. Quando enim inter illos qui ſapientiæ ſecularis fuere principes tanta de deo, rebusq; & diuinis & humanis opinionum concertatio eſt, vt ſe inuicem deſtruant, neque vbi conſiſtas reperire poſsis, maiore profectò alacritate animus diuinæ dignitatis amplectitur gratiam, atque ad fontem veritatis accurrens veteris ſqualorem miſeratur erroris. Etſi enim apud illos ſparſim probabilia quædam & veritati conſona inuenire eſt, mens tamen tanta opinionū varietate fatigata libentius & gratius intra cubicula veritatis ſe recipit, & diuinis libris ac literis hauriendis maiori deinceps deſiderio inhiat, & ipſa tamen quæ apud nobiliores quoſque philoſophos de deo, de cœlo, corporibusq; cœleſtibus, de natura rerū ſubtiliter ac verè diſputata ſunt, ueritati Chriſtianæ maximè aſtipulantur. Merebatur enim profectò tam egregia indagādæ veritatis intentio, opera illa tam acris, adeò celebre ſtudium, ſudoris ſui fructu non vſquequaque deſtitui, deo id permittente vt illorum quoq; teſtimonio fides vera firmamentum ac robur acciperet. Multa in his & dicta grauiter & facta conſtanter inuenias,

uenias, vt non modo ex illorum libris fidem inuiolabilis veritas capiat, verum exemplis quoq; religioni nostræ incitamentum virtutis accedat. Quàm fœdum enim, quanq; plenum dedecoris est, si Christianum hominem, & de deo suo pendẽtem, & cui æternæ vitæ spes certa sit, virtuti & continentiæ dare operam pigeat cùm gentiles viros, & à veri cultu dei ac religione longe alienos probitati, modestiæ, frugalitati, cæterisq; id genus animi humani ornamentis impensius studuisse comperit: pleraq; exempla huiusce pene dixerim euangelicæ perfectioni proxima sunt, vt pudendum vehementer & erubescendum sit, si id minus exhibeat Christi quàm mũdi philosophus, plusq; in gentili pectore possit amor gloriæ inanis, quàm in animo Christiano religiosæ pietatis affectus. His atque huiusmodi rationibus facilè mihi persuasum est, vt hoc traducendi munus non modò vt inutile non aspernarer, seu vt noxium fugerem, sed contrà penitus, vt commodum ac necessarium cõstanter aggrederer. Nempe si quẽ forte plus æquo eiusce hominũ admiratio rapiat, earumq; gesta nostratis philosophiæ præferre seu conferre & exemplis velit id quod solum

ferme timemus, is leuiter admonendus erit, ſolidam potius virtutem, quàm adumbratam virtutis imaginem admiretur, & ei ipſi quos ſtupet quàm miſerabili interdum lapſu corruerint ex ipſa lectione docebitur. Tibi itaq; Coſma vir humaniſsime, & Chriſtianæ nobilitatis decus, hoc opus dedicatum fuit, qui & autoritate tua in primis nos ad illud impuliſti, & gentilis ac noſtræ philoſophiæ peritiſsimus, quanta ſit vtriuſque differentia, & dignoſcere facilè & diiudicare nouiſti. Neque id modo, veram & de labore noſtro ipſe iudicabis. Eo enim libentius de ingeniolo noſtro ferendam tibi ſententiam permitto, quo maturitati grauitatiq; iudicij coniuncta beneuolentia ſingularis errata noſtra faciliore donabit venia, verecundiæque conſulet noſtræ, quæ ſeueriorem cenſuram reformidans, eundem & cenſorem & patronum habere cupit. Sanè quoniã verſus plurimos & diuerſos, tum alienos, tum ſuos autor interſerit, quod abhorrere videtur à grauitate hiſtoriæ, illos traducere conſultò omiſi, ita tamen vt nihil deeſſe ex ſenſu neceſſario ſim paſſus. Simul & rauca vox prolixam concionem, ad quam nequaquam ſuffeciſſet, declinauit, ne riſum

ſum moueret audientibus. Plura quidem inſerta ſunt parum pudicè, tum dicta, tum facta, & quæ pudorem exagitent, non omitti & lex interpretandi, & verè ſuaſit ratio. Sed ſatis iſta ſuperius. Tu ſi qua ſuperflua exiſtimaueris, iure tuo reſecabis.

Vale.

CATALAGVS PHILOSOPHORVM QVORVM VITA A LAERTIO

describitur, eo quem ipse in scribendo seruauit ordine.

*

LIBER I.

LIBER II.

Aesch

LIBER IX.

LIBER X.

NVNC

NVNC *sequētē locū, qui est in uita Platonis, pag. 191. uer. 4. post hæc uerba, Atqui Epicharmus de sensibilibus atq; intelligibilibus in hanc sentētiā expreßè loquitur: omiserat intactū interpres non ob aliud opinor, quàm quòd egregiè esset deprauatus, aut certè ita intricatus ut inde se explicare posse desperaret. Nos quod habebat exēplar ad uerbū appendimus ne lectorē suspēderet hiatus, & aliquid deesse meritò causaret.*


Ἀλλ' ἀεί τοι θεοὶ παρῆσαν καὶ ὑπέλιπον οὐπώποκα, τάδ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια; διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί, ἀλλὰ λέγεται μὰν πρᾶτον χάος γενέσθαι τῶν θεῶν, πῶς δὲ κ' ἀμήχανόν ἀπό τινος μηδὲν ὅτι πρᾶτον μέλλοι; οὐκ ἄρ' ἔμελλε πρᾶτον οὐδὲν, οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον δ' ὧν ἄμμες νῦν ὧδε λέγομ μέλλεις τάδ' εἶναι πότ' ἀριθμόν γε περισσὸν οὐδὲ λῆς τὸν ἄρτιον. ποτὲ θέμεν. λῆς ψᾶφον ἢ καὶ τὰν ὑπάρχουσαν λαβεῖν, ἢ δοκεῖ α τοι καὶ ὁ αὐτὸς εἰμέν. οὐκ ἐμὶν τάχα, οὐδὲ μὰν, οὐδ' ποτὶ μέτρον παχὺ ἐὸν ποτεθέμεν. λῆτις ἕτερον στὀρρὸν μᾶκος, ἢ τοῦ πρόσθ' ἐόντος ἀποταμεῖν ἔτι κ' ὑπάρχοι ἐκεῖνο τὸ μέτρον, οὐ γὰρ ὧδε νῦν ὁρῆ, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ'. ὁ δὲ γα μὰν φθίνει. ἐν μεταλλαγᾶ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον. ὁ δὲ μεταλλάσει. κατὰ φύσιν καὶ οὔποκ' ἐν ταυτὸ μένει, ἀλλ' ἕτερον εἴη, κατὰ δὴ αὐτὸ παρεξεστακότος, καὶ τὺ δὴ κἀγὼ χθὲς ἄλλοι, καὶ νῦν ἄλλοι τελέθομες, καὖθις ἄλλοι, κ' οὔπωχ' αὐτοὶ κατὰ τὸν λόγον.

DIOGENIS LAERTII DE VITA ET SENTENTIIS EORUM, QUI IN PHILOSOPHIA CLARUERUNT,

TA ET SENTEN-

tijs eorum, qui in philo- sophia clarue- runt,

LIBER I.



HILOSOPHIAM à Barbaris initia sumpsisse, plerique autumant. Nam Persis magos, Babiloniis & asiriis Chaldæos, Indis Gymnosophistas. Celtis seu Gallis Druidas, & qui Semnothei appellabantur, eius rei fuisse autores, ait Aristoteles in Magico, & Sotion in decimotertio successionis libro. Phænicem præterea ochum, & Samolxim Thracem, & Atlantem Lybicum, ad hæc Nili Aægyptij filium fuisse Vulcanum, qui Philosophiæ aperuit principia.

σεμνόθεοι à deorũ cultu, & religione vates illi appellati sunt.

Porrò ipsius rei antistites sacerdotes ac prophetas appellari solitos. Ab hoc autem ad Alexandrum Macedonum regem fluxisse annos quadragesies octies mille

octin

octingentos sexaginta tres. Quo toto tempore solis defectus apparuisse trecentos septuaginta tres, lunæ autem octingentos triginta duos. Enimuero à Magis, quorum principem fuisse Zoroastrem Persen memoriæ proditum est, Hermodorus Platonicus in libr. de Disciplinis, vsque ad excidium Troiæ annos quinquies mille computat. Xanthus verò Lydius à Zoroastre vsque ad Xerris trãsitum, sexcentos enumerat. Pòst autem magos plurimos sibi inuicem successisse, Hostbanas, Astrapsycos, Cobrias ac Pazatas, donec ab Alexandro euersum est Persarum regnũ. Sed hi profectò per imprudentiam Græcorum rectè facta inuentáque, Barbaris applicant. Ab iis enim non solùm philosophia, verum ipsum quoque hominum genus initio manauit. Nam Musæo Athenæ, thebæ Lino inclitæ sunt.

Plinius non Hermodorũ, sed Hermippum citat autorem.

Horum alterum Eumolpi filium asserunt primum deorum generationem tradidisse, sperámque inuenisse, & ex vno fieri atque in idem resolui omnia, dixisse.

Hunc Phaleris obiisse diem, ibíque sepultum esse, inscriptúmque ipsius tumulo hoc epigramma:

Εὐμό

Εὐμόλπου φίλον υἱόν ἔχει τὸ φαληρικὸν οὖδας, φίληρον,
Μουσαῖον φθίμενον σῶμ' ἐπὶ τῷ δὲ τάφῳ.
hoc eſt,

Eumolpi exanimem Muſæum terra Phalera.

Claudit in hoc tumulo, pignora chara patris.

et τὰ φύληρα, naũale Atheniensiũ.

Porrò Muſæi pater, Eumolpidis apud Athenienſes cognomen dedit. Linum verò Mercurio Muſáq; Vrania genitum affirmant, ſcripſiſſe autem mundi generationem. Solis item & Lunæ curſus, animalium & fructuũ generationes. Hoc autem operi ſuo fecit initium:

Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει. hoc eſt,

Tempus erat quo cuncta ſimul ſunt cõdita quondam.

Quem ſecutus Anaxagoras, & ipſe ſimul facta omnia aſſeruit, eáq; mẽte accedente compoſita. Linum autem in Euboea occubuiſſe ſagitta ab Apolline percuſſum, in quem hoc extat epitaphium:

Ὧδε Λίνον θηβαῖον ἐδέξατο γαῖα θανόντα,
Μούσης οὐρανίης υἱὸν εὐστέφανον. hoc eſt,

Candida purpureis redimitum tempora ſertis

Thebanũ Vraniæ cõtinet vrna Linũ.

Alij ab Hercule præcepto re cæſum arbitrantur.

Itaq;

Itaque philoſophia non à Barbaris, ſed à Græcis initium habuit, cuius & ipſum nomen Barbaram omnino abhorret appellationem. Qui autem illius inuentionem Barbaris aſsignant, Orpheum quoq; Thracem in medium adducunt philoſophum fuiſſe, & quidem antiquiſsimum. Equidem is qui de diis talia commentus eſt, an philoſophus appellandus ſit neſcio. Videant certè, qui ita volunt, quo ſit cenſendus nomine, qui diis vitia quæ raro à turpibus quibúſque, & flagitioſis hominibus geruntur, adſcribit. Hunc autem à mulieribus diſcerptum periiſſe fama eſt. Cæterùm ex eo epigrammate quod in Dio Macedoniæ inſculptum eſt, fulmine interiiſſe cognoſcitur, vbi & ſepultus à Muſis aſſeritur.

Θρῄικα χρυσολύρην τῇδ' ὀρφέα μοῦσαι ἔθαψαν

ὃν κτάνεν ὑψιμέδων ζεὺς ψολόεντι βέλει.

hoc eſt,

Orphea candenti traiectum fulmine Thracem,

Cũ aurata Aonides hic poſuere lyra.

Exponunt etiam mores & inſtituta ſingulorum, qui Barbaros aiunt Philoſophiæ principes fuiſſe. Gymnoſophiſtas ac Druidas

das obſcurè ac per ſententias philoſophari, colendos deos, nihil mali faciendum, & exercendam fortitudinem. Priores illos mortis quoque eſſe contemptores. Clitarchus aſſerit in duodecimo libro. Chaldæos circa Aſtronomiæ rationes prædictionesq; occupari. Magos deorum vacare cultui, & preces illis, ac vota, & ſacrificia, quaſi ſoli ab iis exaudiantur, offerre, de deorum ſubſtãtia & generatione diſſerere. quos itẽ ignem, terram, & aquam eſſe arbitrentur. ſigna ſtatuáſque reprehendere, & eorum in primis qui mares eſſe deos ac fœminas dicunt, errores improbare. De iuſtitia verba facere, iniquumque arbitrari, atque impium igni ſepelire. Iuſtum matri ac filiæ miſceri, vt in vigeſimotertio libro ait Sotion. Diuinationem præterea prædictionemque exercere, ſibi deos apparere aſſerentes, plenum eſſe * dæmonibus aëra, qui tenuiter, ac veluti ex euapo ratione cernentium oculis influant, exteriorem cultum, & auri vſum interdicere. His autem veſtis cãdida, lectus humus, eſca olus, caſeus panisq; cibarius eſt. Arundine pro baculo vtũtur, cuius in ſummitate pręfixum caſeum ori applicantes mandunt. Magicæ illos diuinationis ignaros Ariſto-

* *aliàs, εἰδώλοις. ſimulacris ſeu imaginibus.*

teles ait in libro quem inſcripſit, Magicum, & Dinon in quinto hiſtoriarum libro, qui Zoroaſtrem quoque ex interpretatione nominis ſui, aſtrorum aſſerit fuiſſe cultorem. Hoc ipſum & Hermodorus tradit. Aegyptiis verò antiquiores eſſe magos Ariſtoteles autor eſt, in primo de philoſophia libro, duóque iuxta illos eſſe principia, bonum dæmonem, & malum. Alterum ex his Iouem & Horomaſdem, alterum Plutonem & Arimanium dici, quod Hermippus quoque in primo de Magis ait, atque Eudoxus in periodo, & Theopompus octauo Philippicorum libro. Qui & reuicturos homines, iuxta Magorum ſententiam dicit, immortaléſque futuros, & vniuerſa illorum precationibus conſiſtere. Iſta Eudemus quoq; Rhodius tradit. Porrò Hecatæus deos quoque ex eorum ſententia eſſe genitos ait. Clearchus verò Solenſis, in libro de diſciplina, Gymnoſophiſtas à Magis fluxiſſe aſſeuerat: plerique & Iudæos ab his duxiſſe originem tradunt. Herodotum præterea in ius vocant, mendaciiſque arguunt, qui Magorum hiſtoriam ſcripſere. Neque enim iaculà in ſolem torſiſſe Xerxem, vt ille ait, nec compedes mari immiſiſſe,
quòd

quòd hi à Magis dij sunt traditi. Signa tamen, & statuas ex disciplinæ instituto è medio sustulisse. Aegyptiorum autem huiusmodi philosophiam de diis ac iustitia, dixere. Materiam principium fuisse rerum, ex ea deinceps quatuor elementa discreta, perfectásque complures animantes. Solem ac Lunam deos esse, alterúmque Osirim, alteram Isim appellatos. Exprimere illos per scarabeum & draconem, accipitrem, aliásque animalia, Manetus autor est in naturalium epitome, & Hecatæus in primo de Aegyptiorum philosophia libro. Statuas prætérea & phana à se fabricari, quòd ignorent effigiē dei. Mundum genitum, mortalémque, & ad sphæræ similitudinem rotundum. Stellas ignem esse, quarum temperata commixtione cuncta super terram nascantur. Lunam deficere cùm in terræ incidit vmbram. Animam & perdurare, & subinde migrare. Pluuias ex aëris conuersionibus fieri. Ista & huiusmodi illos de rerū natura disserere, Hecatæus & Aristagoras tradunt. De iustitia quoque leges constituerunt, quas ad Mercurium referunt. Vtiles quásque & vsui hominum accommodatas animantes, diuino honore prosecuti sunt. Asserunt &

ipſi Geometriam, Aſtrologiam,& Arithmeticam, ſe primos inueniſſe. De inuentione autem hactenus. Philoſophiam verò Pythagoras primus appellauit, ſeque philoſophum, cum Sicyone cōueniret Leontem Sicyoniorum tyrannum, ſiue Philiaſiorum, vt ait Heraclides Ponticus in libro quē inſcripſit, περὶ τῆς ἄπνου. Nullum enim hominum, ſed ſolum deum eſſe ſapientem. Anteà enim σοφία, hoc eſt ſapientia dicta, quæ nunc philoſophia dicitur. & qui hanc profitebantur, σοφοὶ, hoc eſt, ſapientes appellati. Quicunque ad ſummam animi virtutem excreuerunt, hos nunc honeſtiore vocabulo, autore Pythagora Philoſophos, hoc eſt, ſapientiæ ſtudioſos appellamus. Ipſi tamen ſapientes ſophiſtæ etiam ſunt dicti. Neque hi ſolum, verum poëtæ quoque ſophiſtarum appellatione honorantur. Nam Cratinus in Archilocho, Homerum & Heſiodum admiratus, ita illos vocat. Sapientes autem habiti ſunt, Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, Pittacus. His annumerant pleriq; Anacharſim Scytham, Myſonem Cheneum, Pherecydem Syrum, Epimenidemq; Cretenſem. Addunt alij Piſiſtratum tyrannū. & hi quidem ſapientes dicti. Enimuerò

De Apno vide lib. 8. in vita Empedoclis.

philo-

philoſophiæ duo fuere principia, vnum quod ab Anaximandro, alterum quod à Pythagora fluxit. Anaximādri Thales præceptor fuit, Pythagoræ verò Pherecydes. Appellatúmque eſt id philoſophiæ genus Ionicum, quòd Thales ex Ionia fuerit. Mileſius enim cùm eſſet, Anaximandrum inſtituit. Hoc autem Italicum, quòd illius autor Pythagoras in Italia vt plurimum philoſophatus ſit. Deſinit autem Ionica in Clitomachum, Chryſippum, & Theophraſtum, Italica in Epicurum. Quippe Thaleti ſucceſsit Anaximander, Anaximandro Anaximenes, Anaximeni Anaxagoras, Anaxagoræ Archelaus, ei verò Socrates, qui primus ethicen inuenit. Huic verò cum Socratici reliqui, tum in primis Plato qui veterem Academiā inſtituit, Platoni Speuſippus & Xenocrates, ei polemon, Polemoni Crantor & Crates, cui Arceſilaus, qui mediam inuexit Academiam. Ei Lacydes, qui nouam Academiam inuenit. Lacydi Carneades, eíque Clitomachus, atque in hunc modum in Clitomachum deſiit. Sic autem in Chryſippum: Socrati ſucceſsit Antiſthenes, Antiſtheni Diogenes Cynicus, ei verò Crates Thebanus, Crati Zeno Citticus, Zenoni Cleanthes, cui

Chryſippus,in Theophraſtum verò ſic deſiit: Platoni ſuccedit Ariſtoteles, Ariſtoteli verò Theophraſtus. & hunc quidem in modum Ionica philoſophia deſiit.

Porrò Italicæ hæc ſeries fuit : Pherecydi Pythagoras, Pythagoræ Telauges filius ſucceſsit,ei Zenophanes, cui Parmenides, huic Zeno Eleates, Leucippus Zenoni, Democritus Leucippo, Democrito complures, ſed inter reliquos Nauſiphanes, Naucidéſque celebrantur. Eis verò ſuo ordine ſucceſsit Epicurus. Philoſophi autem generaliter in duo genera diſtribuuntur: Quidam ex his dogmatici ſunt dicti, qui de rebus veluti comprehendi poſsint diſſerunt.

Alij ἐφεκτικοὶ, qui nihil definiunt, & de rebus ita diſputant, vt comprehendi non poſsint. Ex his plerique ingenij ſui monumenta reliquerunt, alij nihil penitus ſcripſere. His, vt quidam volunt,Socrates annumeratur, Stilpon, item Philippus,Menedemus,Pyrrho,Theodorus,Carneades, Bryſo, Pythagoras, etiam ſecundum quoſdam, Ariſto Chius,præter paucas epiſtolas. Alij ſunt qui ſingula tantum opuſcula ſcripſerunt,Meliſſus,Parmenides & Anaxagoras.Multa ſcripſit Zeno,

plura Xenophanes , plura Democritus, plura Aristoteles,plura Epicurus,sedChrysippus plurima. Philosophorum alij à ciuitatibus sunt appellati, vt Elienses, Megarenses, Eretici, & Cyrenaici. Quidam à locis, vt Academici, Stoici. Ab euentu nonnulli, vt Peripatetici. Nonnulli ab ignominia, vt Cynici. Alij ab effectu, vt Eudæmonici. Quidam à facto, vt qui se φιλαλήθεις, hoc est, veritatis studiosos, & ἐλεγκτικοὺς, & ἀναλογητικοὺς vocāt. Sunt item qui à præceptoribus sunt dicti, vt Socratici, & Epicurei. Atque alij, quòd de natura rerum scripsere, Physici. Alij, quia circa mores potius se occuparunt, Ethici. Cæteri à differendo διαλεκτικοὶ vocati sunt, hi nimirum qui verborū, ac rationum acumine pugnant. Diuiditur autem philosophia in partes tres, Physicam, Ethicam, & Dialecticam. Physicæ proprium est de mundo, & de his quæ sunt in eo, differere. Ethicæ verò, de vita moribusq; tractare.

Porrò dialecticæ ambarum partium afferre rationes. Sola vsque ad Archelaum physica viguit. à Socrate verò, vt prædictum est, Ethica initium sumpsit, & à Zenone Eleate Dialectica. Ethicæ verò pars in sectas decem scinditur, Academiam,

Cyrenaicam, Eliacam, Megaricam, Cynicam, Eretricam, Dialecticam, Peripateticam, Stoicam, & Epicuream. Veteris Academiæ princeps fuit Plato: mediæ Arcesilaus, nouæ Lacydes, Cyrenaicæ Aristippus Cyrenæus; Eliacæ Phædon Eliensis, Megaricæ Euclides Megarensis, Cynicæ Antisthenes Atheniensis, Eretricæ Menedemus Eretriensis, Dialecticæ Clitomachus Chalcedonius, Peripateticæ Aristoteles Stagyrites, Stoicæ Zeno Citticus. Porrò Epicurea ab autore ipso appellata est.

Cæterùm Hippobotus in lib. de sectis, nouem ait fuisse sectas atque instituta. Ex his Megaricam primo loco constituit, secundo Eretricam, tertio Cyrenaicã, quarto Epicuream, quinto Anniceriam, sexto Theodoriam, septimo Zenoniam, eandemq; Stoicam, octauo Academicam veterem, nono Peripateticam. Cynicæ autem, & Eliacæ atque Dialecticæ nullam mentionem facit. Ea verò quæ Pyrrhonia dicitur, propter obscuritatem à plurimis repudiatur. Hanc ipsam tamen plerique ex parte sectam esse dicunt, ex parte negant. Eam denique sectam dici aiunt, quæ rationem aliquam iuxta id quod apparet, & in promptu est sequitur, aut sequi videtur.

tur. Iuxta quod & σκεπτικὴν non incongruè sectam appellabimus. Verum si sectam intelligimus appellationem ex his dogmatibus constantē, quæ sibi ipsis consentiant, non iam appellabitur secta, neq; enim dogmata, siue decreta habet. Ista de philosophiæ initiis, auctibus, partibus, ac sectis, paucis diximus. Quanquam haud ita pridem ἐκλεκτικὴ quædam secta à Potamone Alexādrino inuenta est, qui de singulis sectis quæ sibi placuere selegit. Visum autem illi est, vt in institutione sua fatetur, multiplex esse veritatis examen. Vnum à quo iudicium fiat, hoc est principale, alterū per quod, id est, *solertissimam* intimamq; imaginem. Initiaq; rerum omnium materiam & qualitatem, effectionem, ac locum ex quo, & à quo, & vbi, & in quo. Finem verò ad quem cuncta referantur. Vitam ait esse omni virtute perfectam non absque corporis naturalibus, externisq; bonis. Sed iam de viris ipsis cuiusmodi fuerint dicendum, ac primùm de Thalete.

THALES MILESIVS.

Thales itaque, vt Herodotus, Duris, ac Democritus aiunt, patre Examio,

matre Cleobulina, ex Thelidarum familia, qui Phœnicum nobilissimi, à Cadmo & Agenore originē ducunt, Platone quoque teste, natus, primusq; sapiens vocatus est, quo tempore Damasius Athenis princeps erat, sub quo septem quoq; sapientes appellati sunt, vt scribit Demetrius Phalereus in descriptione principum. Mileti autem ciuis adscriptus est; profectus cum Neleo ex Phœnice, cùm patrio solo excidisset, seu vt aliis visum est, indigena Milesius, & claro genere natus. Post reipub. negotia sese ad contemplandam rerum naturam transtulit. Sane iuxta quosdam nullum ingenij sui monumentum reliquit. Nam quæ in eum refertur nautica astrologia, Phoci Samij esse perhibetur.

Callimachus inuentorem fuisse minoris vrsæ, ac notasse illius stellas tradit, qua Phœnices nauigant, cuius versus sunt hi:

Καὶ τ̃ ἁμάξης ἐλέγετο σταθμήσασθαι
Τὺς ἀστερίσκους ᾗ πλέουσι φοίνικες: hoc est,
Plaustri notasse dictus est minusculas
Stellas, per quis nauigant Phœnices.

Secundum quosdam duo sola conscripsit, de conuersione & æquinoctio, cætera facilia esse ad percipiendum arbitratus.

Putant pleriq; primum astrologiæ secreta

creta rimatum, solis defectus conuersionésque prædixisse, vt ait Eudemus in ea quã de Astrologia scripsit historia. Quocirca Xenophanem, & Herodotum illum maximè fuisse miratos. Idipsum autem Heraclitus Democritusq; testantur. Sunt qui illum immortales animos primũ dixisse asseuerent, ex quibus est Chœrilus poëta. Primus & solis cursum à conuersione in conuersionem reperit. Solísque magnitudini lunarem orbem comparatum, septingentisimã & vicesimam illius partem esse, primus, vt quibusdam placet dixit. Primus etiam mensis vltimam τριακάδα hoc est, trigesimam vocauit. De natura quoque primus ipse disseruit. Inanimatis etiam illum animas inesse putasse Aristoteles, & Hippias autores sunt, conijcientem id ex magnete lapide, & succino. Ab Aegyptiis verò præcepta geometriæ eruditum, primum descripsisse circuli triãgulum rectis lateribus, & immolasse bouem, refert Pamphila. alij Pythagoram dicunt, vt Apollodorus supputator. Porrò quæ Callimachus ait, Euphorbum Phrygem inuenisse σκαληνὰ, & trigona, quæq; ad lineæ speculationem pertinent, ea iste auxit atq; propagauit. Con-

Τριακάδα quã Attici ἕνην καὶ νέαν vocãt quod in eã desinat & rursum nascatur mensis.

ſtat illum & reipublic.commodis optimè conſuluiſſe.Nā cùm ſocios Mileſios Crœſus habere oraret, obſtitit ille, eáque res poſtea Cyro victoria potito.ſalus ciuitatis fuit. Solitariam eum ac priuatam vitam adamaſſe tradit Heraclides. Quidam vxorem duxiſſe, filiumq; Cibiſtum procreaſſe,alij cælibem perſeueraſſe, ſororisq; filium ſibi adoptaſſe ferunt. Et cùm rogaretur, cur liberis non daret operam,quòd filiorum amore nō teneretur, reſpondiſſe. Vrgenti matri, vt ſe matrimonij vinculis aſtringeret, adhuc intempeſtiuū eſſe dixit. Ingraueſcente iam ætate cùm ſibi acrius inſiſteret,iam,inquit, intempeſtiuū eſt. Scribit autem Hieronymus Rhodius in ſecundo commentariorum,cùm vellet oſtendere quàm ſit facile ditari,prçcognita futura vbertate, conduxiſſe olearia,pecuniasq; innumeras ſibi cōparaſſe. Principium omnium aquam eſſe dixit,& animatum mundum ac dæmonibus plenum. Anni tempora, illorúmque viciſsitudines primum inueniſſe ferunt,eúmque in trecentos ſexaginta quinque dies diuiſiſſe. Nullo præceptore vſus eſt, niſi quòd Aegyptiis ſacerdotibus, eò præfectus, familiariter adhæſit. Porrò Hieronymus mē-
ſum

ſum eſſe pyramides, vmbram obſeruando, memoriæ tradidit, quando nobis æqua magnitudine ſunt. Traſybulo quoq; Mileſiorum tyranno, vt ait Mynies, conuixit. Quæ verò de tripode à piſcatoribus inuēto, ſapientibusq; à plebe Mileſiorum dedicato, memorātur, manifeſta ſunt. Aiunt enim Ionicos adoleſcentes quoſdam à piſcatoribus Mileſiis iactum retis emiſſe: capto deinde & educto tripode, orta cōtentio, non antè ſedata eſt, quàm Delphos à Mileſiis miſſum, reſponſumq; à deo eſt:

Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος περὶ Φοῖβον ἐρωτᾷς
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτου τρίποδ' αὐδῶ. hoc eſt,

De tripode ex Phœbo quæris Mileſia proles,
Huic tripodem addico cui ſit ſapientia prima.

Datur ergo Thaleti, Thaleſq; illum alij dat, & rurſus alius alij, donec ad Solonem ventum eſt. Qui deum primū eſſe ſapientiam aſſerens, illum Delphos miſit. Iſta Callimachus in iambis aliter tradit accepta à Leandro Mileſio. Bathyclem enim quempiam Arcadem phialam reliquiſſe, atque iuſsiſſe dari ſapientiſsimo, datamq; Thaleti, ac per orbem rurſum Thaleti,

quam ille Apollini Didymæo, misit sic dicens secundum Callimachum:

Θαλῆς με τῷ μεδοῦντι Νειλέῳ δήμου.
Δίδωσι τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον. hoc est,
Plebem regenti me Thales Nileo dat,
Clarum bis hoc qui iam assecutus est
donum.

Pedestris autem oratio sic se habet. Thales Examij filius Milesius, Apollini Delphinio, Græcorum præmium bis nactus. Qui autem circuntulerat phialam Bathyclis filius, Thyrion vocabatur, vt Eleusis ait in libro de Achille, & Alexo Mindus in nono fabulosorũ. Eudoxus autem Cnidius Euantesq; Milesius aiunt Crœsi amicum quendam aureũ poculum à rege accepisse, vt illud sapientissimo Græcorum daret, ipsumq; Thaleti dedisse, peruenisseq; ad Chilonem. Ei verò cùm à Pythio quæreret, quisnam esset se sapientior, responsum esse Mysonem, de quo suo loco dicemus. Hunc Eudoxus pro Cleobulo, Plato per Periandro ponit. De ipso hæc respondit Apollo:

Chena vrbs Laconiæ, vnde oriundus erat Myso.

Οἰταῖόν τινά φημι Μύσων' ἐν Χηνὶ γενέσθαι
Σοῦ μᾶλλον πραπίδεσσιν ἀρηρότα πευκαλίμῃσιν. hoc est,
Oetæum quendam prognatum Chene
Myson

Myſonem,

Te magis eſſe aio rebus ſublimibus aptum.

Qui Autem rogauerat, Anacharſis fuit. Dædacus Platonicus, & Clearchus phialam à Crœſo ad Pittacum miſſam, atq; ita in orbem circumlatam ferunt. Andro verò in tripode, Argiuos ait virtutis præmiũ ſapientiſsimo Græcorum tripoda conſtituiſſe; eumq; Ariſtodemum Spartanum fuiſſe iudicatum, qui item cõceſſerit Chiloni. Meminit Ariſtodemi Alcæus quoque, illi adſcribens dictũ illud apud Spartiatas celebre:

Χρήματ' ἀνήρ, πενιχρὸς δ' οὐδεὶς πέλετ' ἐσθλός. hoc eſt,

Pauper nemo probus, quantiuis diues habetur.

Pleriq; à Periandro ad Thraſybulum Mileſiorum tyrannum onuſtam nauem miſſam referunt. Ea verò cùm circa Coum mare naufragium feciſſet, inuentum pòſt à piſcatoribus tripodem, qui ea vehebatur. Phanodicus verò circa mare Atticum repertum, atq; in vrbem delatum ſcribit, factáque contentione ex decreto publico Bianti miſſum: Cauſam ſub loco dicemus, cùm de Biante dicendum erit. Alij à Vul-

cano fabrefactum tradunt, ac pro munere Pelopi à deo datum, cùm ille vxorem duceret, demum ad Menelaum peruenisse, raptumq; cum Helena ab Alexandro in Coum mare fuisse coniectum, Lacæna rixarum causam fore asserente. Postea cùm quidam illic Lebedij retis iactum mercati essent, tripoda quoque fuisse comprehensum, & cùm exorto cum piscatoribus iurgio Coum ascendissent, nihilq; proficerent, Miletum, quæ erat metropolis, eam rem detulerũt. Missi à Miletiis legati qui eam rem componerent, infecto negotio, reuersi sunt. Milesij vt se contemptos viderunt, aduersus Coos armis decernere parant, plurimisq; hinc inde cadentibus, diuino oraculo responsum est, sapientissimo dandum tripoda. Mox in Thaletem vtræq; partes consensere. Hunc ille postea Didymæo deuouit Apollini. Cois itaque responsum,

Miletus Ionũ metropolis.

Meropes Coi, à Merope Tripodæ filio, et Meropis insula, quæ postea Cos appellata est.

Μὴ πρότερον λύξειν νεῖκος μερόπων καὶ ἰώνων
Πρὶν τρίποδα χρύσεον ὃν Ἥφαιστος βάλε πόντῳ
Ἐκ πόλιος πέμψητε καὶ ἐς δόμον ἀνδρὸς ἵκηται
Ὃσδε ἰλάκε τά τ' ὄντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

hoc est,

Non prius Ionij Metropesq; à Marte recedent

Quàm

Quàm tripodem auratum,pelagus quem misit in altum
Vulcanus,vos rursum ipsi mittatis in edes.
Mox hominis, cui sit sapientia noscere prompta
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Milesiis, vt suprà iam diximus, respõsum, viro illi dandum,qui sapiẽtia primus esset omnium.sed de his hactenus. Hermippus autem in vitis,in hunc refert, quod à quibusdam de Socrate dicitur. Aiebat enim, inquit,trium maximè rerum causa gratias se fortunæ agere.Primò quòd homo,non bellua:deinde,quòd vir,non mulier : tertiò,quòd Græcus natus esset, nõ barbarus. Fertur cùm domo exiret contemplandorum siderum causa, in subiectam fossam incidisse, petulantiq; probro dictũ ab anu domestica:Qua ratione, ò Thales, quæ in cœlis sunt comprehensurum te arbitraris, qui ea quæ sunt ante oculos videre non vales? Astronomiæ sanè fuisse studiosissimum, & Timon vidit, qui illum in Sillis laudat,cùm ait:

Οἷον ἔπειτα Θάλῆτα σοφὸν, σοφὸν ἀστρονόμημα. hoc est,
Qualis erat sophięq; Thales,cœliq; perit⁹,

θάλητα ἀ θάλης nã θαλῆς circumflexũ θαλῆ facit genitiuum.

c Porrò

Porrò quæ ab eo ſcripta ſunt, ad ducentos verſus pertingere Lobon Argiuus autor eſt, inſcriptosq; imagini ipſius uerſus hos,

Τόνδε Θαλῆν Μίλητος Ἰὰς θρέψασ' ἀνέδειξεν
Ἀστρολόγον πάντων πρεσβύτατον σοφίᾳ.

hoc eſt,

Hunc, quæ nutriuit Mileſia terra Thaletem,
Aſtrologũ primi nominis ipſa tulit.

Quæ autem eius nomine circunferuntur, hæc ſunt: Non multa verba prudentis animi indicium ſunt. Vnum aliquid ſapiens diuina, vnum quippiam præclarum elige, obſtrues enim os loquacium hominũ non paucorum. Ferũtur eius & iſtæ ſententiæ: Antiquiſsimum eorum omniũ quæ ſunt, deus: ingenitus enim. pulcherrimum mũdus, à deo enim factus eſt. maximũ locus, capit enim omnia. velociſsimum mens, nã per vniuerſa diſcurrit. fortiſsimum neceſſitas, cuncta enim ſuperat. ſapientiſsimum tempus, inuenit nanque omnia. Nihil ait mortem à vita differre. Tu verò, aiebat quiſpiam, quare non moreris? Quia nihil, inquit, differt. Sciſcitanti cuidam, vtrum prius factum eſſet, nox an dies: nox, ait, vna prius die. Interrogatus, * lateréτne deos homo malè agens, ne cogitãs quidem, inquit.

Valerius lib. 7. de ſapienter dictis.

quit. Percontanti adultero, an iuraret nõ commisiſſe ſe adulterium; nõ eſt, ait, periurium adulterio deterius. Interrogatus quid nam eſſet difficile, ſe, inquit, ipſum noſcere: quid contrà facile, ab alio moneri. quid ſuauiſsimum, frui. quid deus, quod initio & fine caret. quid difficilè, vidiſſe tyrannum, inquit, ſenem. Quo pacto aduerſæ fortunæ impetus quiſpiam ferat facilimè, ſi inimicos, ait, videat deterius affectos. quo modo optimè ac iuſtiſsimè viuemus, ſi quæ in aliis reprehendimus, ait, ipſi non faciamus. quiſnam felix ſit, qui corpore, inquit, ſanus, fortuna locuples, animo non ignauus neque imperitus eſt. Amicorum præſentium & abſentium æque memores debere eſſe. Non componere faciem, ſed bonarum artium ſtudiis animũ excolere præclarum eſſe. Noli, inquit, ditari nequiter, neque in ius te vocet ſermo cõtra cõiunctos tibi, ac ſocios dictus. Quæcunque ait, ſtipendia parentibus intuleris, eadem ipſe à filiis expecta. Nilum ait excreſcere quando eteſiæ qui contrarij ſunt, vndas repellunt. Ortum primo anno triceſimæ quintæ olympiadis Thalem, Apollodorus in chronicis tradit, mortuúmque ætatis anno ſeptuageſimo, ſiue,

vt Soſicrates ait, nonageſimo. Quinquageſima quippe & octaua olympiade eſſe defunctum. Crœſi verò fuiſſe temporibus, cui & pollicitus ſit Halyn fluuium ſine ponte traiicere, tranſlato curſu. Fuiſſe & alios quinq; huius nominis Demetrius Magneſius in æquiuocis fatetur. Primum rhetorem Calantinianum. ſecundum, pictorem Sicyoniũ. tertiũ, Megalophyem, eúmque antiquiſsimum, ferme Heſiodi, Homeri, Lycurgíque temporibus. quartum, cuius meminit Duris in libro de pictura. quintum, iuniorem & obſcurum, cuius & Dionyſius in Criticis mentiónem facit. Sapiens igitur Thales obiit, cum certamen gymnicon ſpectaret, æſtu ſcilicet, ac ſiti & infirmitate fatigatus iam vetulus, in cuius rei teſtimonium hæc extant epigrammata:

Γυμνικὸν ἆν ποτ᾽ ἀγῶνα θεώμενον ἤελιε ζεῦ
Τὸν σοφὸν ἄνδρα θαλῆν ἥρπασας ἐκ σαδίων.
Αἰνέω ὅττι μιν ἐγγὺς ἀπήγαγες. ἦ γὰρ ὁ πρέσβυς
Οὐκ ἔθ᾽ ὁρᾶν ἀπὸ γῆς ἀστέρας ἠδύνατο.

hoc eſt,

Gymnicõ aſpiceret cùm rurſus agona, Thaletem

Traxiſti

Traxisti è stadiis Iuppiter Eelie.
Hunc laudo, cœlo propius quòd duxeris, vltrà
Nō poterat terris astra videre senex.

In eundem:

Ἦρ' ὀλίγον τὸ δὲ σῆμα, τὸ δὲ κλέος οὐρανόμηκες
Τοῦ πολυφροντίστου τοῦδε Θάλητος ὅρη.

hoc est,

Nēpe hic exigu⁹ tumul⁹, sed sidera scādit
Gloria, sunt cuius hæc monumenta Thalæ.

Huius illud est, Nosce teipsum. quod Antisthenes in successionibus ait fuisse Phemonoës, idq; sibi vsurpasse Chilonem.

Hoc in loco generatim ipsorū facienda mentio est, quæ nā fuerit de illis inter veteres, & quanta discordia. Damon Cyrenæus cùm de philosophis scriberet, omnes insimulat & septē in primis. Anaximenes autem omnes ait poeticę magis fuisse studiosos. Dicæarchus, neq; sapiētes, neq; philosophos fuisse eos asserit, sed cordatos planè viros, legumq; latores. Archetimus Syracusanus illorum cum Cypselo cōgressum scripsit, cui se quoque interfuisse ait, Euphorus apud Crœsum præter vnū Thalem conuenisse tradit. Aiunt autē quidam & in Panionio, & Corintho, & Delphis

eos cõueniſſe, illorumq; ſentẽtias ponunt quæuã cuius ſit exponẽtes, vt illud, Lacedæmonius fuit Chilo ſapiẽs, qui hæc ait, Nihil nimis. Tẽpori cuncta inſunt bona. Magna & de illorũ numero diſcordia eſt. Leandrius enim pro Cleobulo, & Myſone, Leophantũ, Gorſiada, Lebediũ ſiue Epheſium inſerit, Epimenidemq; Cretenſem. Plato aũt in Protagora, Myſonẽ pro Periandro. Euphorus pro Myſone ponit Anacharſim. alij Pythagorã adiiciũt. Porrò Dicæarchus quatuor nobis cõſenſu omnium ſapientes tradit, Thalẽ, Biantẽ, Pittacũ, atq; Solonẽ. tum ſex alios nominat, quorũ ex numero tres elegit Ariſtodemum ſcilicet, Pamphilũ, Chilonẽ Lacedæmoniũ, Cleobulum, Anacharſim, & Periandrũ. Addunt quidã Aceſilaũ, Cabã, ſiue Scabrã Argiuũ. Hermippus autẽ in libro de ſapiẽtibus, decem & ſeptẽ fuiſſe tradit, quorũ ex numero ſeptẽ alij aliter eligãt. Sic autẽ illos cõputat. Primo loco ponit Solonẽ, tum Thalem, Pittacum, Biantẽ, Cleobulũ, Chilonẽ, Periandrum, Anacharſim, Aceſilaum, Epimenidem, Leophantũ, Phericydẽ, Ariſtodemũ, Pythagorã, Laſum, Charmãtide ſeu Siſimbrini, ſiue vt Ariſtoxenus tradit, Chabrini filium, Hermioneum, Anaxagoram.

Enimuero Hippobotus in deſcriptione philoſophorũ, hãc illorũ ſeriẽ exponit: primo Orpheũ, deinde Linũ, tũ Solonẽ, Periandrum, Anacharſim, Cleobulum, Myſonem, Thalem, Biantem, Pittacum, Epicharmum, & extremo loco Pythagoram. Feruntur & iſtæ Thaletis epiſtolæ.

THALES PHERECYDI.

AVDIO te primũ Ionũ de diuinis rebus apud Græcos palàm diſſerere parare. Verũ iuſtiore fortaſſe ſentẽtia inter amicos ea quæ ſcripſeris leges, quàm paſsim quibuſcunq; permittes, nullo illis emolumento futura. Equidẽ ſi tibi gratũ cognouero, volo conſcius eorũ quæ ſcribis eſſe, ac ſi quidẽ iubes, ad te maturè proficiſcar. Neq; enim adeò amẽtes ac ſtolidi ſumus, ego & Solõ Athenieñſis, vt cũ nauigio Cretam petierimus viſendi gratia, Aegyptũq; itidẽ penetrauerimus, vt iſtic ſacerdotibus & aſtronomis cõgrederemur, ad te nõ pari ſtudio nauigaturi ſimus. Veniet enim & Solon ipſe, ſi annuas. Namq; tu loci illius amore detentus, raró in Ioniã tranſis, neque peregrinorum hominum deſiderio tãgeris. Verùm vni tantũ, vt ſpero, ſcribẽdi negotio incumbis. At nos qui nihil ſcribimus, Græciam, Aſiamq; peragramus. Vale.

THALES SOLONI.

ATHENIS si excedas, Mileti, vt equidem reor, commodissimè habitare poteris. Est enim vestra colonia, patierisq; graue nihil. quòd si & apud Milesios execraris tyrannidem, æquè enim vbiq; tyrãnos infestos habes, at cum amicis nobiscum viuere erit iucundissimum. Scripsit ad te Bias vt Prienam proficiscaris. Eam tu vrbem si libentius inhabitaueris, & ipsi eò ad te aduolabimus. Vale.

SOLON SALAMINIVS.

σεισάχθεια lex dicta, ἀπὸ τοῦ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων ab eo quod subleuarētur, ac excuterēt aeris alieni intolerabilē sarcinam.

SOlon Execestidæ filius, Salaminius, primus ipsam σεισάχθειαν inuexit Atheniensibus. Sic autē appellabatur corporũ possessionumq; redemptio. Plurimi enim per summã inopiam fœneratoribus corpora sua exponebant, ac super his fœnerabantur. Cùm igitur septem sibi talenta ex patrimonij sui iure deberentur, ea primo remisit, ac reliquos idem facere exemplo suo prouocauit. eaq; lex Sisachthea appellata est. Hoc illi, id quod minimè obscurũ est, felix initium, faustumq; fuit ad cæteras condendas leges, quas enumerare longissimum esset, minimeq; necessarium, cũ illæ tabulis æreis incisæ sunt. Est autem id ipsius factum vel celeberrimum. Cùm de

Salam

Salamine ipſius patria inter Athenienſes & Megarenſes ferme vſq; ad internecionem armis dimicatum eſſet, multisq́; cladibus acceptis, capitale apud Athenienſes eſſe cœpiſſet, ſi quis legem de vindicanda inſula ferret, ſolicitus Solon ne vel tacendo parum Reipu. conſuleret, vel conſulendo ſibi noceret, ſubitam ſibi dementiam ſimulat, cuius prætextu non dicturus modò prohibita, ſed & facturus erat. Deformis habitu more væcordium in publicum euolat, factoq; concurſu hominum, quò magis conſilium diſsimulet, inſolitis ſibi verſibus, per præconem ſuadere populo cœpit quod vetabatur, omniumq́; ita animos cepit, vt aduerſus Megarenſes bellum extemplò decernerent, inſulaq; deuictis hoſtibus Athenienſium fieret. Verſus autẽ quibus potiſsimũ illos induxit, ſunt hi:

Εἴην δὴ τότ᾽ ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινίτης
Ἀντί γ᾽ ἀθηναίου πατρίδ᾽ ἀμειψάμενος.
Αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ᾽ ἀνθρώποισι
γένοιτο
Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιν᾽ ἀφέντων.
Ἴομεν εἰς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου
Ἱμερτῆς, χαλεπόν τ᾽ αἶσχος ἀπωσόμενοι.

hoc eſt,

Olĩ vtinã fuerĩ Pholegãdri⁹ aut Sicinites,

Ac mutata foret Attica terra mihi.
Nam subito fama hæc hominum volitabit ad aures.
Atticus vn⁹ adest qui Salamina fugit.
Quin Salamina igitur sarturi dedecus imus,
Subdita quod nobis insula restituet?
Persuasit Atheniensibus in Thracia quoq; sibi vendicarent Chersonesum, Ac ne magis vi quàm iure Salaminam possidere videretur, effosis quibusdam tumulis, cadauera ad Orientem solē conuersa, qui Atheniensibus sepeliendi mos erat, ostendit, sepulchra item ipsa ad Orientem posita, insculptaq; ipsis familiarum nomina, quod quidem proprium Atheniensium fuit. Aiunt plerique illum exinde Homeri scripsisse catalogum ab eo loco, vbi Aiacem ex Salamina duodecim duxisse naues ait:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας
Στῆσε δ' ἄγων ὅτ' ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες. hoc est,

Dux Salamine aderat bissenis nauibus Aiax
Castra vbi Cecropiæ quondam posuere cohortes.

Ex eo iam tēpore plebis in se animos ita

conuert

cōuerterat, vt ſibi illū oēs vno animo impe rare cuperēt. Eis verò ille intātū abfuit vt aquieſceret, vt autore Soſicrate, Piſiſtratū quoq; ꝓpinquū ſuū, cū ſibi tyrānidē para- re intelligeret, quātū in ſe fuit ꝓhibuerit. Nā euocata cōcione profectus in publicū, lorica armatus & clypeo, Piſiſtrati inſidias & improbos conatus aperuit. Neq; id ſo- lum, verū & iuuare paratū, ac pro liberta- te ſeſe pugnaturum aſſeuerauit: Viri, in- quiens, Athenienſes, aliis quidā ſapiētior, aliis verò fortior ſum. Sapiētior enim illis ſum, qui Piſiſtrati conatus nō animaduer- tunt: fortior autē his qui ſciūt illum quidē, ſed metu ſilēt. Senatus verò, quòd ſtuderet Piſiſtrato, inſanire illū proclamabat. At il- le, meam, inquit, inſaniam ciuibus breui tempus oſtendet, cùm veritas in lucem ve- nerit. Elegi autem ipſius de tyrannide Pi- ſiſtrati ſunt hi:

Ἐν νεφέλης φέρεται χιόνος βία ἠδὲ χαλάζης
Βροντὴ δ' ἐκ λαμπρῆς γίνεται ἀστεροπῆς.
Ανδρῶν τ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται, ἐς δ' μονάρχου
Δῆμος ἀιδρείῃ δουλοσύνην ἔπεσεν. hoc ē,

Vis niuis & nebuloſo agitatatur in æthe re grando,
Horrēdū excutiūt fulgura clara ſonū.

Et cecidere viris persepę potẽtibus vrbes,
Detrusá inq; ferũ plebs stolida ĩperiũ est.

Iam verè Pisistrato rerum potito, minimè obtemperãs, ante curiam arma deposuit, dicens illud: O patria, tibi equidẽ verbo & opere auxiliatus sum. In Aegyptum nauigauit, atque inde Cyprum profectus, postremo ad Crœsum peruenit, à quo interrogatus, quis nam sibi felix videretur, Telus, inquit, Atheniensis, & Cleobis, & Bito, & cætera quæ sunt in ore omniũ. Aiunt quidam, Crœsum cùm se exquisitissimè omnium ornamentorum genere cõposuisset, sublimiq; in solio sederet, interrogasse eũ an pulchrius vnquã spectaculũ viderit, illumq; dixisse gallos gallinaceos, fasianos, atq; pauones. Naturali enim eos nitore, & incredibili speciositate vestiri. A Crœso deinde in Ciliciã profectus, vrbẽ condidit: atq; ex suo nomine Solos appellauit, in qua Atheniensiũ aliquot statuit, qui tractu tẽporis cùm patriã vocem corrupissent, σολοικίζειν dicti sunt. Et appellabãtur hi quidem Solenses: qui Cyprij verò, Solij. Cùm verò Pisistratum in tyrannide perseuerare didicisset, ita Atheniensibus scripsit.

Hæc prolixius Herodotus.

Soli, quæ postea Pompeio polis dicta est, à Pompeio restituta, autor Stephanus.

Εἰ δὲ πεπόνθατε δεινὰ δὶ ὑμετέραν κακότητα

Μήτι

Μήτι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε.
Αὐτοὶ γὰρ τούτους ηὐξήσατε ῥύσια δόντες
Καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔσχετε δουλοσύνην.
Υμέων δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει
Σύμπασι δ' ὑμῖν κοῦφος ἔνεστι νόος.
Εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε, καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρὸς
Εἰς ἔργον δ' οὐδὲν γιγνόμενον βλέπετε,

hoc eſt,

Siveſtro meritas pēdetiſcrimine pœnas.
Non culpa in iuſtos reiicienda deos:
Hos nam ipſi immunes veſtra fouiſtis in vrbe.
Qui miſeris vobis ſubdita colla premunt.
Quiuis em̃ veſtrũ vulpis veſtigia calcat,
Verũ mēsſtolida eſt oĩbus,atq; leuis.
Suſpicitis nam linguam hominis, verſutáque verba.
Quod tētet,nemo cernere curat,opus.

Inter alias hæ clariores ſunt eius ſententiæ.Quæ nō po ſuiſti,ne tollas.Ne mentiaris.Probitatem iureiurando certiorē habe. Principem agere noli,niſi edoctus ſubeas. Principi cōſule non dulciora,ſed optima. Intellectum fac ducem.Ne malè loquaris. Deos honora, & parentes reuerere. Nihil equid

equidem homini metuendum est, nisi ne felicitatem excludat. Nemo stultus tacere potest. Populi rector prius se, quàm populum rectè instituere debet. Praui hominis lingua acutior est gladio. Si principes & maiores secũdum leges vixerint, vnaquæque ciuitas optimè regi poterit. Hæc ille. Pisistratus autem cùm illius fugam didicisset, sic ad eum scripsit.

PISISTRATVS SOLONI S.

NEQVE solus Græcorũ tyrannidem arripui, neq; mihi rem alienam vsurpaui. Quippe genus à Cecrope duco. Id enim mihi meo iure vendico, quod Athenienses olim cum iureiurando firmassent Codro illiusq; genti præbituros, postmodũ abstulerãt. Cæterum in deos, vel in homines nihil aliàs pecco. Leges quas ipse Atheniensibus dedisti, seruari atq; secundũ eas viuere iubeo. Et quidẽ melius seruantur quàm possent, si multitudinis imperio res agerentur. Permitto enim nemini iniuriam fieri: ac tyrannus ego præter dignitatem & honorẽ nihil à plebe differo, solis eis stipendiis contentus, quæ iis quoque qui ante me regnarunt, debebantur. Deniq; Atheniensium singuli decimas frugum suarum separant, nõ in vsus nostros cõsumendas, verum

ſacrificiis publicis, cõmodisq; cõmunibus, & ſi quando bellum cõtra nos ingruerit, in ſumptus deputandas. Tibi equidem nihil ſuccenſeo, quòd mentem meã, cõſiliumq; detexeris, quippe qui id potius reib. ſtudio ciuitatis, quàm mei odio detexeris, ac præterea quòd ignorares cuiuſmodi ego rex futurus eſſem. Id enim ſi didiciſſes, æquo animo & conatus meos fortè toleraſſes, & te fugæ haudquaquam cõmiſiſſes. Redi igitur domũ bona fide, mihi & iniurato credens, nihil eſſe periculi à Piſiſtrato Soloni. Noſti enim neminem etiam ex inimicorum numero mali quippiam à me perpeſſum. Deniq; ſi placuerit frui noſtra amicitia, inter primos eris. Nihil enim in te fraudis, perfidiæve cõſpicio. Quòd ſi alioqui habitare Athenis nolueris pro arbitrio tuo id facies: tantum ne noſtri cauſa patria excideris. Vale. Hæc Pyſiſtratus.

Solon autem humanæ vitæ terminũ ſeptuaginta annos eſſe ait. Videtur autem id præclarè ſtatuiſſe, Si quis parentes nõ enutrierit, is ignobilis & obſcurus eſto. Similiter & qui patrimonij verſurã fecerit. Is itẽ qui ſectatur otium, omnibus accuſare volentibus obnoxius eſto. Porrò Lyſias in oratione quã contra Niciam ſcripſit, Draconẽ aſſerit

asserit eā scripsisse legē, Solonemq; tulisse. Eum item qui nequitia ac flagitiis insignis esset, tribunali publicisq; suggestis arcendū statuit. Athletarum quoq; præmia castigata moderatione correxit. Et quidem qui olympia vicisset quingentas dragmas, qui verò Isthmia, dari centum cōstituit, eadēq; ratione in certaminibus cæteris. Esse enim absurdum huiusmodi honores modū desiderare, solum verò eos, qui in præliis occubuissent, prçmiis esse illustrandos, quorū filios publico nutriēdos erudiendosq; præcepit. Quo sane animati vniuersi, fortiter ac strenuè in bellis dimicabant. Sic polyzelus, sic Cynægirus, sic Callimachus, sic omnes qui in Marathonis expeditione pugnauerunt. Sic præterea, Armodius, Aristogiton, Militiades, innumerabilesq; alij. Hi verò, dum exercentur nimium pretiosi sumptuosiq; athletæ, & dum vincunt, reip. detrimento sunt. & contra patriam magis, quàm aduersus hostes coronantur, ad iuxta Euripidem, cum senuerint,

Τρίβωνες ἐκλιπόντες οἴχονται κρόκας. hoc est,

Tramis relicta deteruntur pallia,

Id præuidens Solon eos parcius accepit. Præclarè & illud statuit, vt curator cum pupillorum matre non cohabitet. Cauitq;

ne is

ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitũ substantia spectaret. Illud itẽ, non licere anulario eius qui anulum vendidisset seruare sigillũ. Et qui alteri vnum oculum eruerit, ei ambos erui debere: & quæ non posuisti, ne tollas: si quis secus facit, capitale esto. Principem si ebrius deprehensus esset morte mulctandum. Homeri poëmata, * vt ordine resarcirentur scripsit, vt esset versuum sensuumq; consequentia. Magis ergo Solon, quàm Pisistratus Homerum illustrauit, vt in quinto Megaricorum Dieuchidas ait: Primus autem trigesimam diem mensis ἕνην καὶ νέαν appellauit, nouemq; principũ numerum ad sententias dicendas primus instituit, vt Apolodorus in secundo, de legislatoribus refert. Seditione autem inter vrbanos, agrestes, ac maritimos exorta, neutrarum se partium fecit. Aiebat sermonem esse imaginem quidem operis, regem verò qui esset fortissimus viribus. Leges aranearũ telis esse similimas. Illis quippe si quid leue & imbecillũ inciderit, inuolui ab eis atq; cõtegi, si quid maius aut grauius, perrumpi ac perire. Sermonem quidem silentium verò tempore signari dicebat. Qui apud tyrannos autoritate valeret, eos

* ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι.

ἕνην, quæ vox Atticis antiquam sonat, Demosthenes enim ἕνας ἀφεὶς dixit.

d calc

calculis quibus in componendis rationibus vtimur,cõparare conſueuerat.Vt enim illi interdum maiorem numerum, interdum minorem ſignificant,ita & tyrannos horũ quemque prout libitum fuerit, aliquando illuſtrem & inclitum, aliquando obſcurum habere & ignobilẽ. Interrogatus, quamobrem contra parricidam legem nõ tuliſſet, quòd deſperaſſet, ait, hoc ſcelus. Quo pacto item homines minimè humana iura violarent,ſi ſic doleant & afficiantur,qui iniuriis nõ laceſſuntur,vt qui laceſſuntur.Sacietatem ex diuitiis naſci,& ex ſatietate cõtumeliam gigni.Athenienſes verò vt dies ſecũdum Lunæ curſum agerent, monuit.Theſpim tragœdias agere, ac docere prohibuit,inutilem eas falſiloquentiã vocans. Vbi ergo ſeipſum Piſiſtratus conſternaſſet ac vulneraſſet,hinc ait,iſta pullularunt. Sunt autem eius monita quibus conſulere ſolebat hominibus, vt ait Apollodorus in libro de philoſophorum ſectis,huiuſmodi,Virtutem atq; probitatem iuramento fideliorem cenſe. Mentiri noli.Præclara ſtudioſè meditare.Amicos cito noli parare,quos autem paraueris, ne reiicias. Tunc rege, cum primum didiceris regi. Conſule non quæ ſuauiſsima, ſed

quæ

quæ ſunt optima. Animum ac rationem ducem ſequere. Noli malis cōgredi. Deos honora. Parētes reuerere. Fertur & Mineruum increpaſſe cū ſcripſerit ſexageſimū annum fatalem eſſe, monuiſſeq; vt octogeſimum ſcriberet. Sunt item quæ metro celebrantur eius præcepta in hunc ſenſum: *Imperа, ſed cum imperiū ferre dideris.*

Πεφυλαγμένος ἄνδρα ἕκαστον, *alias,
Ορα μὴ κρυπτὸν* ἔχθος ἔχων ἔγχος
Κραδίῃ, φαιδρῷ προσενέπῃ προσώπῳ
Γλῶσσα δέ οἱ διχόμυθος
Ἐκ μελαίνας φρενὸς γεγωνῇ. hoc eſt,

Tu ſi ſapis, fac ſingulos probè obſerues.
Ne fortè quiſquã tegat quod habet intus
Odiũ, & interim vultu loquatur blãdo,
Ac lingua duplex ex atra ſonet mente.

Conſtat eum ſcripſiſſe leges, conciones quoque, & ad ſeſe quædam exhortatoria. Elegia de Salamina, Athenienſiumq; repub. ad quinque millia verſuum. Iambos etiãnum & epodos. Porrò ipſius imagini in hunc ſenſum epigramma ſcriptum eſt:

Η Μήδων ἄδικον παύσασ' ὕβριν, ἥδε Σόλωνα
Τόνδε τεκνοῖ Σαλαμὶς θεσμοθέτην ἱερόν. hoc eſt,

Quæ dudum inſanas Medorum propulit iras,
Legiferũ Salamis pulchra Solona parit.

Floruit autem maximè circa quadragesimam sextã olympiadem, cuius tertio anno princeps Atheniensium fuit, vt ait Sosicrates, quo etiam tempore leges eis dedit. Obiit autẽ in Cypro ętatis suæ anno octogesimo, hoc suis mandans, vt Salaminã eius ossa transferrent, atq; in cinerem solũ per prouinciã disseminarent. Quocirca & Cratinus in Chirone ipsum ita loquentem facit. Ego hanc, vt aiunt homines, insulam colo. Sparsus per omnem Aiacis vrbem strenui. Extat de illo & nostrum epigramma, ex eo cuius iam suprà meminimus epigrammatum libro, vbi & de sapientibus omnibus & doctrina præstantibus viris, omni genere metrorum lusimus:

Laërtij liber, qui πάμμετρος inscribitur, cuius sæpe alibi meminit.

Σώμα μὲν ἦρε Σόλωνος ἐν ἀλλοδαπῇ Κύπριον πῦρ

Ὀστᾶ δ' ἔχει Σαλαμὶς, ὧν κόνις ἀστάχυες.

Ψυχὴν δ' ἄξονες ὦθες ἐς οὐρανὸν ἤγαγον. εὖ γὰρ

Θῆκε νόμους αὐτοῖς ἄχθεα κουφότατα.

hoc est,

Cypria defunctum subtraxit flamma Solonem.

Ossa sed in cineres versa tenet Salamis.

Mox animus nitido sublatus ad æthera curru,

Quippe sacras leges pondera grata tulit

Aiunt & hanc ipsius fuisse sententiam: Nihil nimis. Ipsumq; refert Dioscorides in commentariis, cùm lacrymaretur ac lugeret defunctum filium, diceretúrq; à quodam, At nihil proficis, respondisse, ac propter hoc ipsum illacrymor, quia nihil proficio. Feruntur & istæ eius epistolæ.

SOLON PERIANDRO.

SCRIBIS tibi plurimos insidiari. At tu si quidem omnes è medio tuleris, ne sic quidem proficies. Insidiabitur enim tibi quispiam ex his quos minimè suspectos habes, partim sibi quidem metuens, partim te reprehendens, quòd omnia formides, nihilque non metuas, partim item ciuitati gratificari cupiens. Esset ergo optimum abstinere tyrannide, vt causas omnis metus euaderes. Quòd si tyrannidi omnino insistendum censes, compares tibi necesse est externas vires, & peregrina auxilia vrbanis viribus maiora, vt iam tibi nullus infestus sit, & tu neminem extorrem agas. Vale.

SOLON EPIMENIDI.

NEQVE leges me profectò Atheniẽsibus profuturæ multum erant, neq; tu eis

antiquitatis ciuitati fuisti emolumento. Deus enim ac latores legũ non soli iuuare ciuitates possunt, sed qui multitudinẽ agũt in quãcunq; sententiam volunt. His enim si rectè rem administrent, deus ac leges vtiles sunt, sin autem malè, nihil prosunt. Neque sanè meæ leges ac iura quæ scripsi, quicquã profuerũt: sed qui illas transgreßi sunt, magna Reipu. inuexere detrimenta. Qui Pisistrato ne tyrannidẽ inuaderet, nõ obstituerunt: neq; verò futura prædicenti mihi fides habebatur. Ille fidelior existimabatur Atheniensibus blandiens, quàm ego vera proloquens. Positis igitur armis pro curia, his quidem qui Pisistratũ gestire tyrannidem non animaduertũt, sapiẽtiorem: eis verò qui libertatem Reipub. asserere metuerent, fortiorem esse me dixi. At illi Solonis interpretabãtur insaniam, tandem ita patriam contestatur excessi: O patria, hic quidem Solon ille tibi opem ferre & facto & dicto prõptus & paratus est, cæterùm hisce & insanire videor. Itaq; te deserta proficiscor, solus ex omnibus Pisistrati inimicus. Isti verò & fauere & obsequi parati sunt. Nosti enim hominẽ amice, quãto ille astu, quo ingenio, qua arte tyrãnidẽ inuaserit. Nã cœpit blãde plebẽ illicere.

Pisistrati versutia de qua Iustinus lib. 2.

deinde

deinde ſibi etiam vulnera inflixit, ac progreſſus in publicum, eaſq; ſe ab hoſtibus accepiſſe vociferãs, orabat quadringentos robuſtiſsimos iuuenes ſibi cuſtodes darẽt. At illi, me quidem reluctante & reclamãte acquieuerũt. Erant autem hi armati validis fuſtibus. His itaque ſtipatus ſtatum Reipu. euertit. Dumq; illi ſpe inani pauperes ſuos, ne mercede ſeruirent, liberare ſtudent, omnes vnà ſub iugum miſsi ſunt, vniq; ſeruiunt Piſiſtrato.

SOLON PISISTRATO.

CREDO equidem nihil me abs te paſſurum mali. Nam ante tyrãnidem tibi amicus erã, ne nunc quidem magis infenſus quàm alius quiuis Athenienſium qui tyrãnidem non ament. Siue autem vnius imperio regi, ſiue publicè rẽ adminiſtrari illis vtilius ſit, ex ſua quiſq; ſententia ſtatuat. Certè tyrannorum te omnium eſſe præſtantiſsimum fateor. Athenas autẽ redire mihi vtile non eſſe cognoſco, ne quis me iuſtè reprehendat, qui Athenienſibus dudum Rempub. ex æquo adminiſtrandam tradideram, præſenſq; oblatam mihi tyrannidem ſponte declinaueram, modò rediens factum tuum ſubita pœnitentia probare videar.

SOLON CROESO.

AMPLECTOR mirificè tuam in nos beneuolentiam, & per deos immortales, nisi apud me iampridem statuissem ibi sedem habere, vbi Respub. sit libera, mallem apud te in tuo regno vitã quàm Athenis agere, violenter tyrãnidem exercente Pisistrato. Verùm ibi suauius ex instituto nostro viuimus, vbi sunt omnibus æqua & cõmunia iura. Veniam tamen ad te, vt tuo vel hospitio tantisper fruar.

CHILO LACEDAE-MONIVS.

CHilo Lacedæmonius patre Damageto fuit. Hic scripsit elegiam aduersus ferè ducentos. Dicebat autem futurorum prouidentiam ratione comprehendi posse, pro virtute viri. Indignanti fratri quòd Ephorus ipse non fieret, cùm ille fuisset, Ego, inquit, pati iniurias scio, non tu. Fuit autem Ephorus circa quinquagesimam, & quintam olympiadem. Porrò Pamphila circa sextam ait, primumq; Ephorũ fuisse sub Euthydemo autore Sosicrate. Primumq; instituisse, vt Ephori regibus adiungerentur, Satyrus Lycurgũ dixit. Hic, vt Herodotus in 1. historiarum lib. refert, Hippocrati in Olympia sacrificanti cum feru

ἔφοροι magistratus apud Lacedæmonios, sic dicti ab eo quòd res ciuitatis inspicerent, erant autẽ nume. 5.

feruere abſque ignis adminiculo lebetes cœpiſſent,cõſuluit, aut perſiſteret cœlebs, aut ſi duxiſſet vxorem dimitteret, filioſq; necaret. Ferũt eum & Aeſopum interrogaſſe, quidnã faceret Iupiter, Illumq; reſpõdiſſe, Excelſa humiliat, & humilia extollit. Rogatus quo differũt periti ab imperitis,Bona,inquit,ſpe.Quid difficile,Arcana,inquit,reticere,& otium rectè diſpẽſare,iniuriaſq; tolerare poſſe.Præcipiebat & hæc,Lingua ſemper quidem, ſed in cõuiuio præſertim cõtinenda.Proximò non male dicendum, alioquin audituros quæ nobis dolebunt. Nemini intentandas minas:eſſe enim muliebre. Prõptius ad amicorum aduerſos caſus; quàm ad ſecundos ſucceſſus accurrendum. Vxorẽ humilem, apparatu modico ducendam. Mortuo nõ maledicendum.Honorãdam ſenectutem. Cauendum ſibiipſi. Damnũ potius,quàm turpe lucrũ eligendum:nam id ſemel tantum dolori eſſe,hoc ſemper.Elato ſecundis rebus non arridendum.Fortẽ manſuetum eſſe oportere,vt proximi nõ tam metuant quàm reuereantur. Diſcendum domui ſuæ ritè præeſſe. Linguã præire animo non permittendam.Superandam iracundiam. Diuinationem non execrãdam.

Impoſsibilia non appetenda. In via non feſtinandũ. Inter loquendum non agitandam manum: eſſe enim vecordium. Obtemperandum legibus. Quietem adamãdam. Inter cæteras eius ſententias hęc maximè placuit, qua dixerat, lapideis cotibus aurum examinari, & dare apertũ ſui documentum, auro autem bonorum malorumq; hominum mentem cuiuſmodi ſit, cõprobari. Aiũt illum cùm iam eſſet vetulus, dixiſſe ſibi non eſſe conſcium in tota vita ingratitudinis: vna tamen re ſe modicè moueri, quòd cùm ſemel inter amicos illi iudicandum eſſet, neque contra ius agere aliquid vellet, perſuaſerit amico iudicium à ſe prouocaret, vt ſic nimirum vtrunque, legem & amicum ſeruaret. Maxima gloria præcipuè apud Græcos fuit, quod de Cytheris inſula Laconiæ prædixerit. Nam cùm illius naturam ſitúmque didiciſſet, Vtinam, inquit, hæc nunquam fuiſſet, aut certè ſimul ac nata eſt, ſubmerſa eſſet. Præclarè ſiquidem ac perſpicaciter præuiderat. Demaratus enim Lacedæmone fugiens, Xerxi cõſuluerat in ea inſula naues cõtineret, & profectò in ditionem hoſtiũ veniſſet Græcia, ſi id regi perſuaſiſſet. Poſtea verò Nicias bello Pelopon

Cythera inſula & eiuſdem nominis vrbs, antè Porphyris dicta, autor Plinius.

ponnesiaco euersa insula, præsidium illic Atheniensium statuit, Lacedæmoniósque multis cladibus afflixit. Erat in loquendo breuis, atq; ob eam rem Aristagoras Milesius, hunc loquendi morem Chilonium appellat. Senuerat iam circa quinquagesimam secũdam olympiadem, quo tempore florebat Aesopus orator. Obiit autem, vt Hermippus ait, Pisæ; amplexus atque osculatus filium, quòd in Olympia fuisset coronatus. Defunctum asserunt immodica lætitia, & senij imbecillitate. Omnes autem qui ad celebritatem conuenerant, honorificentissimi iusta persoluerunt. Est & in hunc nostrum epigramma:

Φωσφόρε σοὶ πολυδεύκεος ἔχω χάριν, οὕνεκα υἱὸς
Χείλωνος πυγμῇ χλωρὸν ἕλεν κότινον.
Εἰ δ' ὁ πατὴρ στεφανοῦχον ἰδὼν τέκνον ἠμύσεν ἡσθεὶς
Οὐ νεμεσητόν, ἐμοὶ τοῖος ἴτω θάνατος.

hoc est,

Phosphore reddatur Pollux tibi gratia, quòd fert
Chilonis natus tẽpora cincta pugil.
Serta videns nati genitor, si lętus obiuit
Mortẽ, nõ mirũ, mors mihi talis eat.

Ipsius item imagini inscriptum:

Τὸν δ

Τόνδε δορυστέφανος Σπάρτα Χείλων' ἐφύτευσεν

Ὃς τῶν ἑπτὰ σοφῶν πρῶτος ἔφυ σοφίῃ.

hoc eſt,

Hic ſapiens forti natus Lacedæmone Chilon,

Qui è numero ſeptem maximus vnus erat.

Eius eſt ea ſententiola ſponſioni non deeſſe iacturam. Breuis quoq; epiſtola ipſius fertur huiuſmodi,

CHILO PERIANDRO S.

IVBES vti militia vacem, extorriſq́; agã, quaſi tu in tuto futurus ſis. Atqui ego monarchę nec ſua tuta eſſe puto, felicémque eum tyrannum cenſeo, cui in ſua domo abſq; ſanguine contigerit mori.

PITTACVS MITYLENAEVS.

Pittacus Mitylenæus Hyrradio patre, quem Thraca fuiſſe, Duris autor eſt. Hic vnà cùm Alcæi fratribus Melãchrum Lesbi tyrannũ profligauit. Et cùm de agri Achillitidis poſſeſsione inter Athenienſes & Mitylenæos armis decerneretur, imperator ipſe exercitus cum Phrynone Athenienſiũ duce, qui & pancratiaſtes & olympionices fuerat, ſingulari certamine pugnare

gnare instituit. Rectè igitur clypeo tegēs Phrynonen eo,dum non cauet, inuoluit, ipsoq; perempto agrū seruauit.Postea verò Athenienses disceptasse cū Mitylenæis de possesione agri, ipsumq; à Periandro cōtrouersię iudice Atheniēsibus adiudicatū, tradit Apollodorus in chronicis. Hinc igitur Pittacū in summo honore Mitylenæi habuere, eiq; principatū tradiderunt, quem ille cum decem annis tenuisset, ac Remp. præclaris ordinibus constituisset, seipsum sponte magistratu abdicauit. Decem inde alios superuixit annos, agrumq; sibi à Mitylenæis traditū sacrauit, qui nūc Pittacius dicitur. Porrò Sosicrates partem ipsius abscidisse, dimidiamq; plus toto dixisse testatur. Sed & Crœso pecunias ad se mittente, suscipere noluit, duplo plura quàm vellet se habere côtestatus. Defuncto enim fratre sine liberis hæreditatē ad se pertinere. Pamphila autem in secundo commentariorū, Tyrrhæum refert ipsius filiū, cùm sederet in tonstrina Cumis, iniecta securi ab ærario fuisse necatū: à Cumanis verò vinctum homicidam ad Pittacum missum, atq; ab eo pœna fuisse absolutum, dicente, cùm rem cognouisset, indulgentiam pœnitentiæ esse præferendā.

Herac

Heraclitus autem Alcæũ asserit habuisse captiuum, liberumq; dimisisse, veniamq; supplicio meliorẽ dixisse. Ebrios cũ peccarent, duplici incõmodo afficiendos per leges statuit, vt cauerent temulentiam: abũdat quippe vino insula. Feruntur eius istæ sententiæ, Perdifficile est bonũ esse, cuius & Simonides meminit, Plato itẽ in Protagora, Necessitati ne deos quidẽ reluctari. * Principatũ virum declarare. Interrogatus aliquando quid esset optimũ, quod in præsentia, inquit, occurrit, bene agere. A' Cræso itẽ rogatus quódnam esset maximũ imperium, ligni inquit varij, legem nimirum innuens. Dicebat autẽ victorias sine sanguine acquiri. Phocaico itẽ dicenti, quærendum esse studiosum, ac frugi virum, etiam si valde, inquit, quæsieris, non inuenies. Percõtantibus quidnã esset maximè gratũ, tempus ait: quid obscurũ, futurorũ euentus, inquit: quid fidele, terra: quid cõtrà infidum, mare inquit. Dicebat, prudentium virorum esse prius quàm aduersa contingant, prœuidere ne veniant: fortium vero, cum illa contigerint, æquo animo ferre. Quod, inquit, facere instituis, noli prædicare: nam si facere nequiueris, ridiberis. Infelicitatem nemini improperauer

ἀρχὴ ma gistratus quod dictũ Sophocles Soloni, Aristoteles verò Bianti tribuit, ethicon lib. 5.

rauer

raueris: ne iustæ querimoniæ pateas. Depositum cùm acceperis, redde. Amico noli maledicere, ac ne inimico quidem. Pietatem colas: frugi esto: pudicitiam ama: veritati stude: fidem, peritiam, dexteritatem, amicitiã, diligentiamq́; custodi. Quæ verò cecinit ac maximè probantur, hæc sunt. Sumpto arcu, & iaculis sagittiferaq; pharetra, inpetendum hominem improbum. Nam fidum nihil lingua loquivalet, dum cordi duplex alte insedit sensus. Fecit item ad sexcentos elegos versus, & carptim de legibus ad ciues. Floruit maximè circa XLII. olympiadem. Mortuus est autem sub Aristomene, tertio anno LII. olympiadis, cùm vixisset suprà annos septuaginta, iam totus senio cõfectus, sepultúmque in Lesbo monumento ipsius inscriptum epigramma testatur:

Ἰδίοις δακρύοις ἁ γειναμένα κατεθάπτει
Ενθάδε Πιττακὸν ἡδ' ἱερὰ Λέσβος,

hoc est,

Condidit hoc tumulo lacrymis te Pittace Lesbos
Sacra suis, obitu languida facta tuo.

Est illa eius sententia: Tempus nosce. Fuit & alter Pittacus legislator, cuius & Phauorinus in primo commentariorum, & Demetr

metrius in æquiuocis meminit, qui & minor appellatus eſt. Fertur autem ſapiens ille cùm ab Atarnete adoleſcente cõpelleretur, vt moneret vtra ſibi ducenda eſſet vxor, duas quippe ſe expetere, alterã quidem opibus ſibi & genere parem, alteram vtraque in re excellentem: bacillo ſenum adminiculo ſublato admonuiſſe, pergeret ad triuiũ ciuitatis, quò ludendi cauſa pueri conueniunt, eóſque conſuleret quid facto opus eſſet, ſequereturq; illorum monita. Sicq; factum eſſe, adoleſcentémque illum puerorum vocibus monitũ, æqualem ſibi duxiſſe. Id factum Callimachus in epigrammatis venuſtiſsimè ſcribit:

Atarna ciuitas media inter Myſiã & Lydiam, nõ procul à Lesbo.

Ξεῖνος Ἀταρνείτης τις ἀνήρετο Πιττακὸν οὕτως.
Τὸν Μιτυληναῖον, παῖδα τὸν Ὑῤῥαδίου.
Ἄττα γέρον δοιός με καλεῖ γάμος, ἡ μία μὲν δὴ
Νύμφη, καὶ πλούτῳ καὶ γενεῇ κατ' ἐμέ.
Ἡ δ' ἑτέρη προβέβηκε. τί λώϊον; εἰ δ' ἄγε σύν μοι
Βούλευσον ποτέρην εἰς ὑμέναιον ἄγω.
Εἶπεν. ὁ δὲ σκίπωνα γεροντικὸν ὅπλον ἀείρας
Ἠνίδε, κεῖνοί σοι πᾶν ἐρέουσιν ἔπος.
Οἱ δ' ἄρ' ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες
Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.

Κεῖν

Κάτων, ἔρχεο, φησὶ μετ' ἴχνια χ' ὧ μὲν ἐπέστη

Πλησίον, οἱ δ' ἔλεγον, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα.

Ταῦτ' ἀΐων ὁ ξεῖνος ἐφείσατο μείζονος οἴκου

Δράξασθαι παίδων κληδόνι συνθέμενος

Τὴν δ' ὀλίγην. ὡς κεῖνος εἰς οἰκίον ἤγαγε νύμφην

Οὕτω καὶ σὺ Δίων τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα.

hoc eſt,

Nup Atarneus rogitabat Putacon hoſpes
Hyrradij natum, quem Nitylena tulit.
Chare ſenex, gemina inuitat me teda puella,
Vna mihi par eſt gẽte, ſimulq; opibus:
Altera ſed p̃ſtat.tu fare qđ expedit oro,
Ducẽda ĩ thalamos vtra mihi vxor erit?
Dixerat. ille breui elato, ſenis arma, bacillo,
Ecce,ait,hi totã rẽ, mihi crede, docent:
Illi autẽ celeres ſcuticis leuioribus orbes
Gyrabant latis in triuiis pueri.
I,ſequere illorum veſtigia,dicit.& ille.
Accedit,recinunt,tu tibi ſume parem.
Hæc vbi deprendit, iuuenum æquis luſibus hoſpes
Commonitus,magnis ædibus abſtinuit,
Ac tenuẽ modicas vxorem duxit in ædes.

Ergo Dion posthac tu tibi sume parẽ. Dionemq; itidẽ admonet facere, parem vt eligat. Videtur autẽ ex affectu ita dixisse. Nam nobiliorẽ ipse duxerat Draconis filij Penthili sororẽ, quæ illi immodice superba erat. Hunc Alcæus σαράποδα, & σάραπον vocat, quòd latos pedes traheret. χειροπόδην autẽ, quòd vulnera in pedibus haberet, quæ χειράδες appellãtur. γαύρικα, quòd frustra intumesceret. Physonẽ verò & gastronem, quòd pingui esset aqualiculo. ζοφοροδορπίδαν quoq;, quòd obtusam haberet oculorum aciem. Agasyrtum verò, quòd obtrectatoribus pateret, & sordidus esset. Huic exercitium fuit molendi tritici, vt Clearchus philosophus testatur. Est autem eius breuis epistola huiusmodi.

ζοφοροδορπίδαν

Plutarchus dictum putat quòd sordidis compotatiunculis gauderet.

PITTACVS CROESO.

IVBES me in Lydiã venire spectatũ opes tuas. Ego, etsi illas minimè aspexi, nihil ambigo, Alyattis filiũ regũ omniũ esse opulentissimũ, auroq; refertissimũ. Neq; verò amplius quicquam habituri sumus, si Sardis ad te accesserimus. Auro enim ipsi non indigemus, contenti modico vitæ stipendio, quantum satis sit mihi, & amicis. Veniã tamen, vt tibi perhumano & hospitali viro familiaris efficiar. Vale.

BIAS PRIENAEVS.

Bianti Prienæo pater fuit Teutamus. Hunc Satyrus septem reliquis prætulit. fuisse opulentũ pleriq; autumant. Duris aduenã fuisse testatur. Phanodicus verò, captiuas eum puellas redemisse Messenias, sibiq; in filias nutrisse, ac postea adiectis dotibus, Messanã parẽtibus illas remisisse. Breui pòst inuento Athenis, vt diximus, à piscatoribus aureo tripode, cui erat inscriptum, Sapienti, Satyrus quidẽ puellas, alij verò ex quibus Phanodicus est, illarum patrem in concione venisse ait, Biantemq; expositis quæ in se egisset, appellasse sapientem, sicq; tripoda ad eũ missum, eo conspecto dixisse Biantẽ, Apollinẽ esse sapientem, neq; illum admisisse. Alij Thebis Herculi sacrasse ferũt, quòd illinc esset oriundus, Prieneq; Thebanorum colonia, Phanodico idipsum asserente. Fertur cùm ab Alyatte Priene ipsius patria obsideretur, Biantẽ ex industria duos saginasse mulos, eosq; in castra impulisse, eis conspectis obstupuisse regem, quòd bruta quoq; animalia tã nitidè haberẽt, ac de soluẽda obsidione cogitantẽ, explorandi gratia nuntium in vrbem misisse. Biantem consilio regis explorato, magnos arenæ aceruos

tritico operuiſſe, hominiq; oſtendiſſe, eo agnito regem cũ Prienẽſibus pacem percuſsiſſe, moxq́; regem Bianti, vt ad ſe veniret mãdaſſe, illumq́; dixiſſe, Equidẽ Alyattem* cepas edere ac flere iubeo. Fertur & in cauſis orandis ſumus, atq; vehementiſſimus fuiſſe, bonã tamen in partẽ dicendi vim exercere ſolitũ. Idq́; Demodicũ Aleriũ ſignificaſſe cùm diceret, Oratori Prienæam cauſam eſſe imitandam. Hipponactemq́; ſimiliter, qui dum laudare quempiam ſummæ integritatis vellet, cũ Biante Prienenſi ait cauſas egiſſe præſtantius. Mortuus eſt & ipſe in hunc modum: Cauſam pro amico dixerat iam vetulus, & cùm à dicendi labore quieuiſſet, caput in ſinu nepotis ex filia feſſus reclinauit. Cùm verò aduerſarius itidem peroraſſet, iudicesq́; ſententiam pro eo tuliſſent, qui cauſæ ſuæ Biantem habuerat patronum, ſoluto iudicio, nepotis in gremio efflauiſſe animam cõpertus eſt, ipſumq́; magnificè ſepeliuit ciuitas, atq; eius laudes tumulo inſcripſit:

* κρόμμια ἐσθί in prouerbiali figura, pro extremo cõtemptu.

Κλεινοῖς ἐν δαπέδοισι Πριήνης φύντα καλύπτει

Ἥδε Βίαντα πέτρη κόσμον ἰωσι μέγαν.

hoc eſt,

Petra Prieneũ tegit hęc bene culta Biãtẽ,

Ornam.

Ornamentum ingens qui fuit Ioniis.

Eſt & noſtrum in eundem:

Τῇδε Βίαντα κέκευθε, τὸν ἀτρέμας ἤγαγεν Ἑρμῆς
Εἰς ἀΐδην πολιῷ γήραϊ νιφόμενον.
Εἶπε γὰρ εἶπε δίκην ἑτάρου τινὸς, εἶτ' ἀποκλινθεὶς
Παιδὸς ἐς ἀγκαλίδας μακρὸν ἔτεινεν ὕπνον. hoc eſt,

Hic ſitus eſt Bias, Hermes quem duxit ad Orcum
Albentem niueis tempora cana pilis.
Vt cauſam dixit ſocij, inclinatꝰ in vlnas
Mox pueri, ſomnũ ſoluitur in tenuẽ.

Scripſit autẽ de Ionia ad duo millia verſuum, qua nam ratione quis felix eſſe poſſet. Placuerunt eius iſtæ in primis ſententiæ, Ciuibus placere omnibus ſtudet: habet enim id multum gratiæ. Contrà verò faſtus, ac ſuperbia ſemper nocuit. Et illud: Corpore quidem eſſe validũ, naturæ munus eſt. Porrò quæ vtilia ſint patriæ dicere, animi & prudentiæ propriũ. pecuniarũ autem copia etiã plurimis fortè obueniſſe. Infelicẽ dicebat, qui ferre nequiret infelicitatem: morbumq; animæ impoſsibilia amare, & appetere, alieni verò incõmodi non meminiſſe. Interrogatus quidnã eſſet

difficile, ferre, inquit, fortiter mutationẽ rerum in deterius. Nauigabat cũ impiis aliquãdo, & cùm tota tẽpestate nauis quateretur fluctibus, illiq; deos inuocarẽt, Silete, inquit, ne vos hic illi nauigare sentiant. Percontãti impio homini quid esset pietas, nihil respõdit: cumq; ille silẽtij causam sciscitaretur: quia, inquit, de rebus nihil ad te pertinentibus quæris. Rogatus quid esset dulce hominibus, spes ait. Malle se inter inimicos, quàm inter amicos iudicare dicebat. Quippe ex amicis alterum prorsus futurum inimicũ, ex inimicis autem alterum amicum. Fortè interrogatus quidnam faciens homo delectaretur, Lucrans, inquit. Dicebat vitæ tempus ita metiẽdum, quasi & diu, & parũ victuri simus. ita amãdũ quasi odio simus habituri, malos enim esse plurimos.

Cicero in Lælio hanc sententiam Biantis esse negat, quod sapiente viro sit plane indigna.

Sic autẽ consulebat, Si quid agere instituis, lentè id aggredere: cæterũ in eo quod elegeris, firmiter persiste. Noli citò loqui, est enim insaniæ indicium. Prudentiam dilige. De diis ita vt sunt loquere. Indignum hominem diuitiarum gratia laudare noli. Persuadens accipe, non cogens. Quicquid boni egeris, in deos refert. Viaticũ tibi ab adolescentia ad senectutẽ sapientiã compara, ea quippe

sola

ſola eſt certa veraq; poſſeſsio. Meminit Biantis,vt diximus,etiam Hipponax,& inſuauis Heraclitus ipſum præcipuè cõmendat his verbis:Priene oppidũ Biantẽ tulit, Teutami filium,cuius eſt opinio illuſtrior quàm cæterorũ.Et Prienæ ſacellũ ipſi dedicarunt quod Teutamiũ dicitur. Eius eſt ſententia : Plures mali ſunt.Huius etiã feruntur eſſe ſententiæ,Quicquid propoſueris,firmiter ſeruans perſeuera.Duo maximè contraria ſunt cõſilio,ira ſcilicet & feſtinatio. Diu deliberatos amicos elige, eoſq; vno affectu,non vno habeas merito. Amicos ſequere quos non pudeat elegiſſe.Amici vitam,tuam puta gloriam.

Hæc uidẽtur aſſuta, nã in Græco codice non habebantur.

CLEOBVLVS.

CLeobulus Euagare filius,ex Lindo,ſiue vt Duris autor eſt, ex Caria fuit. Eius genus pleriq; ad Herculem referũt. Corporis viribus, ac forma fuiſſe inſignẽ, Aegyptumq; percipiẽdæ philoſophiæ gratia petiiſſe tradũt.Natamq, illi filiã Cleobulinã hexametrorũ ænigmatum vatẽ, cuius & Cratinus meminit in eiuſdẽ nominis poëmate, plurali inſcribens numero. Sed & Mineruæ phanum à Danato cõſtructum,illum inſtauraſſe aiunt.Scripſit autẽ carmina, obſcuraſq; ſententias ad tria mi-

lia verſuum. Midæ quoque Mauſoleo inſcriptum epigramma ab eo factum, non deſunt qui ſentiant.

In collectaneis Græcorũ epigrammatũ circunfertur hoc carmen Homeri titulo.

Χαλκῆ παρθένος εἰμὶ, μίδου δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι.
Ἔς τ' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ
Ἠέλιός τ' ἀνιὼν λάμπῃ, λαμπρά τε σελήνη
Καὶ ποταμοὶ ῥέωσιν ἀνακλύζῃ τε θάλασσα
Αὐτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύστῳ ἐπὶ τύμβῳ.
Ἀγγελέω παριοῦσι, Μίδας ὅτι τῇδε τέθαπται.

hoc eſt,

Aenea ſum virgo, Midæ quæ iucumbo ſepulchro.
Dum fluit vnda leuis, ſublimis naſcitur arbor,
Dũ ſol exoriẽs,& ſplẽdida luna relucet,
Dũ fluuij labũtur,inũdãt littora fluctus,
Hic conſtanter ago lacrymiſq; in marmore tincto
Fixa, Midam moneo hic tumulatum chare viator.

Innitũtur autẽ Simonidis teſtimonio, qui vituperare videntur,quòd tantas laudes in eius ſtatuã tanto verborũ ſtrepitu cõgeſſerit,vt eam indeficientibus omnibus vernis floribus, ſoliſq; flammis, & aureæ Lunæ, & æquoreis vndis comparauerit, ipſumq;

Cleob

Cleobulum apertè fatuum appellat. Vnde constat Homeri illud non esse, qui multis annis Midam præcessit, vt aiunt. Fertur in commentariis Pamphilæ ipsius huiusmodi ænigma:

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα. τῶνδε ἑκάστῳ
Παῖδες τριήκοντα διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι.
Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι
Ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.
hoc est,

Est genitor, proles cui sit bissena, sed horũ
Cuius triginta natæ, sed dispare forma.
Hæ niueis totæ, fuscis sed vultibus illæ,
Atq; immortales cum sint moriuntur ad vnam.

Est autem annus. Sunt & istæ ex sententiis illius celebres, Imperitia in omnibus maiori ex parte dominatur, & multitudo verborum. Sed tẽpus sufficiet. Sentire atq; sapere illustre aliquid & inclytũ stude. Inanis, & ingratus ne sis. Filias nuptui locari oportere ætate virgines, sed prudentia & sensu mulieres, docẽs per id virgines, quoque erudiendas esse. Dicebat amicos beneficiis fouẽdos vt amicitiores sint, inimicos autẽ amicos faciendos. Cauendã enim calumniam amicorum, insidiasq; inimi-

corum fugiendas. Illud item antequam domo quis exeat quid acturus sit, apud se pertractet. Rursus cùm redierit quid egerit recogitet. Consulebatq; corpus ritè exercendum. Audiendi magis quàm loquendi studiosum esse oportere. Intentum studiis potius, quàm indoctum. Linguam nō maledicam esse debere. Proprium virtutis, esse alienum à vitio, iniustitiam fugere. Ciuitati ea consulenda quæ sunt optima. Voluptatem frænandam. Vi nihil agendum, erudiendos liberos, inimicitias soluendas. Cum muliere neque blanditiis agendum, neque præsentibus extraneis iurgandum. Illud quippe vecordiam, istud vesaniam significare. Famulum vino hilarem non puniendum, videri enim id dementius esse. Vxorem sibi parem eligendam. Nam si clariorem te duxeris, inquit, affines dominos habebis. Iis qui conuiciis perstringuntur non insultandum, inimicos quippe ex ea irrisione fieri. Dum secunda fortuna arridet, superbire noli. aduersa perstrepente noli frangi. Fortunæ mutationes fortiter perferre disce. Obiit senex annorum LXX. eiúsque laudes tumulo inscriptum epigramma continet.

Idem Pittaco tribuitur, vt in eius vita abūde dictū est.

Ανδρας

*Ανδρασοφὸν Κλεόβουλον ἀποφθίμενον κα-
ταπονθεῖ*
Ηδε πάτρα Λίνδος πόντῳ ἀγαλλομένη.
hoc eſt,
Extinctũ luget Cleobulũpatria Lindus,
Patria quæ medio eſt vndique cincta mari.

Scripſit & ipſe breuẽ epiſtolã Saloni ſic:

CLEOBVLVS SOLONI.

AMICI quidẽ tibi ſunt permulti,ſin gulisq; domus eſt.verum ego Soloni commodiſsimam fore ad inhabitandum Lindum cenſeo ciuitatem liberam.Eſtq; inſula maritima,vbi ſi morari volueris, nihil à Piſiſtrato mali formidabis,atq; ad te amici vndique confluent. Vale.

PERIANDER Corinthius.

PEriandro Corinthio Cypſelus pater fuit ex Heraclidarum gente. Vxorem autem Lyſiden duxit,quam ipſe Meliſſam appellabat,Proclei Epidaurenſium tyranni,& Eriſteneæ Ariſtocratis filiæ ſororisq; Ariſtodemi filiam, qui, vt ait Heraclides Ponticus in libro de Principatu,totius ferme Arcadiæ dominabantur.Duos ex ea filios genuit,Cypſelum & Lycophronẽ:alterum ex his iuniorem prudẽtem, maiorem

natu stolidum. Post aliquantum temporis accensus ira, missam sub gradus prægnantem coniugem, calcibus percussit, ac necauit, pellicum persuasus calũniis, quas tamen postea igne cremauit, puerumque Lycophrona matri fletu iusta soluentem abdicauit, atq; in Corcyram agi præcepit: iam verò vicinus senio illum vt ei tyranni dem per manus daret, ad se accersiri iussit. Eius deprehenso consilio Corcyrenses inuicem interemerunt. Hoc ille comperto, furiis succẽsus, eorum liberos ad Alyatten præsecandos misit. Cùm autem nauis appropinquasset Samo, Iunoni vota facientes, à Samiis seruati sunt. Quod ille vbi di dicit, mœrore confectus excessit è vita, annos natus ferme octoginta. Sosicrates eum ante Crœsum obiisse diem asserit, L X. & vno annis, ante quadragesimã nonã Olympiadem. Hũc Herodotus in primo Histor. Trasybuli Milesiorum tyranni hospitem fuisse ait. Aristippus autẽ in primo de Antiq. delic. libro, hæc de illo refert: matrem eius Crateam illius amore feruentẽ, clàm congredi solitam, illo non inuito tantoq; flagitio acquiescente. Quod vbi cognitum est, dolens se fuisse deprehensum, grauius iam ciuibus instabat. Porrò Ephorus in

histor

historia nouisse illum tradit, si Olympia quadriga vicisset, aureã statuam deo sacraturum, victoria verò potitũ & auro egentem, quadam celebritate populari, mulieribus procedentibus ornatis, mundum ademisse muliebrem, atq; ita donarium misisse asserunt. Illum cũ sepulcrum suũ ignorari vellet, tale quippiam molitũ, duobus iuuenibus viam quẽdam ostendisse, ac iussisse noctu per illam incederẽt, cumq; qui primus occurrisset, interimerent ac sepelirẽt: postq; illos quatuor alios misisse, qui eos necarent ac sepulturæ traderent. Rursus cõtra eos misisse plures, itidemq; vt facerẽt imperasse, atq; ita ipsum primis obuium, occisum esse. Enimuero Corinthij cenotaphium illius versibus illustrarunt.

Πλούτου καὶ σοφίης πρύτανιν πατρὶς ἥδε Κόρινθος
Κόλποις ἀγχιάλοις γῆ Περίανδρον ἔχει.

hoc est,

Et sophia & nummis Periandrum terra Corinthus
Clarum, littoreo continet alma sinu.

Extat & nostrum in eundem,

Μή ποτε λυπήσῃ σε τὸ μὴ δέ τυχεῖν τινός. ἀλλὰ
Τέρπεο πᾶσιν ὁμῶς οἷσι δίδωσι θεός.

Καὶ

Καὶ γὰρ ἀθυμήσας ὁ σοφὸς Περίανδρος ἀπέσβη
Οὕνεκεν οὐκ ἔτυχεν πρήξιος ἧς ἔθελεν.

hoc est,

Ne tibi iã doleat si nõ optata sequaris,
Sed iuuet id superi quod tribuere Dei.
Nam sapiens stygias Periander cesit ad vmbras
Extinctus, quòd non quæ voluit, valuit.

Huius illud est. Nihil pecuniarum gratia agendum. Oportere enim aliàs modò qui honestus non sit, lucrari. Scripsit & ὑποθήκας ad duo milia versuum. Dicebat his qui tutò regnare vellent, summa ope nitendum, vt beneuolentia, nõ armis stiparentur. Rogatus aliquando cur in tyrannide persisteret, quia, inquit, & sponte & inuitum cedere æquè periculosum est. Dixit & hæc, Bona res est quies, ac periculosa temeritas. Turpe lucrum. Populi administratio tyrannide præstantior est. Voluptates corruptibiles sunt, honores immortales. Inter secundas res esto moderatus, inter aduersas prudens. Amicis & felicibus & infelicibus eundẽ te præbe. Quodcunq; pollicitus fueris, serua. Inter loquendum caue ne secreta pronuncies. Non peccantes modò, verum & peccare gestiẽtes punito.

Prim

Primus hic armatis circunſeptus inceſsit, magiſtratumq́; ad tyrannidem tranſtulit, neq; in vrbe viuere quoſuis permittebat, vt Ephorus & Ariſtoteles tradunt. Claruit autem circa trigeſimam octauam olympiadem, exercuitq́; tyrannidem annos XL. Porrò Sotion atque Heraclides & Pamphila in v. Cōment. duos aiunt fuiſſe Periandros, tyrannum alterum, alterum verò ſapientem, eumq́; Ambrociotem. Quin eos Neanthes quoque Cyzicenus ait patrueles ſibi inuicem fuiſſe. Porrò Ariſtoteles Corinthium aſſerit fuiſſe ſapientem, Plato negat. Ipſius & hoc eſt: * Exercitatio poteſt omnia, nam & Iſthmum quoque potuit perfodere. Ipſius aliquot feruntur epiſtolæ, cuiuſmodi hæc eſt.

* μελέτη *cura, & labor qui vt ait Maro, omnia vincit.*

PERIANDER SAPIENTIBVS.

GRATIAS immortales ago Pythio Apollini, quòd in vnum coactos epiſtolæ meæ repererunt, ipſæq́; Corinthum, vt cōfido, perducent. Expecto itaque vos. Certè ipſi videbitis quàm ciuiliter vos excipiam. Sicut igitur anno præterito Sardis in Lydiam veniſtis, ita nūc oro ne pigeat ad me quoq; proficiſci Corinthi tyrānum. Videbunt enim vos non ſine gratulatione Corinthij Periandri domum adeuntes.

PERI

PERIANDER PROCLEO.

NOBIS quidem nõ ex sententia fuit vxoris scelus. Tu autẽ sponte filio ingrato si quid egeris, peccas. Aut igitur immanitatem in filium compesce, aut ego illi opem feram. Nam & ipse satis diu pœnas dedit.

TRASYBVLVS PERIANDRO.

PRAECONI quidem tuo nihil dissimulaui, sed ipsum in segetem inducens, eminentiores spicas bacillo feriens decutiebam, subsequente illo, tibiq;, si interrogares, referret quicquid vel viderit vel audierit à me. Tu ergo sic facito, si quidem tyrannidem tutò tenere cupis, atque in ea cõstabiliri, ciuitatis principes tolle, siue illi amici, siue inimici videãtur. Quippe tyranno amici quoq; sæpe suspecti sunt.

ANACHARSIS SCYTHA.

ANacharsis Scytha Gnuri quidẽ filius, Caduidæ verò Scytharum regis frater, matre Græca fuit, quãobrem & vtriusque linguæ peritus erat. Scripsit autem & de Scytharum legibus, & de his quæ apud Græcos legitima & solennia sunt, ad frugaliorem ac viliorem victum, itemq; de re bellica ad nongentos versus. Præstitit prouerbij occasionem, eò quòd esset audax & constans in dicendo, vt qui eius constantiã

imit

imitaretur,* Scythicum dicendi genus diceretur imitatus. Eum Soſicrates Athenas cõceſsiſſe x L. & v I I. olympiade, ſub Eucrate principe tradidit. Porrò Hermippus Solonis iniſſe domum,& cuidam ex familia iuſsiſſe nuntiaret ei Anacharſim adeſſe pro foribus,vt illius cõſpectu & hoſpitio, ſi fieri poſſet,frueretur,puerum intus hæc nuntiaſſe Soloni,eiusq; iuſſu hęc illi renũtiaſſe,in propriis regionibus hoſpites fieri. Ad hæc introgreſſum dixiſſe Anacharſim, modò ſe eſſe in patria,atq; ad ſe pertinere hoſpites facere.Eam viri dexteritatẽ admiratum Solonem,cõtinuò illũ admiſiſſe, & arctiſsimis amicitiæ vinculis ſibi deuinxiſſe.Poſt aliquãtulũ temporis regreſſum in Scythiã, cùm patrias leges immutare vellet,Græcasq; toto conatu niteretur inducere,in venatu à fratre ſagitta percuſſum interiſſe, dicentem, Sermonis & diſciplinæ gratia ſe ex Græcia ſeruatum, per inuidiã in domo & patria periiſſe.Quidam Gręco ritu ſacrificantem occiſum tradunt.Eſt autem noſtrum in illum epigramma,

τὴν ἀπὸ σκυθῶν ῥῆσιν hoc eſt, Scytharũ orationẽ, eo antem pronuntiatũ verbũ vice vtitur Lucianus & Aelianus in epiſtolis.

Ες Σκυθίην Ανάχαρσις ὅτ' ἤλυθε πολλὰ μογήσας
Πάντας ἔπειθε βιοῦν ἤθεσιν ἑλλαδικοῖς.
Τὸν δ' ἔτι μῦθον ἄκραντον ἐνὶ στομάτεσιν ἔχοντα

Πτηνὸς ἐς ἀθανάτους ἥρπασεν ὠκα δόναξ.

Hoc est,

In Scythiam patrias rediens Anacharsis ad oras.

Orabat Græco viuere more suos.

Vix ea cum summo infelix versaret in ore.

Verba, senẽ superis dira sagitta dedit.

Huius illud dictum memoratur: Vitem vuas tres ferre, primam voluptatis, secundam ebrietatis, tertiam mœroris. Mirari se dixit, quomodo apud Græcos artifices certarent, iudicarentq; qui artifices nõ essent. Rogatus quo pacto quis abstemius fieret, si turpes, inquit, ebriosorum motus sibi ante oculos ponat. Mirari item se dicebat, quinam fieret, vt Græci aduersus eos qui iniuriis lacessunt legem ferentes, athletas, cùm se inuicem feriũt, honorant. Cùm didicisset quatuor digitos nauis esse crassitudinem, tantum, inquit, à morte absunt qui nauigant. Oleum vesaniæ pharmacum dixit, quòd eo vncti athletæ, contra se mutuo magis insanirent. Quî fit, inquit, vt qui mentiri vetant, in cauponum tabernis apertè mentiantur? Mirari se dixit, cur Græci initio conuiuij paruis poculis vterentur, vbi verò saturati essent, maio-

ribus,

ribus. Inscribitur autem ipsius imaginibus, lingua, ventre, pudendis continendum est. Rogatus an in Scythia sint tibiæ, ne vites quidem inquit. Percōtanti quæ nam esset securissima nauis, ea, inquit, quæ in portum venerit. Istud quoque se apud Græcos mirabile vidisse referebat, quòd fumum in montibus relinquerent, ligna in vrbem conueherent. Interroganti, vtrum plures sint viui quàm mortui, nauigantes, inquit, vtra in parte constituis? Exprobanti sibi Attico, quòd Scytha esset, at mihi, ait, dedecori est patria, sed patriæ tu. Rogatus, quid nam esset hominibus bonum ac malum, lingua, inquit. Melius aiebat, est amicum vnum egregium, quàm gregarios multos possidere. Forum ad fallendum inuicem, atq; ad dandas auaritiæ manus destinatum locum dicebat. Ab adolescēte in conuiuio passus contumeliam, adolescens, inquit, si modò cùm iuuenis es vinum nō fers, quando senueris aquam feres. Inuenit, vt quidam volunt, ad vitæ vsum anchoram & figuli rotam. Scripsit & hanc epistolam.

ANACHARSIS CROESO.

EGO, Lydorum rex, in Græciam adueni, Græcorum mores & studia & instituta percepturus. Auro autem nihil

egeo, satisque mihi est, vt ad Scythas redeam melior atque doctior. Veniam tamen ad te Sardis, plurimi faciens tibi familiarem & amicum fieri.

MYSON.

MYson Strymonis filius, vt ait Sosicrates, Cheneus genere, Hermippo autore traditur, à vico Oetæo siue Laconico sic dictus, numeraturq; inter septem sapientes. Aiunt eius patrem tyrannum fuisse. Fertur à quodam Pithiam, cùm ab Anacharside quæreretur, quis nam se esset sapientior, respondisse, vt de Chilone prædiximus in Thaletis vita, Oethæum quendam Mysonem Cheneum se sapiētiorem esse. hoc illum oraculo solicitatum, ad vicum peruenisse, eúmque reperisse æstate, stiuam aratro aptantem, ac dixisse, Atqui ó Myson, nō aratro vacandi nunc tempus est. illumq; respondisse, Imo satis tempestiuum ad illud parandum. Alij oraculum illud non Octæum, sed Eteon dixisse autumant, inquirúntque quid sit Eteus. Parmenides quidem pagum esse Laconiæ vnde fuerit Myson, Sosicrates verò in successionibus patre Eteum, matre Cheneum fuisse tradit. Eutyphron Heraclidis Pōtici filius Cretem asserit, esse enim in Creta oppid

Eteon Attice oppidum Plinius, & ἐτεὰς Laconicæ Stephanus per e psilon scribunt, non œ diphthongum.

oppidum Etean. Anaxilaus Arcadem tradit. Meminit ipſius & Hpponax dicens, Et Miſo quem virorum omnium ſapientiſsimũ Apollo prædicauit. Ariſtoxenus in varia hiſtoria, hunc ab Apemanti & Timonis moribus non multùm obfuiſſe teſtis eſt, quippe qui hominum oſor fuerit, quiq́ue deprehenſus Lacædemone ſolus in ſolitudine riſerit. Cùm ab eo rogaretur qui eum de improuiſo deprehenderat, cur nemine præſente rideret. At ob hoc ipſum rideo, dixiſſe. Ex hoc habitum ignobilem, quod non ex vrbe, ſed ex vico, eóque obſcuro natus eſſet, obq́ue eam ignobilitatem, quæ ipſius ſunt à pleriſque Piſiſtrato tyranno attribui, idem Ariſtox. autor eſt, præter Plat. philoſophum. Nam meminit illius in Protagora, illum pro Periandro conſtituens. Dicebat autem, Non ex verbis res, ſed ex rebus verba eſſe inquirenda, neque propter verba res perfici, ſed rerum gratia verba conſumari. Defunctus eſt autem ætatis anno XCVII.

EPIMENIDES.

EPimenides, vt ait Theopompus, aliiq́ue complures, patrem habuit Phæſtium, alij Doſiadem, alij Ageſarcum tradunt. Cretenſis genere, Gnoſo oriundus,

vbi ex vici natura effigiem mutasse perhibetur. Missus enim aliquando à patre ouē rure deferret, meridiano tempore diuertit ex itinere, atq; in spelunca, L V I I. annos perpetuos obdormiuit. Dehinc somno excitatus quærebat ouē, putabat enim se parum obdormisse. Quam cùm nō inuenisset, in agrū reuertitur. Cùm verò rerum omnium faciem immutatam cerneret, agrumq; in alterius ius cōcessisse, stupore attonitus, & dubius rediit in oppidū. Ibi cùm domū suam vellet ingredi, quisnam esset interrogatus, vixq; agnitus à iuniore fratre iam vetulo omnē ex illo didicit rei veritatem. Porrò illius fama per Græciam volante, Deo esse charissimus existimatus est. Vnde & Athenienses cùm aliquādo peste laborarent, responso à Pythia accepto, vrbem expiari oportere. Niciam Nicerati filium naui misere, Epimenidemq; ex Creta aduocarunt. Profectus autē olympiade X X V I I. lustrauit vrbem, pestemq; compescuit, hoc modo. Sumpsit oues nigro & candido vellere, duxitq; in Arium pagum, atq; inde quò vellent abire permisit, his qui illas sequebātur mandans, vbicunq; illæ accubuissent, singulas mactarent peculiari cuipiam Deo, atq; in hunc

hunc modum quieuit lues. Ex eo iam hodieq; per Atheniensiũ pagos, aras sine nomine inueniri certum est, in eius quæ tũc facta est expiationis memoriam. Alij causam dixisse pestis Cylonium * scelus, liberationemq; significasse, atq; ideo mortuos duos adolescentes Cratinum & Ctesibium, atque ita cladem quieuisse. Athenienses ea pernicie liberi, homini talentũ decernunt, & nauim quæ illum in Cretam reueheret. Verùm ille pecunia repudiata, amicitiam & societatem Atheniensium, & Gnosiorũ impetrauit, reuersusq; domum, paruo pòst tempore migrauit è vita, ætatis suæ anno centesimo quinquagesimo septimo, vt ait Phasgo in libro de longæuis: sicut autem Cretenses tradunt, ducentesimo nonagesimo nono. Xenophanes verò Colophonius audisse se dixit, centesimo quinquagesimoquarto. Scripsit autem Curetum, & Corybantum generationem, & theogoniam ad quinq; millia versuum. Argus quoque nauis apparatum & structuram, & Iasonis in Colchon nauigationẽ, ad sex millia & quingentos versus. Scripsit & prosa oratione de sacrificiis & Repub. Cretensium, ac præterea de Minoë, & Radamãtho, ad quatuor millia

* ἄγος piaculum à Cylone, extractũ ex σεμνῶν dearum asylo. Pericles interfecit.

versuum. Construxit & apud Athenienses phanum * verendorũ Deorum, vt ait Lobon Argiuus in libro de Poëtis. Fertur etiam primus domus atque agros expiasse, delubraq́; erexisse. Sunt qui illum non obdormisse, sed ad tempus expatiatum asseuerent, intentum videlicet radicibus secandis. Extat ipsius ad Solonem conditorem legum epistola de ea Rep. quàm Minos Cretensibus tradidit. Sed Demetrius Magnesius in libro de poëtis, ac scriptoribus æquiuocis, epistolam vt recentẽ neque Cretensi, sed Attica locutione, ipsaq́; non satis antiqua scriptam, arguere nititur, sit illa sanè recens, vt vult ipse. Ego & aliam ipsius epistolam reperi in hunc modum.

** σεμνῶν θεῶν, castarũ, & venerandarũ dearum. Sic enim appellantur apud Athenieses furiæ.*

EPIMENIDES SOLONI.

CONFIDE ô amicè. Si enim vel seruire assuetis, vel non bene institutis Atheniensibus Pisistratus immineret, imperium profectò diuturnũ habuisset: cæterùm viros haud sanè malos, aut ignauos seruire compulit, sed qui monitorum Solonis memores præ pudore ingemiscant, seruire tyrãnidi diutius haudquaquam ferent. Verùm etsi Pisistratus ciuitatem occuparit, non tamen ad illius liberos imperium

perium ſpero deducendum. Eſt enim perdifficile hominibus liberis præclarisq; inſtitutis legibus ſub ſeruitute durare. Tu autem noli quæſo vagus agi, ſed in Cretã venire ad nos matura, vbi tyrannus nullus cuiquam moleſtus eſt. Si verò illius amici fortè, vt fit, in itinere inciderint, metuo ne quid ſiniſtri tibi eueniat. Hæc ille.

Quidam Demetrio autore tradunt accipere ſolitum à nymphis cibum, eumq; intra bouis vngulam conditũ ſeruare paulatimq; inde ſumere, nullaq; exinde egeſtione indigere, neq; viſum vnquam edere. Meminit huius & Timæus in ſecunda. Sunt item qui dicant, Cretenſes illi ſacrificia offerre, vt Deo. Aiunt & diuinationis fuiſſe peritiſsimum. Siquidem cùm apud Athenienſes μυνωχίαν vidiſſet, ignorare eos dixiſſe quantarum cladium cauſa locus ille futurus eſſet, quod ſi ſcirent, dentibus illum diſcerpturos. Hæc autem prædixit multis antè tẽporibus. Fertur & primus ſe Aeacum dixiſſe, Lacedæmoniisq; prædixiſſe captiuitatẽ, quam paſſuri erant ab Arcadibus, ac ſeipſum reuiuiſcere ſæpe ſimulaſſe. Theopompus autem in mirabilibus refert, cùm nympharũ templum exædificaret, vocem è cœlo lapſam, Epi-

Munychia portus Atticæ, et tẽplũ Dianæ quæ inde μυνωχία appellatur.

menides, non nymphis, ſed Ioui dedicato. Cretenſibus item pronuntiaſſe belli exitum, quod inter Arcades, & Lacedæmonios agebatur, eumque prædiximus. Quo in bello deſerti ab Orchomeniis in ius hoſtium conceſſere. Senuiſſe illum intra tot dies, quot obdormiſſet annos, non deſunt qui aſſeuerāt, hoc enim Theopompus ait: Hunc à Cretenſibus Curetem appellari ſolitum, Myronianus in ſimilibus autor eſt. Corpus eius apud ſe Lacedæmonij ſeruant reſpōſo quodam admoniti, vt refert Soſib. Lacedæmon. Fuerunt alij duo Epimenides, genealogiæ ſcriptores, & tertius qui Doricè Rhodi hiſtoriam ſcripſit.

PHERECYDES.

PHerecydes Badis filius, Syrius, vt in ſucceſsionibus Alexander tradit, Pittaci auditor fuit. Eum Theopompus aſſerit primùm omnium de natura, & de Diis ſcripſiſſe. Plurima de illo & ſtupenda memorātur. Deambulantem enim ſecus littus * Pſamiū, cùm intuitus fuiſſet nauem plenis velis currentem, pòſt paulùm mergendam prædixiſſe, atque vt dixerat ſe inſpectante contigiſſe. Hauſtam rurſus aqua ex puteo cùm biberet, poſt diem tertium terræ

**τὸ ψάμμου ſcriptū erat in Græco codice, haud ſcio an mendosè.*

terræmotum futurum prædicasse, atq; ita factum esse. Cùm denuo Messanã ascendisset in Olympiam, Perilao hospiti consuluisse, cum tota familia inde migrare maturaret, neglexisse illum, Menassamq; paulò pòst captam ab hostibus fuisse. Lacedæmoniis solitum dicere, Neq; aurum, neque argentum honorandum, vt Theopompus in mirabilibus scribit. Præcepisse hoc sibi in somnis Herculem, quem & eadem nocte Regibus, Pherecydi vt obtemperarent, iussisse. Sunt qui Pythagoræ ista adscribant. Tradit Hermippus illum, cùm inter Ephesios atque Magnesios vigeret bellum, cuperetq; Ephesios vincere, quendam ex prætereuntibus interrogasse vnde esset, & cùm se ille Ephesiũ dixisset, adiecisse, Trahe me per crura, & in agro Magnesio pone, ciuibúsque tuis annuntia, vt parta victoria me in eo loco sepeliant, adiecítque se esse Pherecydem. Hæc vbi ille ciuibus renuntiauit, magna eos victoriæ incessit spes. Postridie verò cõmisso prælio, Magnesios fundunt, victoresq; Pherecydem ex vita migrasse cõperiunt, quem etiam sepelientes magnificè honorauerunt. Quidam profectũ Delphos è monte Corycio seipsum deiecisse aiunt, denique

sepult

ſepultum eſſe. Alij à pediculis conſumptum, obiiſſe diem tradunt. Ariſtoxenus verò cùm de Pythagora eiusq; familiaribus ſcriberet, refert illum cùm à Pythagora qui viſitandi gratia aduenerat, vt ſeſe haberet interrogatus eſſet, digitum immiſiſſe per ianuam ac dixiſſe, * Apertè inſpice: vnde ea vox poſtea à Philoſophis in malam partẽ accipi ſolita. Qui autem ea in meliorem partem vtuntur, peccant. Dicebátque Deos menſam θυωρὸν vocare. Porrò Andron Epheſius duos tradit fuiſſe Pherecydes Syros. Aſtrologum alterum, alterum theologum, Badis filium, cuius Pythagoras ſtudioſus fuerit. Eratoſthenes vnum tantum Syrium, alterũ Athenienſem genealogum fuiſſe aſſerit. Seruatur adhuc Pherecydis Syri, quem ſcripſit, libellus de rerum principio, cuius initium eſt: Iupiter quidem atque tempus idem, & Tellus erant ſemper. Terrenæ autem nomen fuit Telluri, poſtquàm ipſi Iupiter præmium dedit. Seruatur & heliotropium in Syra inſula. Refert autem Duris in ſecundo ſacrorum, inſcriptum eius tumulo hoc epigramma.

* χροὶ δῆλα, vel, vt alij legũt, χρωτὸς δῆλα, ex cute apparet. θυωρὶς ſacra menſa.

Τῆς σοφίης πάσης ἐν ἐμοὶ τέλος, ἦν δ᾽ ἔτι πλεῖον.
Πυθαγόρῃ τῷ μῷ λέγε ταῦθ᾽ ὅτι πρῶτος ἁπάντων,

Ἐγὼ

Ἐστὶν ἀν' Ἑλλάδα γῆν ὃ ψεύδομαι ὧδ' ἀγορεύων. hoc eſt,

Deſinit in me omnis ſapientia. prima quòd autem
Pythagoræ noſtro tribuatur palma, fatebor
Id, ſed ob hoc quia primus erat in gente Pelaſga.

Ion autem Chius de ipſo ſic ſcribit,

Ὣς ὁ μὲν ἠνορέῃ τε κεκασμένος, ἠδὲ καὶ αἰδοῖ
Καὶ φθίμενος ψυχῇ τερπνὸν ἔχει βίοτον,
Ὥσπερ Πυθαγόρης ἐτύμως, ὁ σοφὸς περὶ πάντων
Ἀνθρώπων γνώμας εἶδε καὶ ἐξέμαθεν.

hoc eſt,

Virtutum ornatus inſignibus atq; pudore
Hic animo viuit ſuauiter exanimis.
Atque, vt Pythagoræ ſapientia ſumma, virorum
Multorum mores vidit,& edidicit.

Eſt & noſtrũ ſic ſe habens, carmine Pherecratio.

Τὸν κλεινὸν Φερεκύδην
Ὃν τίκτει ποτὲ Σύρος
Ἐς φθεῖρας λόγος ἐστὶν,
Ἀλλάξαι τὸ πρὶν εἶδος,
Θεῖναι τ' εὐθὺ κελεύειν
Μαγνήτων ἵνα νίκην

Δοίη τοῖς Ἐφέσοις
Γενναίοις πολίταις
Ἦν γὰρ χρησμὸς ὃν ᾔδει
Μοῦνος τοῦτο κελεύων,
Καὶ θνήσκει παρ᾽ ἐκείνοις
Ἄρ᾽ οὖν τοῦτ᾽ ἄρ᾽ ἀληθὲς
Ἦν εἴτις σοφὸς ὄντως,
Καὶ ζῶν ἐστὶν ὄνησις
Χ᾽ ὥταν μηδὲν ὑπάρχῃ. hoc eſt,

Inſignis Pherecydes
Syros quem parit olim,
Turpes in pedicillos
Permutaſſe priorem
Formam dicitur, atque
Magnetum in regionem
Se iuſsiſſe trahi, quo
Donaret generoſis
Palmam illuſtrem Epheſinis.
Oraclum fuerat, quod
Solus nouerat ipſe
Hoc mandans, moriturq;
Lætus ſic apud illos.
Verùm eſt hoc igitur, quòd.
Si verè eſt ſapiens quis
Viuus vtilis vſque
Extinctusq; iuuabit.

Aliorum etiam in eum feruntur epigrammata. Fuit autem circa ſexageſimam

nonam.

nonam olympiadem. Eſt eius quoque ad Thaletem huiuſmodi epiſtola.

PHERECYDES THALETI.

BENE moriaris, cùm tibi fatalis dies ſuperuenerit. Morbus me inuaſerat cùm tuas accepi literas, pediculis operiebar, & febri quatiebar totus. Mandaui itaq; quibuſdam ex familiaribus, vt cùm me ſepelierint, ad te perferant quæ ſcripſi. Tu autem ſiquidem ea probaueris cum ſapientibus reliquis, ita legenda demum tradas: ſin autem improbaueris, nolito edere. Mihi certè necdum ſatis placebant. Eſt ibi quidem non certa rerũ fides. Neque enim id recepi, neque quid ſit verum me ſcire profeſſus ſum. forte quædam de Theologia reſeruaui, cætera intelligere oportet. Omnia quippe indico potius, quàm aperio. Morbo autem diebus ſingulis inualeſcente, neq; medicorum quempiam, neq; amicorum penitus admitto. Cæterùm aſſiſtentibus pro foribus, & interrogantibus quo in ſtatu ſim, digito per oſtij clauſtra dimiſſo, quàm peſtilenti malo tenear, oſtendi: admonuiq; vt poſtridie conueniant ad ſolennes Pherecydis inferias. Vale.

Atq; hi ſunt qui appellati ſunt ſapientes, quibus plerique Piſiſtratum etiam tyrannum

rannum adſcribunt. Veniendum verò iam ad Philoſophos, ac primò inchoandum ab Ionica Philoſophia, cuius principem Thaletem fuiſſe memorauimus, Anaximandri præceptorem.

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHOrum vita,

LIBER II.

ANAXIMANDER.



NAXIMANDRO Mileſio Praxiades pater fuit. Huius eſt illud, Principium elementum immenſum hoc, & infinitum eſſe; non tamen definiens aëra, & aquam, aut aliud quippiam. Partes quidem eius immutari, totum verò immutabile. Durare medio loco terram centri inſtar cõſtitutam globoſamq; eſſe, & rotundã. Lunam * falsò lucere lumine, ſplendoremq; à Sole mutuari. Solem terræ æquare magnitudinem, & eſſe puriſsimũ ignem. Primus autẽ gnomonẽ inuenit, ipſumq; Lacedæmone in loco captãdæ vmbrę idoneo ſtatuit,

*ψευδοφαῆ.

ſtatuit, quò, vt ait Phauorinus in omnimoda hiſtoria, cõuerſiones Solis, & æquinoctia notaret. ὡροσκόπια quoq; fabricatus eſt: ac primus terræ, mariſq; *circuitus deſcripſit, & ſphærã inſuper conſtruxit. Quæ verò accõmoda ſibi viſa ſunt, ſummatim, prout memoriæ occurrebãt expoſuit. Apollodorus Athenienſis illum in Chronicis ait ſecundo anno LVIII. olympiadis, annum egiſſe ætatis ſexageſimũ quartũ, ac paulò pòſt obiiſſe diem. Floruiſſe autem maximè ſub Polycrate Samiorum tyranno. Aiunt eum canẽtem à pueris irriſum, eóque comperto dixiſſe, canendum ergò puerorum cauſa modulatius. Fuit & alius Anaximander hiſtoricus, & ipſe Mileſius Ionicus ſcriptor.

*περίμετρον.

ANAXIMENES.

ANaximenes Euryſtrati filius, Mileſius Anaximãdri auditor fuit. Quidã & Parmenidem audiſſe aſſerũt. Hic initiũ dixit aëra, & infinitũ. Moueri ſydera non ſupra terram, ſed circa terram. Vſus eſt autem Ionica locutione ſimplici & minime fucata. Sexageſima tertia olympiade natum eſſe, atq; eo anno quo Sardis capta ſit, obiiſſe diem, Apollodorus tradit. Fuerunt & alij duo Lampſaceni eius nomi-

nis,orator vnus,alter historicus,qui oratoris nepos Alexandri gesta conscripsit. Extat Philosophi Anaximenis epistola huiusmodi.

ANAXIMENES PYTHAGORAE.

THALES ab ætatis flore ad senectutem per studia virtutis humanitatisq; peruectus,inclyta morte defungitur. Is cùm, vt consueuerat, vnà cum ancillula sydera inspecturus atrio domus matutinus exisset,immemor vt sese loci situs haberet,dũ æthera securus explorat,in subiectã foueã cecidit. Milesij syderum obseruatoris hũc finem tradunt. Cæterùm nos qui literatũ amore tenemur tanti viri iugiter meminimus, atq; in illius maximè doctrina acquiescimus, initiúmque sermonis nostri Thaletem semper instituimus. Rursum alia ad eundem.

ANAXIMENES PYTHAGORAE.

CONSVLTIVS nobis egisti vt quietus viueres, qui ex Samo Crotonem commigrasti. Nam Aeacidæ cùm aliis infesti sunt,tum Milesiis*tyranni dominantur. Medorum item rex nobis acriter imminet, nisi velimus esse tributarij, quanquàm videntur Iones pro libertate omnium cum Medis dimicare. Ita enim illi

* *λεσχηνῶται, Io num lingua violenti & contumeliosi.*

illi nos vndique vrgent, vt nulla nobis ſpes ſalutis ſit. Quonam igitur animo poſsit Anaximenes cœli ſecreta rimari, cuius iugis aut mortis aut ſeruitutis incumbit metus? Atqui tu Crotoniatis atque Italis cæteris gratus atque in pretio es, quem accedunt & ex Sicilia ſtudioſi quique.

ANAXAGORAS.

Anaxagoras Hegeſibulo ſiue Eubulo patre, Clazomenius, Anaximenis fuit in primis ſtudioſus. Primus hic materiæ, quàm ὕλην appellant, mentẽ adiecit, in principio operis ſui ſic ſcribens: Omnia ſimul erant, deinde acceſsit mens, eaq; cõpoſuit, quamobrem & *mens ſiue animus dicitur. Timon hoc ipſum de Anaxagora fatetur, in Sillis, dixiſſe ſcilicet mentem, confuſis primo rebus acceſsiſſe, omniaq; compegiſſe ſimul, atque ordinaſſe. Timonis carmen ita habet

*νοῦς cognominatus eſt Anaxagoras.

Καὶ που̃ Ἀναξαγόρην φασ' ἔμμεναι ἄλκιμον ἥρω

Νοῦν, ὅτι δὴ νόος αὐτῷ, ὅς ἐξαπίνης ἐπαγείρας

Πάντα συνεσφήνωσεν ὁμοῦ τεταραγμένα πρόσθεν. hoc eſt,

Nunc vbi Anazagoras Mens eſt fortiſſimus heros.

Qui mẽtẽ ſubito, nã mẽs nõ defuit illi,
Compoſuiſſe putat, fuerant quæ incon
dita quondam.

Hic non modò generis gloria & opibus, verum animi quoq; magnitudine clariſsimus fuit. Quippe qui vniuerſum patrimonium ſuis ſponte conceſsit: quo cum ab eis inſimularetur negligentiæ, quid ergo, inquit, nónne vos iſta curatis? Demum ab eis profectus, ad ſpeculandã rerum naturã ſe contulit, rei & publicę & priuatæ omnino negligens: adeo vt cuidã ſe ita cõpellanti, Nulláne tibi patriæ cura eſt? dixerit, Mihi verò patriæ cura & quidem ſumma eſt, digitum in cœlum intẽdens. Fertur in Xerxis tranſitu annũ ætatis viceſimum egiſſe, vixiſséque annos L X I I. Apollodorus in chronicis floruiſſe eũ L X X. olympiade, ſeptuageſimæq; octauæ primo anno deceſſiſſe refert. Philoſophari Athenis cœperat ſub Callia, viceſimo ætatis anno. vt Demetrius Phalereus in deſcriptione * principũ refert. vbi & triginta annos cõmmoratum tradunt. Dicebat Solem candens ferrum eſſe, ac penitus ignitum, & Peloponneſo maiorem. Alij hoc ad Tantalum referunt. Lunam habitacula in ſe habere & colles & valles. Initia rerum ſimilitudines habere par-

* ἀρχόντων. *hi erant magiſtratus apud Athenienſes.*

re partium. Vt enim ex minutiſsimis, quæ vocantur, ramentis, aurũ conſtat, ita & ex paruis ſimilium partium corporibus, hoc totum eſſe cõpoſitũ, mentemq; initiumq; motus. Et grauia corpora inferiorẽ locũ, vt terram, leuia ſuperiorem obtinuiſſe, vt ignem, medium aëri atq; humori diſtributum. Ita enim ſuper terræ latitudinẽ mare ſubſiſtere, humoribus à ſole in vaporẽ conuerſis. Sydera principio quidem turbato & confuſo motu fieri ſolita, ita ſecũdum terræ verticem, eum qui ſemper apparet polum verſari, poſtea verò inclinationem accepiſſe. Lacteum orbem reflexum eſſe ſolaris luminis nõ intermicantibus aſtris. Cometas errantium ſtellarum eſſe cõcurſum flammas ex ſe emittentiũ, eosq; veluti ſcintillas ab aëre vibrari. Ventos fieri, cum aër à ſole tenuatur. Tonitrua nubium eſſe colliſionẽ, coruſcationes cõfricationem itidem nubium, terræmotus *ſucceſsionem aëris in terram. Animantes *Ὑπονό-
primò ex humore & calore, terraq; manaſ στησιν.
ſe, poſtea ex inuicem natas eſſe, mares à dextris, fœminasq; à ſiniſtris. Aiunt illum prædixiſſe eum qui circa Aegos fluuium contigit lapidis lapſum, quem ex ſole caſurum dixerit, eaq; ratione inductum Euripidem

ripidem ipsius discipulum, solem in Phaëtonte fabula auream glebam appellasse. Profectum quoq; in Olympiam sereno & lucente cœlo sedisse pellicea indutum veste, quasi breui eruptura pluuia, sicq; contigisse. Percontanti, an Lampsaceni montes mare essent aliquãdo futuri, dixisse ferunt, Ita sanè, nisi tempus defecerit. Rogatus cuius rei causa natus esset, inspiciendi, inquit, cœli, & solis & lunæ. Dicenti cuidã, Atheniensibus priuatus es, Non ego illis, ait, sed illi me. Cùm vidisset Mausoli sepulchrum, Monumentum, inquit, pretiosum, & lapidibus ornatum, diuitiarũ imago. Indignanti cuidam ac molestè ferenti, quòd in alieno solo moreretur, Bono, inquit, esto animo. Idem enim vndiq; in infernum descensus est. Videtur autẽ, vt Phauorinus in omnimoda historia testatur, primus Homeri poëma de virtute & iustitia compositũ esse dixisse, multumq; Metrodorum Lampsacenũ familiarem suum ad eam opinionem contulisse. Quem in his etiam quæ ad naturæ historiã attinent, constat poëtæ fuisse in primis studiosum. Primus autẽ Anaxagoras librum à se scriptum edidit. Enimuero sub principe Dimylo cecidisse de cœlo lapidem, Anaxagoramq;

goramq; tum dixisse, cœlum omne ex lapidibus esse cōpositum, ac vehementi circuitu constare, aliàs continuò summa vi impetus lapsurum, Silenus in primo historiarum autor est. Varia de huius damnatione referuntur. Nam in successione philosophorum tradit Socion à Cleone impietatis accusatum, quòd solem*candentē dixerit laminam, ac penitus ignitā. defensum autem à Pericle discipulo, quinq; talentis mulctatum, exilioq; damnatū fuisse. Porrò Satyrus in vitis à Thucydide accusatum, quòd contraria Pericli in Reip. administratione sentiret, neq; impietatis modò, verùm & proditionis, absentemq; morti addictū. Et cùm illi renūtiata esset, & damnatio sua & filiorum mors, ad alterum dixisse, Iampridē aduersum illos atq; se ex æquo naturam tulisse sententiam. ad alterum, Sciebam me genuisse mortales. Alij hoc ad Solonē referunt, alij ad Xenophontem. Hunc autē manibus etiam propriis sepelisse liberos Demetrius Phalereus in libro de senectute testatur. Hermippus in vitis, carcere inclusum, addictumq; morti tradidit. Periclem verò percontatum, an alius vitā in aliquo criminaretur, cùm nullū ei crimen impingi com-

*μύδρον.

periſſet, dixiſſe, vtqui ego diſcipulus iſtius ſum. Nolite igitur iniquis calumniis inducti illum perdere, verùm mihi potius obtemperare, liberúmque abire permittite, ſicq; factum eſſe. Hanc tamen illum iniuriam ægrè tuliſſe, ac ſponte inde diſceſsiſſe. Verùm Hieronymus in ſecundo commentariorũ Periclem aſſerit illum adduxiſſe in iudiciũ, incertis greſsibus nutantẽ, & præ nimia ægritudine confectũ macie, miſericordiaq; iudicũ potius, quàm quòd innocens fuerit inuentus, dimiſſum eſſe. Tam varia, de ipſius damnatione inter autores minimè obſcuros habetur opinio. Nec defuere qui exiſtimarẽt illũ Democrito infeſtũ fuiſſe, quòd ab illo non fuerit admiſſus in colloquiũ. Lampſacũ poſteà profectus illic diem ſuũ obiit. vbi rogantibus eũ principibus ciuitatis, nunquid fieri mãdaret, iuſsiſſe ferunt, vt pueri quotannis quo menſe defeciſſet, ludere permitterentur, ſeruariq; & hodie conſuetudinem. Defuncto igitur Lampſaceni honorificè iuſta perſoluerunt, eiusq; tumulum epigrammate illuſtrauerunt.

Ἐνθάδε πλεῖστον ἀληθείας ἐπὶ τέρμα περήσας,
Οὐρανίου κόσμου κεῖται Ἀναξαγόρας. id eſt,
Hic ſit' ille eſt cui rerũ patuere receſſus,

Atq;

Atque arcana poli magnus Anaxagoras.

Est & nostrum in eundem:

Ἠέλιον Πυρόεντα μύδρον ποτὲ φάσκεν ὑπάρχειν

Καὶ διὰ τοῦτο θανεῖν μέλλεν Ἀναξαγόρας.

Ἀλλ' ὁ φίλος Περικλῆς μὲν ἐρρύσατο τοῦτον, ὁ δ' αὐτὸν

Ἐξάγαγεν βιότου μαλθακίῃ σοφίης. id est,

Candentem ferri massam Phaëthonta putauit

Quondam, & ob id morti addictus Anaxagoras.

Hunc tamen incolumen Pericles seruauit, at ille

Rursus ob inuisam perdidit inscitiā.

Fuere tres & alij eodem nomine, in quorum nullo fuere omnia primus orator ex Socratis discipulis statuarius alter, cuius meminit Antigonus tertius grammaticus Zenodoti discipulus.

ARCHELAVS.

Archelaus Atheniensis, siue Milesius, patrem habuit Apollodorum, siue vt quidam scripsere, Mydonem, Anaxagoræq; discipulus, & Sosicratis magister fuit. Primus hic ex Ionia physicam philosophiam Athenas inuexit, & appellatus est

physicus. quòd in eum philosophia desierit naturalis, Socrate ethicen introducente. Quanquam ne hic quidem ethicæ rudis fuisse videatur, nanque de legibus philosophatus est, & de honesto & æquo. Porrò Socrates, quòd hæc ab illo sumpta propagauerit, inuenisse putatus est. Duas esse generationis causas asserebat, calidum & frigidum. Animalia de limo nata. Iustúmque & turpe non natura constare, sed lege. Hac autem ratione nitebatur. Liquentem calore aquam, vbi ignis inflammatur ardore, terram efficere, vbi verò circunfluit, aërem gignere, atq; ideo illam quidem ab aëre, hunc autem ab ignis leui facilique motu contineri. Gigni verò animalia ex terræ calore, quæ limum lacti simillimum ad escam eliquauerit, sic & homines natos. Primus vocem aëris percussum diffiniuit. Mare in concauis per humum veluti colatum cōsistere dixit maximúmque syderum solem, & omne hoc infinitum appellauit. Fuerunt & tres alij eiusdem nominis. Primus Chorographus, qui omnem ab Alexādro peragratam terram descripsit. Alius qui quæ*naturæ sunt propria, versu prodidit. Tertius orator, qui & artem oratoriam scripsit.

*ἰδιοφυῆ

SOC

SOCRATES.

Socrates Sophronisco patre lapidario, matre Phęnareta obstetrice natus, quēadmodum Plato in Theæteto meminit, Atheniensis patria, * pago Alopecensis fuit. Non defuerunt qui illum iuuisse Euripidem existimauerint. Vnde Mnesilochus ait: Phrygibus nouo Euripidis poëmati & Socratem sarmenta ministrasse. Ac rursus Euripides Socratis, vt socij & adiutoris meminit. Aristophanes quoque hoc ipsum in Nubibus tradit, hunc asserens Euripidem fuisse, qui tragœdias scripserit eloquentiæ sapientiæque plenißimas. Cùm igitur Anaxagoræ, secundum quosdam auditor fuisset, & Damonis, vt Alexander in successionibus ait, post eius damnationem, ad Archelaum se physicum contulit, cui in deliciis fuisse scribit Aristoxenus. Porrò Duris, seruisse illum ait, & sculpsisse lapides. Opus illius esse gratias, quæ sunt in arce vestitas plerique asserunt. Vnde illum & Timon in Sillis, ita depingit his versibus:

*τὸν δῆμον.

Ἐκ δ' ἄρα τῶν ἀπέκλινε λιθοξόος ἐννομολέσχης

Ἑλλήνων ἐπαοιδὸς. ἀκριβολόγυς. ἀποφήνας Μυκτὴρ, ῥητορόμικτος, ὑπαττικὸς εἰρωνευτής. hoc est,

Fluxit ab his legumq; loquax, lapidúmque politor
Græcorũ vates, imposturæq; magister,
Derisor, rhetorque sub atticus, & simulator.

Erat quippe in oratoria, sicut etiam Idomeneus refert, prõptus atq; acer, sed eum tyranni triginta dicendi artem, vt ait Xenophon docere vetuerunt.* Agitatur & ab Aristophanæ, vt qui deteriorem rationem meliorem faceret. Primus quippe, vt Phauorinus in omnimoda scribit historia, cum Aeschine discipulo oratoriæ campos aperuit. Idomeneo idipsum in libris quos de Socraticis scripsit asserente, primusq; de vitæ ratione disseruit, ac primus philosophorum dãnatus moritur. Ait autẽ Aristoxenus Spintari filius, pecunias illũ ex ministerio suo ad necessarium victum congregare solitum, cæterum Critonem eum ab emendicanda quotidiana stipe atq; ab officinæ subdixisse ministerio, gratiam animi ipsius admiratum, eíque se in disciplinam dedisse Demetrius Bizantius autor est. Adnimauertens autem naturalis specu-

** κωμῳδεῖται. quod varie vertit interpres. Est autẽ locus ex comœdia quæ Nebulæ inscribitur, in qua amarissimè proscindit Socratem Aristophanes.*

culat

culationis fructum nullum esse, eámque ad officia vitæ nihil esse necessariam, inuexit primus ethicen, déque illa & in officinis, & in publico quotidie philosophãs, ea potius inquirenda hortabatur, quę mores instruerent, & quorum vsus nobis domi esset necessarius. Illic enim, Homeri testimonio, nobis

-Κακόντ᾽ ἀγαθόν τε τέτυκται. hoc est,

-Agitur prauumq; probumq;.

Sæpe verò inter loquendum, agẽte id orationis vehementia, * iactare digitos solebat, & crines vellere, ita vt à plerisque rideretur, habereturq; despectui, quæ tamen omnia ferebat æquo animo. Vnde & cum fuisset à quodam calce percussus, admirantibus illius tolerantiã dixit: Quid enim si me asinus calce impetisset, num illi diẽ dixissem? Hæc Demetrius. Peregrinatione verò illi opus non fuit, quemadmodum plurimis, nisi inquãtum militauit, sed semper eodem in loco manens, cõtentus cum familiaribus, ac studiosis disputabat. Niteb aturq; summo ingenij acumine, non tam illos ex sentẽtia refellere, quàm ipse quid verum esset, inuenire. Fertur cum Euripides ei legendum Heracliti opusculum dedisset, rogaretq; quid sibi videretur, dixisse, ea qui

*κονδυλίζεσθαι, ferire talitro, & digitorũ iactura, Id enim est κόνδυλος.

ea quidem quæ intellexi,* fortia sunt puto, item & quæ non intellexi, verum Delio quopiam natatore indigent. Cura illi vehemēs fuit corporis exercitationis, erátque præclari habitus. Deniq; in Amphipolim armatus militiam secutus est, atq; prælio commisso circa Delium, lapsum equo Xenophontem apprehendit, atq; seruauit. Confugientibus Atheniēsibus cæteris ipse lento passu abibat, sæpe clàm retrospiciēs, & vlcisci cupiens si quis ense incautos inuadere tentasset. Militauit & in Potidæã per mare. Nam pedibus minimè licebat, obsistente bello, quo tēpore nocte tota in vno habitu permansisse tradunt. Et cùm in ea expeditione fortissimè pugnasset ac vicisset, victoriam Alcibiadi, sponte concessisse, quem à Socrate amatum, Aristippus in quarto de antiquis deliciis testatur. Ion autem Chius iuuenem cum Archelao in Samum peregrinatum venisse tradit. Aristoteles & * Pythonem profectum ait. Isthmum quoq; Phauorinus in primo cōmentariorum adiisse refert. Erat autem cōstantis animi, inuitæque sententiæ, & in primis popularis rei studiosus, quòd cum ex aliis constat, tum ex eo maximè quod iubentibus qui cū Critia erãt nobilibus, Leontem Sala

* γεν- ναῖα, generosa et præclara.

*πυθῶδε, ad πυθῶ Apollinis ciuitatē, quæ est in Phocide, cuius incolæ Delphi appellãtur.

Salaminium illustrem & opulentũ virum ad se deduci perimendum, haudquaquam cesit, solúsque aduersus decem potentissimos duces sentẽtias ferre ausus est, & cùm liberè quò vellet abire carcere liceret, noluit, & plorãtes seuerè increpauit, pulcherrimosq; sermones illos vinctus prosecutus est. Frugi itẽ erat & continens. Refert Pamphila in VII. comment. cũ Alcibiades grandem illam aream ad construendam domũ largiretur, dixisse, An verò si calciamentis mihi opus esset, coriũ dares vt calceos mihi ipse cõficerem? atqui ridiculus essem si acciperem. Sæpe cum eorum quæ publicè vendebantur multitudinem intueretur, secum ista voluebat, quam multis ipse non egeo. Ac semper habebat in ore iãbos illos, quibus argentum & purpura, & cætera id genus tragœdiis potius quàm vsui vitæ necessaria docentur. Archelaum præterea macedonem & Scopam Crannonium, Eurylochumq; Larissæum aspernatus est magno animo, cùm neque ab eis missas pecunias accepit, neq; ad eos ipse proficisci voluit. Adeò autem parcè ac temperatè vixit, vt cum Athenas pestis sæpenumero vastaret, solus ipse nunquam ægrotauerit. Duas illum vxores duxisse, priorem Xanthip

thippem, ex qua Lamproclem genuerat: alteram Myrtonem Ariſtidis illius iuſti filiam, quam & ſine dote acceperit, quæque ſibi Sophriniſcum, Menexenumq; peperit, Ariſtoteles autor eſt. Alij Myrtonem prius duxiſſe, pleriq; vtraſq; ſimul habuiſſe tradunt, ex quibus & Satyrus eſt & Hieronymus Rhodius. Nã Athenienſes cùm bellis ac lue ciuibus exhauſtã ciuitatẽ reparare, ſobolemque propagare vellent, decreuiſſe referunt, vti vrbanam quidem vnam vxorẽ ciues ducerent, liceret autem & ex altera procreare liberos. Idq; tum & Socratem feciſſe. Magna verò animi ſublimitate carpentes ſe atq; obiurgantes contẽnebat. In facilitate victus maximè gloriabatur, mercedemq; à nullo exigebat. Dicebat autem qui ſuauiſsimè comederet, eum minimè obſonio egere: & qui cum voluptate biberet, eum quod præſens non ſit, poculũ non quærere, nec expectare. Eumq; diis maximè propinquum, qui minimis egeat. Hoc ſi quis velit, à Comicis doceri poterit. Qui profectò, illũ dũ vituperare conãtur laudãt. Ariſtophanes enim ſic illũ comœdiis agit:

Ὦ τῆς μεγάλης σοφίας ἐπιθυμήσας ἄνθρωπε
ὡς εὐδαίμων ἐν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς Ἕλλησι
γενήσῃ

Εἶ μνήμων δὲ καὶ φροντιστὴς, καὶ τὸ ταλαίπωρον ἔνεστιν

Ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ μὴ κάμνεις μήθ' ἑστὼς μήτε βαδίζων

Μήτε ῥιγῶν ἀχθηλίαν, μήτε γ' ἀριστᾶν ἐπιθυμεῖς

Οἴνου τ' ἀπέχῃ καὶ γυμνασίων, καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων. hoc eſt,

O præclaræ ſapientiæ amator homo

Quàm felix Athenis, & inter Græcos eris,

Si memor es, & curis plenus, & ærumna ineſt

Animo, neque fatigaris aut ſtans, aut ſedens, aut ambulans.

Sed ne algens quidem multum, doles neque prandere cupis,

Et vino abſtines, & exercitamentis, & id genus ſtolidis.

Porrò Amipſias palliatum illũ inducẽs, ſic ait: Socrates paucorũ optimè virorũ, multorumq; vaniſsimè, & ipſe ad nos tandem venis, patiensq; es? Vnde tibi pallium hybernum? Hoc incommodũ per coriarij cõtigit malignitatem. Hic tametſi eſuriẽs aſſentari nunquam ſuſtinuit. Cæterum eius rei quàm ſemper inimicus fuerit, quanq; magno & alto animo fœdam iſtam adula-

tionem contempserit, Aristophanes idem testatur in hanc sententiam.

Βρενθύει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς, καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλει

Κἀνυπόδητος κακὰ πόλλ' ἀνέχει, κἀφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖ. hoc est,

Elatus saltu vias terit, oculisq; innuit,
Et discalciatus mala multa tolerat, & inter nos, vultu grauitatem præ se fert.

Cumq; hoc vitæ instituto degeret, interdum tamen tempori seruiens, venustiore habitu amiciebatur, vt in Platonis Symposio ad Agathonem profectus: Aequa illi & hortandi & dehortandi facultas fuit. Denique Theætetum cùm de disciplina disfereret, vt ait Plato mirificè immutatum diuinumque fermè remisit. Eutyphrona qui patri diem dixerat, quædam de iustitia & pietate loquens, ab instituto reuocauit. Lysidem autem hortando maximè moralem fecerat. Erat enim illi ingenium ad eliciendos ex rebus sermones accommodatum. Lamproclem filium in matrem immitem ac ferum, vt ait Xenophō, suadendo ad reuerētiam reduxit. Glauconem præterea Platonis fratrem ad Remp. accedere volentē, proposito retraxit, quod is rudis esset, ignarusq; rerū. Item vt refert

Xenophon, Charmidem contrà, quia esset maximè idoneus, ad capessendam incitauit, Iphicrati quoque duci animos adiecit, cùm ostendisset ei gallos gallinaceos tonsoris Midæ, aduersus eos qui erant Calliæ, pennis ac rostro dimicantes. Ipsum Glauconides ciuitati applicare optabat, nô secus ac fasianum auem; aut pauonem. Dicebat autem facilè cuiuis esse quæ habet aliquis mira proloqui, amicos autem quos possideat nominare difficillimum, tantam in eis obseruandis inesse negligentiam. Euclidem verò cum videret forensiũ causarum in primis studiosum: O, inquit, Euclide, sophistis quidem vti poteris, hominibus non poteris. Inutile enim arbitrabatur ac turpe, hisce dare operã, sicut & Plato in Euthydemo testatur. Dederat illi Charmides domesticos pueros, vt ab eis domum deduceretur, sed noluit ipse suscipere. Sunt qui dicant illũ Alcibiadis eximiam formã aspernatum. Otium vt possessionũ omniũ pulcherrimam laudabat, vt in Symposio testatur Xenophõ. Dicebat & vnicum esse bonum, scientiam: malum contrà vnicum, inscitiam. Opes ac nobilitates non solũ nihil in se habere honestatis, verùm & omne malum ex eis oboriri. Deniq; cũ dixisset

ei quidã, Antisthenẽ matre esse Threicia, Tu ne,inquit,arbitrabaris ex duobus Athe niensibus adeò insignem virũ natum?Phædonem quoq; captiuitatis necessitate quæstui turpi expositum, Critoni redimẽdum præcepit,spectatumq; philosophum fecit. Sed & fidibus canere didicit cùm vacaret, minimè improbum,seu pudendum dicẽs, quòd quisq; nesciat discere. Sæpius itẽ saltabat, eam exercitationem plurimum ad tuendam bonam valetudinem conducere existimans,sicut & Xenophon in simposio testatur. Asserebat & dæmonium sibi futura prædicere:ac benè incipere paruum nõ esse,sed maximum:& scire se nihil præter hoc ipsum quòd nihil sciret. Eos item qui præconia magno emerent, desperare aiebat se ad maturitatis tempus peruenturos. Rogatus aliquando,quæ nam sit iuuenum virtus,Nihil nimis inquit. Geometriæ eousq; dandam operã monebat,quoad quisque possit terram mensura accipere & dare. Euripide verò de virtute ita disserente, vt diceret præclarum esse temerè hanc dimittere,surgens egressus est, ridiculum esse dicens, mancipium si non inueniatur, dignum inquisitione iudicare,virtutem verò pessum perire permittere.Interrogatus

vtrum

vtrum melius esset, vxorem ducere, necne: vtrumuis horum, inquit, egeris, pœnitentia duceris. Mirari se dicebat cur hi, qui lapidea signa sculperent, summa ope niterentur, vt lapis homini quàm simillimus euadat, seipsos curare negligerent, ne similes lapidibus & videantur & sint. Hortabatur & iuuenes, vt se iugiter in speculo intuerentur, vt si quidem formosi essent, digni ea specie fierent, sint autem deformes, eam deformitatem eruditione tegerent. Cùm vocasset ad cœnam diuites, & Xanthippen modici puderet apparatus, Bono, inquit, esto animo. Nam si quidem modesti erunt, frugíque, mensam haudquaquam aspernabuntur: sin autem intẽperantes, nulla nobis de hisce cura fuerit. Aiebat alios homines viuere vt ederent, se ideo edere vt viueret. Ad hæc vulgus ignobile & imperitam multitudinem idem ferme facere dicebat, ac si quis * singulos nummos reprobaret, congestum ex hisce cumulum vt probabilem susciperet. Cùm illi dixisset Aeschines, pauper sum, & aliud habeo nihil, me ipsum autem tibi do: An verò tu, inquit, non animaduertis quàm mihi maxima tradas? Indignanti cuidam quòd despiceretur,

* τετρά δραχμον

 cùm

cùm ſummam rerum triginta tyrãni ſibi vendicaſſent, Ergóne, inquit, pœnitet te? Referenti quòd illum Athenienſes mori decreuiſſent, Et natura illos, inquit. Hoc alij ad Anaxagoram referunt. Dicente ei vxore, iniuſtè morieris, An tu, inquit, iuſtè malles? Cùm in ſomnis quendam ſibi iſta dicentem audiſſet:

Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο.

hoc eſt,

At te frugiferæ ſiſtet lux tertia Phthiæ:

Ait ad Aeſchinem: poſt diem tertium ſe moriturum. Die qua cicutam bibiturus erat, Apollodorus ei pallium pretioſum obtulit, vt in illo moreretur. & ille, Quid, inquit, num pallium meum viuenti conuenit, vita functo non conueniet? Nuntianti quendã ſe maledictis inceſſere, Bene, inquit, loqui non didicit. Cùm diſruptam pallij ſui partem vertiſſet Antiſthenes, & inſpectandam omnibus dediſſet, Aſpicio, inquit, per ſciſſuram pallij tuam vanitatẽ. Dicenti cuidam, nónne tibi ille maledicit? Non, inquit, Mihi enim iſta non adſunt. Dicebat expedire, vt ſeſe ex induſtria comicis exponeret. Nam ſi quidem ea dixerint, quæ in nobis corrigenda ſint, emendabo: ſin alias, nihil ad nos. Xanthippe

thippe cùm in eum prius conuicia,& maledicta ingessisset, post verò & sordidis aquis perfudisset, Nónne, inquit, dicebam Xanthippen tonantem quãdoque pluituram? Dicenti Alcibiadi non esse tolerabilem Xanthippen adeò morosam; Atqui, ait, ego ita hisce iampridem assuetus sum, ac si iugiter sonum * trochlearũ audiam. An verò tu non toleras clamore perstrepentes anseres? illo dicente, At mihi oua pullosq; pariunt. & mihi ait Xanthippe filios gignit. Cùm pallium illa sibi in platea sustulisset, monerentq; familiares, iniuriam manu vlcisceretur, Praeclarè, inquit, vt nobis corrixantibus quisque vestrum acclamet, Eia Socrates, eia Xanthippe. Asperioris ingenij vxori ita congrediendum monebat, vt equis animosis equites. Nã sicut illi cùm eos semel subegerint, reliquis facilè vtuntur: ita & mihi post Xanthippes vsum, reliquorum mortalium facilis toleratio obueniet. Ista & huiusmodi gerens quotidie & dicens, Pythiae testimonio laudatus est, quae Chaerephonti id oraculum edidit, quod in omnium ore est, nimirum hoc:

* τροχυλιᾶς. est autẽ τροχαλία Polluci, rotae, genus, qua aqua ex puteis educitur.

Ανδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

hoc est,

Mortalium vnus Socrates verè sapit.

Ex quo magna in illum inuidia conflata est, præterea quòd eos qui seipsos magni facerent & æstimarent, vt stolidos & insensatos arguisset. Eorum ex numero Anitus est, sicut in Memnone Plato ait: Is enim à Socrate rideri se nõ ferens, primum quidem Aristophanem aduersus illum inuexit, atque in eum maledicta pronuntiauit. Pòst verò Melitum etiam induxit, vt illi crimen impietatis adolescentiumq; corruptiones obiiceret. Et Melitus quidem apud iudices illum accusauit, sententiam verò Polyeuctus dixit, vt ait Phauorinus in omnimoda historia: orationem Polycratis sophista scripsit, vt Hermippus refert, siue vt quidam volunt Anitus. præparauit autem omnia Lycon orator. Porrò Antisthenes in philosophorum successionibus, & in Apologia Plato tres illum accusasse tradunt, Anitum, Lyconẽ ac Melitum. Anitum quidem opificũ ciuiliumq; partes tuentem. Liconem oratorum. Melitum verò poëtarũ, quòd eos omnes carperet Socrates. Phauorinus in 1. cõmenta. veram non esse Polycratis in Socratẽ orationem tradit, quòd in ea facta sit mentio murorum à Conone instauratorũ. Id verò

factum

factum cõstat VI. anno post mortem Socratis, atque ita se habet. Enimuerò causæ ipsius coniuratio hoc modo gesta est. Seruatur enim hactènus, inquit Phauorinus in Metroo. Accusauit Melitus Meliti filius Pitheensis Socratem Sophronisci filium Alopescensem de hisce criminibus. Iura violat Socrates, quos ex maiorum instituto suscepit ciuitas, deos esse negãs, alia verò noua dæmonia inducens. Contra ius & fas iuuenes corrũpit. Pœna illi mors. Philosophus verò cum illi Lysias quã pro eo scripserat, apologiam recitasset: Bona, inquit, & præclara est oratio Lysiæ, mihi tamen minus congruit. Erat enim illa iudiciali instituto vicinior, quàm vt philosopho cõuenire videretur. Percontanti Lysiæ, cur si bona esset, non sibi congrueret oratio: Nónne, inquit, & indumẽta & calciamenta speciosa esse possent, neque tamen mihi cõuenire? Cum verò iudicium ageretur, ascendisse Platonẽ in suggestum refert Iustus Tyberiensis in stemmate, ac dixisse: Minimus natu cùm sim, viri Athenienses, his omnibus qui tribunal ascenderunt, interpellatumq; à iudicibus reclamãtibus, descende. Damnatus igitur est iudicum ducentis octoginta, & vna sententiis,

supra eas quibus absoluebatur. Tractantibusq; inter se iudicibus, quid illum potius conueniret pati, an pendere x x v. drachmas, soluturum se dixit. Quanquàm Eubulides centum esse pollicitũ dixerit. Verum tumultuantibus iudicibus, Eorũ, inquit, gratia, quæ à me gesta sunt, censeo me in Prytaneo publicè ali debere. Tum illi adiectis aliis l x x x. sententiis mox illum damnant. & continuo coniectus in vincula, post paucos dies cicutã bibit, multa prius de immortalitate animorũ, ac pręclara disserens, quæ in Phædone Plato digessit. Pęana quoq; illum scripsisse pleriq; autumant, cuius est initium, Delie Apollo salue, & Diana pueri gloriosi. Porrò Dionysodorus pæana illius non esse memorat. fecit & Aesopiam fabulã non multum compositè, cuius initium est,

Αἴσωπός ποτ᾽ ἔλεξε Κορίνθιον ἄστυ νέμουσι
Μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ. hoc est,

Ciuibus Aesopus dixit quis culta Corinthus
Ne virtutẽ in ius iudice plebe vocẽt.

Atque in hunc modum Socrates excessit è vita. Atheniensibus eius facti tantum pœnitentiæ incessit, mox vt palæstras & gymnasia clauderent, & alios quidem exilio,

Melitum verò morte damnarent. Socratem ærea imagine publicè honorauere, quam à Lysippo perfectam in vrbis celeberrimo loco statuerunt. Anitum ipsa die dum peregre esset, Heracleotæ exterminarunt. Huiusmodi designarũt Athenienses non modò in Socrate, verum & in aliis viris illustribus permultis. Namq; , vt ait Heraclides, Homerũ veluti insanientem drachmis quinquaginta multarunt. Tyrtæumq; mentis impotem dixerũt, & Astidamantem primum ex ludo Aeschyli sapientissimũ ærea imagine honorauerunt. Eis Euripides quoq; id exprobrat in Palamede, doctam Philomelam innocuamq; musam insectatos clamans. Quanquã Philocorus Euripidem ante Socratem obiisse tradat. Nascitur Socrates, vt ait Apollodorus in chronicis, sub Apsephione, septuagesimæ & septimæ olympiadis anno quarto, Thargelionis mẽsis sextæ, quo die lustrant Athenienses ciuitatem, Dianamq; natam Delij tradũt. Moritur primo anno nonagesimæquintæ olympiadis, septuagesimo ætatis anno. Eadem fermè Demetrius Phalereus ait. Sũt qui sexagenarium obiisse referant. Vterque verò Socrates & Euripides Anaxagoræ auditores fuere.

Θαργη-λιὼν mẽsis dictus ab eo qđ terrã cal faciat, Græcis au spicatissimus.

Porrò

Porrò Euripides primo anno ſeptuageſimę olympiadis ſub Calliade ortus eſt. Videtur autem mihi Socrates, & de naturalibus diſſeruiſſe, quādoquidem & de prouidentia plerunq; diſputat, vt Xenophon ait, tametſi de rebus quæ ad bonos mores faciunt, tantum verba eum feciſſe aſſeueret. Sed & Plato, in apologia mentionem Anaxagoræ faciens, aliorumq; phiſicorū, quæ Socrates negat, de his dicere ipſe cōprobatur, & quidem cùm ſua omnia Socrati ſemper attribuat. Refert Ariſtoteles magnum quendam ex Syria profectum Athenas, Socratem pluribus in rebus reprehendiſſe, violentamq; illi mortem futuram prædixiſſe. Eſt noſtrum in illum adſcriptum epigramma:

Πῖνε νῦν ἐν Διὸς ὤν, ὦ Σώκρατες, ἦ σε γὰρ ὄντως
Καὶ σοφὸν εἶπε θεὸς, καὶ θεὸς ἡ σοφίη.
Πρὸς γὰρ Ἀθηναίων κώνειον ἁπλῶς μὲν ἐδέξω
Αὐτοὶ δ' ἐξέπιον τοῦτο τεῷ στόματι hoc eſt,

Nunc bibe apud ſuperos bone Socrates. ipſe enim Apollo
Te ſapere haud leuiter dixit, & is ſapiens,
Ciuib⁹ ingratis tibi erat porrecta cicuta.

Aſt

Aſt iidem hauſerũt protinus ore tuo.
Fuit ei, vt refert Ariſtoteles tertio de poëtica, cum Antiocho Lemnio, & Antiphone prodigiorũ interprete contentio, quẽadmodum & Pythagoræ cum Cydone & Onata, viuentiq́; Homero cum Sagari, vita functo cum Xenophane Colophonio. Heſiodo item cum Cercope, quo defuncto cum Xenophane, cuius iam ſuprà meminimus. Pindaro cũ Amphimene Coo, Thaleti cum Pherecyde, Biantiq́; cum Salaro Prienæo, Pittaco cum Antimenide, & Alcæo, Anaxagoræ cum Soſibio, Simonidæq́; cum Timocreonte. Verùm ex his qui ſucceſſere Socrati, appellantur Socratici, nobiliſsimi ſunt, Plato, Xenophon, & Antiſthenes. Ex his verò qui decem dicũtur, clariſsimi fuerũt quatuor, Aeſchines, Phædon, Euclides, & Ariſtippus. Primò igitur dicendum de Xenophõte, deinceps de Antiſthene inter Cynicos, tum de Socraticis, atq; ita demum de Platone, qui & decem ſectarum princeps eſt, primamq́; Academiam ipſe conſtituit. Hic ergo ſucceſsionis eſto modus. Fuit & alius Socrates hiſtoricus qui Argos diligenter deſcripſit. alius item peripateticus Bithynus. atque alius poëta epigrammatum. & alius
Cou

Cous qui deorum precationes inuocationesq; conscripsit.

XENOPHON.

XEnophon Grylli filius Atheniensis, pago Archieus fuit, verecundus admodum, & vltra quàm dici poßit speciosus. Aiunt eum cùm Socratē in angiporto quodam habuiſſet obuium, porrecto baculo transire prohibitum. percontanti verò, vbi nam venirent quæ humanis vsibus sunt neceſſaria, cùm ille respondiſſet, rursus, vbi nam boni ac probi homines fierēt, hærente illo dixiſſe Socratē, sequere igitur & disce. ex eo tempore Socratis auditor factus. Primus omnium quæ dicebantur notis excepta in publicū edidit, *commentaria inscribēs, primusq; philosophorum scripsit historiā. Hunc adamaſſe Cliniam Aristippus in quarto de Antiq. delic. meminit, atq; ad eum hæc dixiſſe, At nūc ego Cliniam libentius intueor, quàm cætera omnia quæ sunt inter homines speciosa, cæcusq; mallem ad cætera fieri, dum vnici Cliniæ cōspectu fruerer. Angor noctu & in somnis, quòd illum nō video, diei ac soli gratias ago, quòd Cliniæ mihi faciem reuelāt. In Cyri amicitiam hoc modo venit. Erat illi familiaris quidam Proxenus

*ἀπομνημονεύματα, quæ & hodie extāt ad tres libros.

xenus nomine, Bœotius genere, discipulus Gorgiæ Leontini, Cyro notus & charus. Is apud Cyrũ Sardis morabatur. Scripsit autem Xenophonti epistolam Athenas, accersens illum, & Cyro amicum fieri suadens. Hanc ille Socrati ostendit, cõsiliúmque petebat. Eum ille Delphos misit, in ea re Dei consilio vsurum. Paruit Xenophon, profectúsque ad Deum, rogat num proficisci ad Cyrum debeat necne. Sed quãquam ea in re Socrates illum etsi modicè simulabat, proficisci tamen monuit. Vbi autem ad Cyrum venerat, ita se illi insinuauit, vt non minus illi amicus charusq; fuerit, quàm Proxenus. Omnia igitur quæ in ascensu Cyri, ac descensu contigère, nobis ipse diligentissimè tradidit. Inimicitias autem aduersus Menonẽ Pharsalium grauissimas exercuit, qui fuerat accensus tempore peregrini militis ductor, cui inter cætera maledicta, & illud obiecit, maioribus illo se vsum amasiis. Apollonidi item cuidã exprobrauit, quòd perforatis esset auribus. Post accẽsum verò, & Ponticas clades fœderaq; à Seutho Odrysorum rege violata, se in Asiam cõtulit ad Agesilaum Lacedæmoniorũ regem, Cyriq; milites illi sub mercede præstitit, ac
se illi

se illi totum deuouit, amicissimusq; fuit. Quo tempore quòd Laconicas partes tueri videretur, exilio damnatus ab Atheniēsibus est, profectus deinde Ephesum, dimidium auri quod secum tulerat, Megabyzo Dianæ sacerdoti seruandum tradit quoad reuerteretur. Sin secus, statuam ex eo cōfectam deæ consecrare iubet. Ex dimidio reliquo donaria in Delphos misit. Inde cum Agesilao in Græciā ad bellum contra Thebanos profectus est, Lacedæmoniis commeatum illi suppeditantibus, Hinc iam omisso Agesilao in agrum Heleæ, Cilluntem venit ab vrbe haud procul distantē. Sequebatur autem illum & muliercula Philesia nomine, vt refert Demetrius * Magnesius, & duo * liberi, Gryllus ac Diodorus, vt ait Dinarchus in libro de Repudio aduersus Xenophontem, qui etiam * gemini vocati sunt. Adueniente verò Megabyzo sub occasione publicę festiuitatis receptis pecuniis prædium emit, & deæ consecrauit, quod amnis interfluit Selinus, eiusdē nominis cum Ephesino. Hinc verò venationibus vacabat, amicis conuiuia faciens, historiasq; conscribens. Refert Dinarchus Lacedæmonios illi domum agrúmque dedisse. Philopidam præterea

*μάρτυς. * υἱᾶς. * διόσκουροι.

Spart

Spartiatam aiunt ad eum illuc dono misisse mancipia ex Dardania captiua abducta, ipsumq; arbitrio suo illa disposuisse, quo tempore Helienses in Scillunta cum exercitu profectos Lacedæmoniis* remorantibus agrum cepisse. Tum verò Xenophontis filij cum paucis seruis clàm se subducentes in Lepreum concessere. Xenophon quoq; ipse in Helim primò, postea in Lepreum ad filios venit, atq; inde cum illis Corinthum profectus, saluus euasit, vbi etiā postea habitauit. Interea cùm decreuissent Atheniēses afflictis Lacedæmoniorum rebus opitulari, filios Athenas militatum Lacedæmoniis mittit. apud Spartanos quippe instituti fuerant, vt refert Diocles in vitis philosophorū. Ex ea pugna Diodorus nullo præclaro facinore illustris seruatus est, eiq; filius ex fratris nomine fuit. Porrò Gryllus inter equites fortissimè dimicans (erat autem ea pugna circa Mantineā) honesta morte defungitur. magistro equitum Cephisodoro, & imperatore exercitus Agesilao, vt ait Ephorus in v. & x x. historiarum lib. In ea pugna & ipse Epaminundas Thebanorum dux cecidit. Fertur Xenophon tunc coronatus sacrificasse, & cum filium corruisse didi-

* ἀυνόντων.

Eadē ferè Valerius Max. in fine libri sexti.

cisset coronam deposuisse: vbi verò acriter pugnantem oppetisse comperit, eam rursus capiti imposuisse. Sunt qui illum ne lacrymatum quidē dicant, solumq; dixisse: Sciebam me genuisse mortalē. Refert Aristoteles Grylli laudes & epitaphia tunc innumeros scripsisse, partim vt eius virtus celebris fieret, partim item vt patri gratificarentur. Socratem item Grylli laudes conscripsisse, Hermippus testis est in libro de vita Theophrasti. Timon eum, vt solet, insectatur. Hæc vita Xenophontis fuit. Floruit maximè quarto anno, x c. & IIII. olympiadis, ascenditq; cum Cyro sub principe Xenæneto, anno vno ante Socratis mortem. Obiit autem, vt ait Stesiclides Atheniēsis in descriptione principum & olympionicum, anno primo, c v. olympiadis, sub principe Callidemede, sub quo & Philippus Amyntæ filius Macedonibus imperabat. Obiit Corinthi, vt ait Demetrius * Magnesius, ad maturā iam proueкtus senectutem, vir profecto cum in cæteris præstans ac bonus, tum equorum venationisq;, ac disciplinę militaris in primis studiosus, vt ex libris eius intelligi potest. Religiosus præterea & sacrificiis intentus, qui res sacras non mediocriter teneret,

* μάγνης.

neret, & Socratem ad vnguem imitatus. Scripsit autem quadraginta libros aliis aliter eos diuidentibus. Ascensum Cyri, cuius per singulos libros, non autē totius operis proœmium fecit. Cyri*institutionē. Græcorum res gestas, & commentaria, symposiumq́; & œconomicum. De re equestri, & de venatione. ἱππαρχικὸν præterea, & Socratis apologiam, & de seminibus. Hieronem siue tyrannicum, Agesilaum, & Athe niensium ac Lacedæmoniorum Rempu. quam non esse Xenophontis Demetrius Magnesius testatur. Fertur & Thucydidis libros eatenus latētes cùm subducere posset, ipse primus in eius viri gloriam in lucem dedisse. Appellabatur autē musa Attica præ dulcedine eloquentiæ, & incredibili facilitate. Vnde illi cum Platone non omnino conueniebat, vt suo loco cùm ad Platonem venerimus, dicemus. Sunt autem & in hunc nostra epigrammata sic se habentia,

* παι- δείαν.

Οὐ μόνος ἐς Πέρσας ἀνέβη Ξενοφῶν διὰ Κῦρον

Ἀλλ' ἄνοδον ζητῶν ἐς Διὸς ἥτι ἄγοι.

Παιδείης γὰρ ἑῆς Ἑλληνικὰ πράγματα δείξας

Ὡς καλὸν ἡ σοφίη μνήσατο Σωκράτεος.

hoc est,

Non tantum ad Persas Cyrus Xenophonta vocauit
Quàm virtus, qua itur limina ad alta Iouis.
Ipse suum ostendit, Græcorum gesta recensens
Nobile & egregij Socratis ingeniũ.

Item aliud de eius morte.

Εἰ καὶ σὲ Ξενοφῶν κρωναῦ κέκροπός τε πολῖται
φεύγειν κατέγνων τοῦ φίλου χάριν Κύρου,
Ἀλλὰ Κόρινθος ἔδεκτο φιλόξενος ᾗ σὺ φιληδῶν
Οὕτως ἀρέσκῃ, κεῖθι καὶ μένειν ἔγνως. hoc ẽ,
Sis quanquàm ingratis Xenophon eiectus Athenis
In te ob fauorẽ Cyri amici regium,
Te tamen excepit fugitiuum grata Corinthus,
In qua hospes vrbe nosti læt⁹ viuere.

Inueni alibi claruisse illum circa octogesimam & nonam olympiadem vnà cũ Socraticis cæteris. Istrus autẽ asserit illum ex decreto Eubuli exulasse, eiusdemq; postea sentẽtia redisse. Septem verò fuere Xenophontes. Primus hic ipse. secũdus Atheniẽsis Pythostrati illius frater, qui *Theseidos poëma cõposuit, qui inter cætera Epaminundæ

*θησηΐδα

nundæ quoq; vitam conſcripſit,ac Pelopidæ.tertius Cous medicus.quartus qui Hãnibalis hiſtoriam ſcripſit.quintus qui prodigia fabuloſa commentus eſt. ſextus Parius ſculptor egregius. ſeptimus antiquæ comœdiæ poëta.

AESCHINES.

AEſchines Charini*lucanicas vendentis,ſiue vt volũt, Lyſaniæ filius Atheniensis à puero miræ indolis, laborumq; patientiſsimus fuit.Quocirca & à Socrate nunquã diſceſsit,atq; ideo Socrates de illo dicere ſolebat,Solus nos colere nouit Aeſchines. Hunc Idomeneus tradit,in carcere fugam Socrati ſuadere tentaſſe,nõ Critonem, verum Platonem,cùm magis faueret Ariſtippo,Critoni verba illa accommodaſſe. Vocatur in ius Aeſchines, & in primis à Menedemo Eretrienſe,quòd Socratis nomine dialogos complures inuexerit, quos à Xanthippe ſe accepiſſe memorabat.ex quibus illi ſunt, qui vocantur ἀκέφαλοι nimium remiſsi.nec Socraticã conſtantiam aut copiam præferentes. eos tamen Aeſchinis non eſſe Piſiſtratus Epheſius aſſerit, ſed bonam partem ſeptem illis adſcribi. Perſeus refert Paſipontis Eretrici eſſe,atque ab eo Aeſchinis inſertos libris.

* ἀλλαντοποιοῦ. *interpres legiſſe videtur ἀλλαντοπώλου.*

bris. Antisthenes quoque paruum Cyrum, & minorem Herculē & Alcibiadem, cæterorumq; libros ab eo fuisse conscriptos. Sunt autem Aeschinis dialogi, qui Socraticum exprimunt morē septem isti. Primus Milciades. Ion quodammodo imbecillior est, deinde Callias, tum Axiochus, Aspasia, Alcibiades, Telauges, & Rhinon. Aiunt ipsum inopia adactum, venisse in Siciliam ad Dionysium, atque à Platone despectū, ab Aristippo fuisse illi commendatū, ibiq; prolatis dialogis quibusdam accepisse munera, demum Athenas reuersum, ibiq; minimè docere philosophiam suam ausum, quod illic Platonis & Aristippi esset clarissimū nomen. auditores sibi mercede quæsiuisse, deinde in defensionem innocentiū se ad scribendas orationes iudiciales conuertisse. Atq; ideo Timonem de illo dixisse ferunt, quòd in persuadendo potens fuerit. Aiunt illi dixisse Socratem cum premeretur inopia vt à seipso vsuras exigeret sibi subducēdo cibaria. Huius dialogos Aristippus etiam suspectos habuit. Nam dum eos Megaris legeret, subsannatum ferunt, ac dixisse, Vnde tibi ista furcifer? Refert Polycritus Mendesius in primo, de Dionysio, vixisse illum cum tyranno quoad

tyrann

tyrannide exciderit, & vſque ad Dionis in Syracuſas reditum, cum illo aſſerens & Carcinum comicum fuiſſe. Fertur & eius ad Dionyſium epiſtola. Erat autem in arte oratoria maximè exercitatus, vt ex ea oratione quam pro defenſione patris Phæacis magiſtri militū ſcripſit, & ex eo quòd Gorgiam Leontinum imitatus eſt maximè conſtat. Scripſit autem & Lyſias oratio nem contra illum, quam inſcripſit de calumnia, ex quibus profectò liquet oratorem præcipuum fuiſſe. Erat ei & familiaris quidam Ariſtoteles nomine, cognomento Mythus. Panætius omnium Socraticorum veros eſſe dialogos cenſet, Platonis, Xenophontis, Antiſthenis, Aeſchinis. de Phædonis tantum & Euclidis ambigit, cæteros damnat. octo autem fuerunt hoc nomine. Primus hic de quo loquimur. Secundus qui artem oratoriam conſcripſit. Tertius orator Demoſthenis æmulus. Quartus Arcadia profectus, Socratisq; diſcipulus. Quintus Mitylenæus, quem & * flagellum oratorum vocabant. Sextus Neapolitanus Academicus philoſophus, Melantij Rhodij diſcipulus, idemq; in deliciis habitus. Septimus Meleſius ciuilis ſcriptor. Octauus ſtatuarius.

* ῥητορομάστιγα.

ARRISTIPPVS.

ARistippus genere Cyrenaicus fuit, profectum verò Athenas Socratis fama percitum Aeſchines tradidit. Is, vt ait Phanias peripateticus Ereſius, primus Socraticorum mercedem exegit, & quæſtu philoſophatus eſt, præceptoriq; pecunias mittebat. Cui cùm aliquando viginti minas miſiſſet, ille eas continuo remiſit, aſſerens Deum Socratis id ſibi non permittere. Diſplicebat id nimirum Socrati. Xenophon quoq; aduerſus eum infeſto fuit animo. Quocirca & librum contra voluptatem, in Ariſtippum ſcripſit aſſertorem voluptatis, eamq; Socrati diſputationem aſsignauit. Theodorus quoque in libro de ſectis, illum conuiciis agit, & Plato in libro de anima, ſicut in aliis memorauimus. Erat autem ei ingenium facile, vt ſe accōmodaret loco, tempori, perſonæ. Nouerat omnem conuenientiæ ſimulare rationem, Quamobrem & Dionyſio plus cæteris probabatur, quia ad omne quod emergeret bene affectus inſtructusq; videretur. Nam vt libenter percipiebat præſentium voluptatem, ita vt abſentibus frueretur, non laborabat. Vnde & Diogenes

Xenophontis liber aduerſus voluptatem.

ipſum

ipſum regium appellabat canem, eumq; Timon vt nimis delicatum acriter mordet, cùm ait:

Οἷά τ' Ἀριστίππου τρυφερὴ φύσις ἀμφαφόωντος ψεύδη. hoc eſt,

Qualis Ariſtippi mollis natura ſophiſtę,
Quæ potuit tactu à falſo diſcernere verum.

Aiunt illum aliquando iuſsiſſe perdicem quinquaginta drachmis emi. Tantũ luxuriæ grauiter ferenti cuidã reſpondiſſe, tu iſtam obolo nõ emeres? & cùm annuiſſet ille, mihi verò, inquit, quinquaginta drachmæ tantùm valent. Tres formoſas meretrices ei in conſpectũ dari aliquando Dionyſius iuſsit, eumq; quã ex illis vellet eligere. Tum ille tres ſimul abduxit, dicens, neq; Paridi tutũ fuiſſe quòd vnã prætulerit cæteris. Eas igitur ad veſtibulũ vſq; deduxit, ac dimiſit, adeò erat & in eligendo, & in contemnendo facilis. Ideoq; Stratonem, ſiue, vt alij volunt, Platonem, ad eum dixiſſe tradunt, Tibi ſoli & chamydem & *pannum ferre datũ eſt. Cõſputus à Dionyſio æquo animo tulit. Eam iniuriã cùm quidam ægrè ferret, piſcatores, inquit, vt gobiũ venẽtur, mari patiũtur ſe aſpergi, & ego vt balenã accipiam, nõ patiar exerca- ῥάκος.

tione aspergi? Prætereuntem quandoque Diogenes olera abluens obiurgauit & dixit, Ista tu si parare tibi didicisses tyrannorum aulas non ambires, Tu verò, ait ille, si quidem cõuersari cum hominibus scires, olera profectò non lauisses. Interrogatus quid nam sibi ex Philosophię studiis quæsisset, posse, inquit, omnibus fidēter loqui. Cùm probro sibi daretur quòd pretiosè & exquisitissimè viueret, si vituperãdum, ait, hoc esset, in celebritatibus Deorũ profectò non fieret. Rogatus aliquando quid habent eximium Philosophi, si omnes, inquit, leges intereãt, æquabiliter viuemus. Percontanti Dionysio cuius rei gratia philosophi diuitum limina terunt, philosophorum verò diuites non ita, quòd illi, inquit, sciunt quibus indigent, at hi nesciunt. Cùm illi vitio vertisset Plato, quòd tam lautè viueret, num, inquit, tibi videtur bonus vir esse Dionysius? illo annuente: Atqui ille, ait, multò melautiùs viuit. vnde nihil prohibet quempiam laute & bene viuere. Interrogatus quo differãt docti ab indoctis, quo, inquit, domiti equi ab indomitis. Ingressus aliquãdo meretricis cubiculum, cùm erubesceret quidã ex his qui cum eo erant adolescentibus, non, inquit,

ingredi

ingredi turpe eſt, ſed egredi nō poſſe turpe eſt. Cùm à quodam ſibi propoſitũ eſſet ænigma, & vt ſolueret importunè ab eo ipſo qui propoſuerat vrgeretur, quid, inquit, ô ſtolide vis vt ſoluã, quòd etiam ligatum nobis exhibet negotium? Melius eſſe dicebat in mendicũ euadere, quàm indoctum. Illic enim pecuniis hic humanitate indigetur. Cùm aliquãdo conuiciis ageretur, abibat. inſectatore verò proſequente, ac dicente, cur fugis? quoniã, inquit, maledicendi tu poteſtatẽ habes, audiẽdi ego nõ item. indignanti cuidã ac dicenti quod philoſophos cerneret ſemper obſidere diuitũ fores, & medici, inquit, languentiũ ianuas frequentãt, nõ tamen ideo quiſpiã ægrotare mallet, quã mederi. Corinthũ nauigabat aliquando, & cùm tempeſtate iactaretur, turbari cœperat. in ea perturbatione cuidam inſultanti ac dicenti: Nos imperiti non metuimus, vos philoſophi cur trepidatis? Non, inquit, de eadẽ anima vtriſq; noſtrũ cura & metus incũbit. Gloriãti cuidã, quòd multa didiciſſet, ait, ſicuti nõ hi plurima comedũt & exercẽtur, melius valẽt, quàm qui ſumũt neceſſaria, ita nõ qui plurima, ſed qui vtilia legerũt ſtudioſi habendi ſunt, & eruditi. Oratori qui cauſam

pro

pro se dixerat & vicerat, sciscitanti, quid tibi profuit Socrates? hoc,inquit,vt oratio quam pro me habuisti vera sit. Aretam filiam præclaris monitis instituebat, exercens eam vt id quod nimium esset,cōtemneret.Rogatus à quodam, in quo melior euasurus esset filius,si erudiretur, etsi nulla,inquit,alia in re,certè vel in theatro nō sedebit lapis super lapidem.Cùm sibi quidam commendasset filium, quingentas postulauit drachmas,cui ille cùm diceret, tāti emere mancipium possum,eme,inquit, & habebis duo. Pecuniam se ab amicis accipere dicebat,non vt ipse vteretur,sed vt scirent illi quas ad res pecuniis vti cōueniat. Probro illi semel obiicientibus, quòd in causa propria conduxerit Rhetorē:Atqui, inquit,& cocum dum cœnam facio conduco. Cogente aliquando Dionysio, vt aliquid ex Philosophia loqueretur: Ridiculum,ait,est, si quidem me vt loquar interrogas, & quando loqui oporteat ipse me doces.Ad hæc verò indignatur Dionysius extremum omnium iussit accumbere.Sed ille,illustrem,inquit,hunc locum voluisti. Gloriabatur quidam, ac sibi applaudebat de natandi peritia. ad quem ille:Non erubescis,inquit,in his, quæ delphinis propria

ſunt gloriari? Interrogatus quid differat ſapiens ab inſipiẽte, Mitte, ait, ambos nudos ad ignotos, & diſces. Exultãti cuidam quòd multum bibens non inebriaretur: hoc, inquit, etiam mulus facit. Ad eum qui illi quòd meretrici cohabitaret, exprobrabat: Dic age, inquit, num quid differat eam domum accipere quam multi aliquando inhabitauerint, aut quam nemo? Negante illo, quid, inquit: Nam differre putas ea naui ferri in qua innumeri ſæpe nauigauerint, an in qua nullus? Minimè, inquit ille. Num ergo, inquit, differt, vti mulieri congrediare, ei quæ neque multis fuerit expoſita an ei quæ nullis? Culpatus, cur ex Socratis diſciplina veniens pecuniam acciperet, & meritò, inquit, nam Socrates cùm ſibi pleriq; mitterent triticum & vinum, paucis in ſuos vſus reſeruatis, remittebat reliqua. Habuit enim ille *penuarios Athenienſium principes, ego autem Euthychidem emptitium ſeruum. Vtebatur & Laide meretrice, vt refert Sotion in II. Succeſsionum libro. Qua ex re cùm ſigillaretur à plurimis, habere ſe Laidem respondit, non à Laide ſe haberi. Nam continere ſe à voluptatibus, neq; eis manus dare præclarũ eſſe, nõ earum ſibi vſum interdicere.

* *ταμίας diſpenſatores. Erant ταμίαι magiſtratus apud Athenienſes; quod ferè Romanis quæſtores ærarij.*

Exp

Exprobantem sibi lautiores & delicatiores cibos, hac ratione compescuit: Tu, inquit, ista tribus obolis non emeres? Fatente illo, non tam igitur, inquit, ego voluptati studeo, quàm tu auaritiæ. Ostendebat ei Simus Dionysi quæstor magnificè instructas ædes, & pauimēta pretiosa. Erat autem Phryx. tum ille sputa quàm maximè potuit ei in faciem coniecit. Indignante illo, non habui, inquit, oportuniorem locum. Charondæ, siue, vt quidam volunt, Phædoni interroganti, quis nam esset vnguētis delibutus, ego, inquit, infelix, & me infelicior Persarum Rex. Cæterum vide, ne vt cæteræ animantes propterea nihil sui amittunt, sic ne homo quidem. Mali verò malè pereant cinedi, qui vnguenta pretiosa nobis exprobrāt. Interrogatus quomodo Socrates obiisset diem, vtinam, inquit, sic ego. Intrauit ad illum aliquando sophista Polyxenus, intuitusq; mulieres compositas, & magnificè instructum conuiuium, accusare luxum eiusmodi cœpit. Continuit se ille modicè ac demum, Potésnè, inquit, hodie nobiscum esse? Et cùm ille annuisset, cur ergo, inquit, quereris? Videris enim non delicatiorem mensam accusare, sed sumptum. Gestabat eius famulus

in itinere pecuniam, & cùm premeretur onere, effunde, ait, quod nimis est, & ferea quæ potes. testatur id Bion. Cùm aliquando nauigaret, didicissetq; nauem esse piraticam, acceptum aurum numerabat; deinde velut imprudenti & inuito lapsum è manibus, iactauit in mare, ingemuitque grauiter. Sunt qui illum & hæc dixisse memorent, melius est, vt hæc ab Aristippo, quàm Aristippus propter ista pereat. Interroganti Dionysio ad quid venisset, vt, inquit, quæ habeo impatiar, quæ non habeo accipiam. Alij sic eum respondisse referunt, quando sapientia egebam alij Socratem, nunc pecuniarum egẽs ad te veni. Arguebat maximè homines, quòd in auctionibus quidem vasa inspicerent, vitam verò non inspicerent. Hoc alij Diogenis fuisse volunt. Iusserat aliquando Dionysius in conuiuio, vt singuli in veste purpurea saltarent. id Plato renuit dicens:

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολὴν
Ἄῤῥην πεφυκὼς καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος. — *Senarij ex Euripidis tragœdia quapiã.*

hoc est,

Effœminata veste non possum tegi,
Cùm sim vir, & virili natus stemmate.

Sumptam verò Aristippus se induit, & cùm saltare inciperet, propriè, prõpteq; dixit.

-Καὶ

Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
ὅ γ᾽ οὖς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται. hoc est,
Neque in ſacris Liberi
Patris, pudica mens vnquam corrũpitur.
Orabat aliquando pro amico Dionyſium, & cùm repelleretur, ad pedes eius corruit. Id factum cùm argueret quiſpiam, non ego, inquit, in culpa ſum, ſed Dionyſius, qui aures habet in pedibus. Morabatur in Aſia, & cùm ab Atapherne ſatrapa fuiſſet comprehenſus, interrogatus à quodam, an ibi confideret, quaſi verò, inquit, ô ſtulte magis vnquã fidens fuerim quàm modò ſum, allocuturus Artaphernem? Eos qui liberalibus imbuti diſciplinis Philoſophiã neglexiſſent, Penelopes aiebat procis eſſe ſimillimos. Illos enim & Melãtho & Polydoram ancillas cunctáque potius habere quàm dominæ ipſius nuptias ſperare potuiſſe. Simile quiddam & Ariſto dixiſſe fertur. Vlyſſem quippe cùm deſcendiſſet ad inferos, mortuos ferè vidiſſe omnes, allocutumq; eſſe, reginam verò ipſam ne videre quidem potuiſſe. Ariſtippus verò rogatus quæ nam iuuenes oporteat diſcere, ea, inquit, quæ viris vſui futura ſunt. Exprobranti cuidam quòd à Socrate ad Dionyſium ſe contuliſſet, atqui,

inquit,

inquit, ad Socratem disciplinæ indigens profectus sum, ad Dionysium autem pecuniæ egenus veni. Multas iam pecunias consecuto cùm diceret Socrates, vnde tibi tam multa? Ille, inquit, vnde & tibi pauca? Dicente scorto, ex te gero vterum: Non, inquit, hoc magis nosti, quàm si per spinas densissimas ambulās dicere posses, ista me pupugit. Causante quodam quòd filiū quasi non ex se natum proiiceret, An verò, inquit, ignoramus & pituitam & pediculos ex nobis gigni, quæ tamen velut inutilia quàm longissimè proiicimus? Cùm à Dionysio pecuniam ipse, Plato librum accepisset, insimulante se quodam, ego, inquit, pecuniis indigeo, Plato libris. Percontanti cuius rei gratia se Dionysius argueret, eius ait, cuius arguunt cæteri. Postulabat pecuniam à Dionysio, & ille, dixisti, inquit, non egere sapientem Da, inquit, ille, & postea de his quæremus, & cùm dedisset, videsne ait, me non indigere? Dicente ad eū Dionysio: Qui ad tyrannum proficiscitur, illius est seruus, quamuis liber fuerit: Non est, inquit, seruus si liber venit. Hoc Diocles refert libro de vita Philosophorum. Alij Platonem id dixisse tradunt. Iratus Aeschini, Nōne mox redibimus ait in gra-

tiam,neq; delirare desistemus? Num expectabis quoad quippiam de nobis scurra loquatur ad pocula? Et ille,grato,inquit,animo. Memento ergo , ait Aristippus , quòd ad te cùm maior essem natu prior accessi. Et Aeschines , Rectè,inquit,per Iunonem dixisti:nam me multò profectò melior es. Ego enim inimicitiarum,tu amicitiæ princeps fuisti. Et ista quidē de illo referuntur. Fuerunt autem Aristippi quatuor. Primus iste de quo nobis sermo est. Secundus qui Arcadiæ historiā scripsit. Tertius qui quòd à matre doctus esset ; μητροδίδακτος dictus est,prioris nepos ex filia. Quartus ex noua Academia profectus. Huius autem Cyrenaici Philosophi libri isti memorātur,tres historię Libycæ libri ad Dionysium missi. Dialogi viginti quinq;. Alij quidem Attica,alij verò Dorica*locutione scripti. Sunt autem hi, Artabazus,ad naufragos,ad fugitiuos,ad mēdicum,ad Laidem, ad Porum, ad Laidem de speculo. Hermias , somniū, ad eum qui præerat poculo , Phiromelus, ad domesticos , ad increpantes quòd vetus vinum scortaq; possideret ad vituperantes quòd magnificè instrueret mēsam. Epistola ad Aretem filiam , ad eum qui seipsum exercebat in olympia , interrogatio , alia inter

*διαλέκτῳ.

interrogatio, χρεία, Necesſitas ad Dionyſium, alia de imagine, alia de Dionyſi filia, ad eum qui arbitrabatur ſe contemptui & ignominiæ haberi, ad eum qui conſulere moliebatur. Pleriq; illum & Διατριβῶν ſex libros explicuiſſe aſſerunt, alij prorſus ſcripſiſſe negant; ex quibus eſt Soſicrates Rhodius. Porrò & Sotion in ſecundo, & Panætius hæc illum ſcripſiſſe referunt, videlicet, De diſciplina, de virtute exhortatorius, Artabazus naufragij fugitiui, diatribarũ libri ſex, * neceſsitatum libri tres, ad Laidem, ad Porum, ad Socratem de fortuna. Finem verò definiuit lenem motum ad ſenſum emanantem. Age verò quoniam ipſius vitam deſcripſimus, nunc eós qui ab illo fluxere, Cyrenaicos ſuo ordine proſequamur. Ex his alij quidem ἡγησιακοὺς, ἀννικερείους alij, alij Theodorios ſeipſos appellauere. Sed & illos etiamnum qui à Phedone manarunt, ex quibus Eretricos nobiliſsimos dicere. Sic autem illorum ſeriem recenſeamus. Ariſtippum audiuit Arete filia, & Aethiops Ptolomæus, & Cyrenæus Antipater. Aretæ verò auditor fuit Ariſtippus Metrodidactos cognominatus, eius verò Theodorus qui primo ἄθεος, deinde Theos appellatus eſt. Antipatrum Epitime-

* χρειῶν.

des Cyrenæus audiuit, eius Paræbates auditor fuit. Paræbatis Hegesias qui πεισιθάνατος est dictus, & Anniceris, à quo Plato redemptus est. At enim qui Aristippi instituta amplexi sunt, & ab illo Cyrenaici sunt appellati, hisce opinionibus vtuntur. Duas perturbationes ponunt, dolorem & voluptatẽ, voluptatem lenem motum, dolorem verò asperum motum appellantes. Nihil differre à voluptate voluptatem, neque plus altera commune habere alteram, atque illam quidem cunctas animantes appetere, hunc autem aspernari. Voluptatem autem corporis intelligunt quam & finem esse dicunt, vt etiam Panætius in libro de Sectis tradit, non eã quæ in statu sit, & doloris priuatione consistit, & veluti à turbatione omni quietem agit, quam suscepit Epicurus, finemque constituit. Videtur autem eis finis à beata vita differre: finem quippe esse particularem voluptatum, beatam autem vitam siue felicitatem, voluptatum particularium constare conuentu, quibus & præteritæ connumerantur & futuræ, Particularem quoque voluptatem propter se eligendam, felicitatem verò non propter seipsam, sed propter particulares volupta-

tes

tes expetendam. Teſtimonio nobis eſſe finem habendam voluptatem, quòd à pueris hanc nobis natura conciliauerit etiam abſque iudicio rationis: & cum illa fruimur, nihil amplius inquirimus, quodq́; nihil æque ac dolorem naturaliter fugimus, voluptatem præterea bonum eſſe, etiam à turpiſsimis proueniat rebus, vt ait Hippobotus in libr. de ſectis. Si enim fœdat ſit actio, voluptatem tamen per ſeipſam eligendam eſſe, bonumq́; exiſtimandã. Porrò illa doloris amotio quam tuetur Epicurus, eis non videtur voluptas eſſe, neq; priuatio voluptatis dolor. vtraque enim eſſe in motu conſtituta, cùm non ſit motus doloris voluptatisq́; priuatio. Quippe doloris illa vacatio veluti dormientis ſtatus eſt. Poſſe quoſdam aiunt voluptatem minimè appetere per animi peruerſionem, non tamen omnes animi voluptates ac dolores in corporeis voluptatibus & doloribus fieri, quippe qualibet ſimplici ex patriæ proſperitate, ſiue priuata felicitate gaudium gigni. Imo ne ex memoria quidem ſeu expectatione bonorum voluptatem perfici dicunt, quod placet Epicuro, nã tempore motum animi effluere, quin ne ſolo quidem viſu vel auditu voluptates

constare posse, quando & eos qui lamentationes imitantur, libenter audimus, veras autem illibenter atq; iniucundè. Porrò priuationem huiusmodi aut voluptatis, aut doloris medios status appellabant. Longè tamen esse præstantiores corporum quam animorum voluptates deterioresq; corporis quàm animi affectationes, quocirca & his peccantes magis cruciari. Durius quippe dolere, lætari verò familiarius & gratius arbitrabantur. Quocirca & maior illis erat corporis cura quàm animi. Vnde cum inde quoque constet eligendam voluptatem, pleraque tamen quæ sunt efficientia quarundam voluptatum, cum sint molesta, sæpe aduersari, vt difficilima eis videatur voluptatum congeries, quæ beatam vitam efficere non possit. Placet autem eis neque sapientem semper in voluptate viuere, neque rursus insipientem semper in dolore, verum maiore ex parte sit vtrumque affici. Satis autem esse, si quis vel per vnam incidẽtem voluptatem suauiter afficiatur. Prudentiam quidem bonum esse asserunt, nõ autem propter seipsam appetendã, sed eorum gratia, quæ nobis ex illa proueniunt. Amicum necessitatis causa amplectẽdum.

Nam

Nam & corporis partes quandiu adſunt, adamari. Virtutes quaſdam imprudentibus,& communes eſſe. Corporis exercitationem conferre ad virtutē capeſſendam. Sapientem nunquam inuidia tentandum, neq; cupiditati, neq; ſuperſtitioni vnquam ceſſurū. Iſta enim ex inani opinione contingere, metu tamē & dolore pulſandum. Id quippe naturaliter fieri. Diuitias præterea voluptates efficere, neque per ſe appetendas. Perturbationes item cōprehendi poſſe dicebant, non autē etiam ex quibus fiunt. Naturalium rerū inquiſitionem omittebant, quòd comprehendi non poſſe manifeſtè colligerent. Logicen propter ſummū eius vſum attingebant. tamen Meleagri ſententia eſt in ſecundo de opinionibus, & Clitomachi in primo de ſectis, eos & phyſicam,& dialecticā æquè aſpernari. Poſſe enim & aptè dicere, ac extra ſuperſtitionē eſſe, mortiſq; metum effugere, qui rationem bonorum malorumq; didicerit. Nihilq; natura iuſtum eſſe, aut honeſtum vel turpe, ſed conſuetudine ac lege. Vir tamē bonus nihil agit perperam ob imminentia damna, opinioneſq; ſiniſtras euitandas. Eſſe autem ſapientē profectum quendam in iis quæ vel in philo-

ſophia, vel in cæteris bonis, & honeſtatis artibus non ſatis prouenerũt. Aiunt & dolore affici alium alio magis, ſenſusq; non ſemper vera nuntiare. Verum enimuerò hi qui dicuntur Hegeſiaci, eãdem ſanè de voluptate ac dolore habuere ſententiam, præterea neq; gratam eſſe aliquid, neque beneficentiam, neq; amicitiam, quòd iſta non per ſe ipſa appetamus, ſed vſus ac neceſsitatis gratia, ac propter eos qui ſi abſint, illa nec ſubſiſtere quidem, eſſe autem impoſsibile cumulatè contingere beatam vitam. Corpus quippe morbis multis paſſionibusq; affligi, animã verò ſimul cum corpore pati, & vnà turbari, cõplura item quę ſperemus, à fortuna impediri, propter iſta igitur atq; huiuſmodi beatam vitam non poſſe obtineri. Vitã pręterea ac mortem eligendam. Natura item ſuauè atque inſuauè nihil opinabantur, cæterùm propter rerum vel raritatem, vel nouitatem, vel ſacietate lætari alios, alios angi. Diuitias vel paupertatẽ nihil ad voluptatis valere rationem, neq; enim aliter ea voluptate diuites quàm pauperes affici. Seruitutem æquè atq; libertatem, nobilitatem atque ignobilitatem, gloriam vel ignominiam nihil differre ad voluptatis modum,

atque

atque insipienti quidem expedire si viuat, id verò sapienti indifferens esse. Sapientem suiipsius gratia cuncta facturũ. Alium quippe neminem æquè ac se dignũ arbitrari. Quamlibet enim ingentia videatur ab eo consecutus, non tamen eorum quæ ipse præstiterit merita æquare. Tollebant & sensus, quòd certam non inferũt notionem, quiq; sine delectu agere cuncta viderentur. Eorum peccata veniam dicebant promereri, neq; enim sponte peccare, sed aliqua perturbatione coactos. Non odio quenquam habiturũ, sed potius eruditurum. Sapientem non adeò in bonorũ electione inhæsurum, vt in malorum fuga, finem cõstituendo, vt neq; in labore, neq; in dolore viuatur. Idq; eos assequi qui circa voluptatum materiam neutram in partem inclinatiores sunt. Porrò Anicerij in cæteris ab istis non dissentiunt. Relinquũt autem amicitiã in vita, & gratiam, honoremq; aduersus parẽtes, & pro patria præclarum aliquod facinus. Quocirca quamuis molestias sapiens, ac negotia subeat, nihilominus beatè victurũ, etsi minimum voluptatis illi suppetierit. Amici felicitatem non per se appetendam, neque enim proximi patere sensui, neque satis esse in

ratione momenti, vt confidere possimus, & multorum opinione celsiores euadere, oportere verò in optimis quibusq; assuefieri, propter inolitã & insitam nobis affectionem vitiosam. Amicum nô propter vsum, ac necessitatẽ solum suscipiendum, quæ profectò si deserit, non erit ille auersandus, verũetiam propter insitam beneuolentiam, cuius gratia dolores quoq; esse subeũdos. Quamuis enim finem in voluptate constituant, doleántque si illa priuari contingat, sponte tamen sustinendos labores volunt pro sommo in amicũ studio, affectúque singulari.

Qui autem Theodorij sunt appellati, à Theodoro quem prædiximus traxere cognomen, eiúsque decretis vsi sunt. Porrò Theodorus ipse omnes de diis opiniones sustulit. Deniq; librũ ipsius de diis inscriptum offendimus non cõtemnendum, ex quo & Epicurũ complura sumpsisse asserunt. Audiuit autem Anniceridẽ, Dionysiúmque dialecticum, vt ait Antisthenes in philosophorũ successionibus. Finem opinatus est gaudium & mœrorem. Alterum constare prudentia, alterum verò imprudentia. Bona esse prudentiam atque iustitiam, mala verò contrarios habitus, media

volup

voluptatem & dolorem. Sustulit & amicitiam, quòd ea neque insipientibus adsit, neque sapientibus. In illis enim sublato vsu amicitiam quoq; euanescere. Sapientes verò cum sibiipsis sufficiant, amicis nõ indigere. Probabile dicebat prudentem virum non seipsum pro patria periculis exponere, neque enim pro insipientium commodis amittendam esse prudentiam, esséque patriam mundum. Furto quoque & adulterio, & sacrilegio cùm tempestiuum erit daturum operam sapientem. Nihil quippe horum turpe natura esse: sed auferatur de hisce vulgaris opinio, quę è stultorum imperitorúmque plebecula conflata est. Sapientem publicè absque vllo pudore, ac suspicione scortis congressurum. Aiebátque istiusmodi argutiis, Nónne mulier literis instructa vtilis erit, quia literata est? & puer itidem, & adolescens vtilis erit, quia literaturam callet? Ita sanè. & mulier igitur vtilis est, quia pulchra erit. Et puer & adolescens vtilis erit, quia formosus est? Ita sanè. Puer igitur, & adolescens pulcher, & ad hoc erit profectò vtilis ad quod formosus natus est. Assentiebatur. Est autem vtilis vt ei congrediatur. Quibus concessis inferebat,

Si quis

Si quis ita vtatur eiuſmodi congreſsione quando id vtile eſt, non peccabit. Neque igitur ſi vtatur pulchritudine dum id vtile eſt, peccat. His igitur atque huiuſmodi interrogatiũculis auditores capiebat. Videtur autem idcirco appellatus deus, quòd cùm illum Stilpo percontatus eſſet, Putásne Theodore te id eſſe quod diceris? atque ille fateretur, Deus ergo, inquit, es. Id cùm ille gratè accepiſſet, ſubridens ait, atqui infelix, inquit, ea ratione & cornicem te eſſe fatereris, & alia huiuſmodi innumera. Cùm aſsideret aliquando Theodorus Euryclidi Hierophantæ, Dic mihi, ait, Euriclides, qui nam ſunt qui circa myſteria impij ſunt? cùm reſpondiſſet ille, eos eius criminis reos teneri, qui ea necdum initiatis aperirent. Et tu ergo, inquit, impius es, qui iſta nondum initiatis enarres. Parum autem abfuit, quin periclitaretur ne traheretur in Arium pagum, niſi eum Demetrius Phalereus eruiſſet. Amphicrates verò, in libro de viris illuſtribus, ait illum damnatum, venenumq; bibiſſe. Cùm verò apud Ptolemæum Lagi filium moraretur, legatus aliquãdo ad Lyſimachum ab illo miſſus eſt, magna verò fiducia vtẽti, ait Lyſimachus, Dic mihi Theodore,

nónne

nónne tu Athenis excidisti? Et ille, rectè iudicas, inquit, Nam me Atheniensium ciuitas ferre non valens, non secus ac Semele Dionysium expulit. Rursus dicenti Lysimacho, Caue ne vlterius ad nos proficiscare, Non, inquit, reuertar, nisi me mittat Ptolemæus. Aderat Mythrus Lysimachi dispensator. Is cùm diceret, videris nõ solùm deos, verum & reges ignorare: quo pacto, inquit, illos ignoro, quandoquidem te diis inimicũ puto? Fertur cùm aliquando Corinthum venisset, magna discipulorum turba comitatus, & Metrocles Cynicus σκάνδικας (id enim est syluestre olus) abluens ei diceret, At tu sophista nequaquam multis discipulis egeres, si olera dilueres dixisse, Et tu si cum hominibus cõuersari didicisses, profectò istis oleribus non vterere. Simile quiddam, vt suo loco diximus de Diogene & Aristippo memoratur. Huiusmodi Theodori fuisse vitam ac doctrinam comperimus. Demum verò Cyrenẽ profectus apud Marium in pretio diu vixit, vbi cùm primum eiiceretur, non illepidum quiddã dixisse fertur. Malè, inquit, facitis viri Cyrènaici qui me ex Lybia in Græciam exulem agitis. Fuerunt autem Theodori viginti. Primus Samius

Rhœ

Rhœmi filius, qui cõsuluit carbones fundamentis Ephesini templi subiici. Nam cùm humidus esset locus, carbones ait reiecta ligni natura soliditatẽ accipere humori inuiolabilem. Secundus Cyrenaicus geometra, cuius & Plato auditor fuit.

* φωνα-σκικόν.

Tertius hic ipse philosophus. Quartus, cuius fertur * libellus de vocis exercitatione. Quintus qui de legislatoribus scripsit à Terpandro initium sumens. Sextus Stoicus. Septimus qui Romanas res conscripsit. Octauus Syracusanus, qui de re militari scripsit. Nonus Byzantius in causis ciuilibus clarus. Decimus similiter, cuius & Aristoteles in oratorum epitome mentionem facit. Vndecimus Thebanus sculptor. Duodecimus pictor, cuius & Polemon meminit. Decimustertius Atheniensis pictor, de quo Menodotus scribit.

Decimusquartus Ephesius pictor, cuius Theophanes in libro de pictura meminit. Decimusquintus epigrammatum poëta. Decimussextus qui de poëtis scripsit. Decimusseptimus medicus Athenæi discipulus. Decimusoctauus Chius philosophus, Stoicus. Decimusnonus Milesius, & ipse philosophus Stoicus. Vicesimus tragœdiarum scriptor.

PHA

PHAEDON.

PHædon Elienſis nobili familia, vnà cùm patria captus coactus eſt intra cellulam infami ſe quæſtui addicere. Adiecto tamen oſtiolo Socratis contubernio præceptoreq; fruebatur,quoad ipſum Alcibiades ſeu Crito,Socrate monente redimeret. ex quo liberaliter philoſophiæ operam dedit. Hunc Hieronymus in libro * de aſſenſu retinendo ſeruum fuiſſe aſſeuerat. Scripſit autem dialogos, de quibus nihil dubitatur, Zopyrum & Simonem, De Nicia controuerſia eſt.Medum quem Aeſchinis eſſe plerique tradunt, alij verò Polymeni.Antimachum ſiue Senes. & de hoc ambigitur. Scythicos ſermones etiam quidam Aeſchinis eſſe aſſeuerant. Succeſſor autẽ eius fuit Pliſtanus Elienſis, & ab eo tertius Menedemus Eretricus, Aſclepiadésque Phliaſius à Stilpone profecti, atque vſque ad eos Eliaci ſunt appellati: à Menedemo autem Eretrici,de quo poſtea dicemus, idcirco quòd ipſe ſectæ princeps atque autor fuerit.

* περὶ ἐποχῆς.

EVCLIDES.

EVclidesMegaris oppido,quod Iſthmo adiacet,ſiue iuxta quoſdam Gelous,vt in ſucceſsionibus tradit Alexãder,Parmenidis

nidis librorũ in primis ſtudioſus fuit. Ab eo Megarici denominati ſunt, qui poſtea ἐριστικοὶ, poſtremò dialectici ſunt. Quos ita primus Dionyſius Carthaginienſis idcirco appellauit quòd interrogando, ac reſpondendo ſermones libroſq; cõponerent. Ad hunc ait Hermodorus, poſt Socratis mortem, veniſſe Platonẽ, ac Philoſophos reliquos metu atrocitatis tyrannorũ compulſos. Hic bonũ eſſe vnum definiuit multis nominibus celebre. Aliquando enim hoc dici prudentiam, quandoque deum, aliàs mentem appellari, & huiuſmodi cætera. Quæ bono aduerſa viderentur ſuſtulit, ea ne eſſe quidem dicẽs. Vtebatur probationibus, non his quæ per aſſumptiones, ſed quæ per cõcluſiones fiunt. Diſputationem item quæ fit per ſimilitudinẽ ſuſtulit, dicens illam ſanè aut ex ſimilibus conſiſtere, aut ex diſsimilibus. & ſi ex ſimilibus cõſiſtit, circa ipſa potius quàm quibus ſunt ſimilia verſari rationẽ debere. Sin autem ex diſsimilibus, ſuperuacaneam eſſe comparationem. Idcirco & Timon illum vnà cum cæteris Socraticis mordet, nullius ſibi horum curam eſſe dicens, non Phædonis, non alterius cuiuſpiam, neq; Euclidis qui Megarenſibus contentionis rabiẽ inuexit.

Dialog

Dialogos autem conſcripſit ſex, Lampriã, Aeſchinem, Phœnicem, Critonẽ, Alcibiadem, Amatoriũ. Porrò ex Euclidis ſucceſſione eſt & Eubulides Mileſius, qui & plurimos in dialectica modos, rationesq; interrogandi tradidit, mentientem & fallentẽ, electram, conuelatam, * aceruale, corneam, & item caluam. Et iſtum nõ defuit ex Comicis qui carperet.

σωρί-την. *Sic enim vertit Politianus totũ hunc locum.*

Ὁ ὑβριστικὸς Εὐβουλίδης κεράτίνας ἐρωτῶν
Καὶ ψευδλέσ' ἀλαζόσι λόγοις τοὺς ῥήτορας κυλίων
Ἀπῆλθ' ἔχων Δημοσθένους τὴν ῥωβωστομυλῆθραν. idest,

Contumelioſus Eubulides ceratinas interrogans
Et mendacibus faſtuoſisq; verbis rhetores verſans
Abiit Demoſthenis habens volubilitatẽ.

Videtur Demoſthenes hunc audiuiſſe, & cum ρ literã pronuntiare vix poſſet, emendaſſe iugi exercitio. Neque item obſcurum eſt Eubulidem aduerſus Ariſtotelem inimico animo fuiſſe, eumq; in plurimis reprehendiſſe. Inter cæteros verò qui ex Eubulidis ludo manauerant Alexinus Elienſis fuit, vir acer, & contentionis viribus ac neruis clarus vnde & Alexinus co-

gnominatus est. Maximè autem Zenoni infestus erat. Hunc ait Hermippus ex Elide in Olympiam profectum, ibiq; philosophatum. Discipulis autem rogantibus, cur illic moraretur, dixisse, velle se sectam instituere, quam Olympiacam vocaret. Illos verò cùm rerum omnium penuria, & præterea insalubri loco affligerentur, ab eo recessisse, iamq; Alexinum solum ac desertum vno tantum famulo comite ibi remoratum. Postea dum nataret in Alpheo flumine arundinis acumine læsum, vita excessisse. Et est in ipsum nostrum epigramma sic se habens,

Οὐκ ἄρα μῦθος ἦν ἑκῶν ἐικαῖος
ὡς ἀτυχής τις ἑὴν πόδα κολυμβῶν περιεπείρετο
Ἤλῳ, καὶ γὰρ ὁ σεμνὸς ἀνὴρ πρὶν Ἄλφεον
ποτ' ἐκπερῶν Ἀλεξῖνος ἔθανεν νυχθεὶς καλάμῳ. id est,

At non inanis hercle erat illa fama,
Cuidam natanti misero trãfixum pedẽ
Clauo. nam Alexinus prius flumen Alpheum
Quàm trãsfretasset, canna fixus occidit.

Scripsit non solum ad Zenonem, verùm & alios complures libros, & ad Ephorum historicum. Ex Eubulidis disciplina &

Euphan

Euphantus fuit Olynthius, qui temporis sui conscripsit historiam. Scripsit & tragœdias plurimas, quibus in certaminibus maximè probatur. Fuit & præceptor Antigonis regis, ad quem etiam librum de regno scripsit perutilem atque laudatissimum. Vitam verò senectute finiuit. Fuerunt & alij complures auditores Eubulidis, inter quos & Apollonius Cronus.

DIODORVS.

Diodorus Amenij filius Iaseus, & ipse cognominatus Cronus, quem & Callimachus in epigrammatis mordacissimè insectatur, ac parietibus inscribit illud, Cronus est sapiens. Erat & iste dialecticus, primusq; inuenisse à quibusdam existimatus est inuolutum & cornutum differendi genus. Hic apud Ptolemæum Soterem cōmorans, cùm à Stilpone sermones quosdam dialecticos interrogatus extemplò nequiuisset soluere, à rege increpitus, Cronusq; in iurgio vocatus conuiuium deseruit, egressusq; librum de ea propositione conscripsit, vitámque mœrore finiuit. Est in ipsum nostrum epigramma in hunc modum,

Κρόνε Διόδωρε τίς σε δαιμόνων κακῇ
Ἀθυμίᾳ ξυνέρυσεν

Ἵν' αὐτὸς αὑτὸν ἐμβαλῇς εἰς τάρταρον
Στίλπωνος οὐ λύσας αἰνιγματώδη ἔπη;
Τοὶ γὰρ σὺ εὑρέθης Κρόνος ἔξωθεν τοῦ ῥῶ κάππα τε. hoc est,

κρόνος extra ρ & κ, hoc est, ὄνος.

Crone Diodore quis te dæmonũ mala
Affectione compulit,
Vt tu te in atrum mitteres tartarum,
Quod non solitis Stilponis ænigmatis
Victus fuisti? iure ergo deprehenderis
Cronus remotis r, & cappa literis.

Fluxit ab Euclide Ichthæas Metalli filius, vir illustris, ad quem Diogenes Cynicus dialogum scripsit. Clinomachus item Thurius, qui primus de proloquiis & prædicamentis & cæteris huiusmodi scripsit. Et Stilpo Megarensis clarissimus philosophus, de quo nunc dicendum est.

STILPO MEGARENSIS.

STilpo Megarensis eius oppidi quod in Græcia est, audiuit quosdam ex Euclidis familia. Alij ex ipsius Euclidis auditorem tradunt. Thrasymachi etiam Corinthij illius qui Ichthyæ familiaris erat, vt ait Heraclides. Intantum verò & inuentione & eloquentia præcessit alios, vt parum abfuerit quin omnis Græcia in illum intenta* in Megara transisse diceretur. De eo Philippus Megaricus ita ferme retulit.

* Μεγαρίσαι.

A theo

A theophrasto quidem Metrodorus illum speculationis studiosum, & Timagoram Geloum auulsit, ab Aristotele verò Cyrenaico Clitarchum & Simmiã. Porrò à dialecticis Pæonium quidem ab Aristide, Diphilum verò Bosporianum Euphanti, & Myrmecem Exæneti filium, qui ad se arguendum venerant, vtrosq; sui studiosos habuit. Præter hos autem Phrasidemum peripateticum physicumq; peritissimũ ad se attraxit, Alcimumq; oratorem omniũ qui in Græcia tum florebant eminentissimum. Cratem insuper, & complures alios in sua retia induxit, Phœnicemq; Zenonẽ vnà cum illis abstulit. Erat præterea maximè ciuilis, ac præter vxorem quàm duxerat, Micarete etiã pellice vtebatur, vt Honetor ait, filiamq; parũ pudicam genuit, quàm duxit Simmias Syracusanus eius necessarius. Hæc dum lasciuius viueret, Stilponiq; à quodam renuntiatum esset eam sibi probro esse, non, inquit, ista maiori mihi probro est, quàm ego illi ornamento. Suscepit hunc honorificè, vt aiunt, & Ptolemæus Soter, cum Megara ipsius vrbem victor obtinuisset, ac tradita sibi pecunia oraret, vt in Aegyptum secum nauigaret. Tum ille pecuniæ modicum ad-

misit, eam profectionem renuens, in Aeginam cõtendit, quoad ille remearet. Demetrius quoque Antigoni filius cùm cepisset Megara, domum illi reseruari, cunctamq; direptam substantiam restitui curauit. Vbi cum ea quæ amiserat, vt scriptis sibi traderet moneret, nihil ille suum se perdidisse respondit. quippe doctrinam & eruditionem sibi ademisse neminem, reliquamq; sibi esse & eloquentiam & disciplinam, atque illum mortalis beneficientiæ admonuit tanta orationis vi, vt rex illius iam studiosus, prorsus auditor fieret. Aiunt illum ita quendam de Phidiæ Minerua compellasse, Num, inquit, Minerua Iouis filia*deus est? Cùm verò annuisset ille, dixisse, At ista non Iouis, sed Phidiæ est: concedebat. Non ergo inquit, ipsa deus. Qua ex re cùm in Arium pagum pertractus fuisset, nihil inficiatum ferunt, imò rectè se locutũ asseruisse. Non enim deum esse, sed deam: deos quippe mares esse. Areopagitas tamen nihilo placatiores factos, iussisse cõtinuò ipsum vrbe excedere, quo etiam tempore Theodorum cognomento deum iurgio dixisse, Vnde hoc nouerat Stilpo? Num amota palla ipsam inspexerat? Erat iste profectò auda-

*θεὸς, *Græcis vt nõnũquã etiam* Latinis, *deus de vtroq; sexu.*

cissim

cißimus, verum Stilpo vir compoſitißimus, & maximè facetus. Denique cùm rogaſſet illum Crates an dij precationibus ac diuinis honoribus gaudeant, Noli me, inquit, fatue in via de hiſce rogare, ſed ſolū ac ſeorſum. Hoc ipſum & Bionem interrogatum, an ſint dij, dixiſſe tradunt.

οὐκ ἀπ' ἐμοῦ σκεδάσεις ὄχλον ταλαπείριε πρέσβυ;

hoc eſt,

Túne ſenex turbam à nobis propellere
curas?

Fuit & Stilponi ingenium ſimplex, neque vlla ſimulatione fucatum, ita vt imperitæ quoque concioni ſe accommodare nullo negotio poſſet. Crater deniq; Cynico ſemel ad id quod fuerat interrogatus nō reſpondente, ſed crepitum ventris emittente, Sciebam, inquit, te omnia potius quàm quæ deceret locuturum. Caricam illi aliquando interrogatiunculamq; propoſuerat. Eam verò ille ſtatim comedit, & cùm diceret illi Stilpo, Hercle * caricam perdidi, non ſolum, inquit, caricam, ſed & interrogatiunculam, cuius arra hæc fuit carica. Rurſus cùm vidiſſet hyeme Cratem aduſtum. O Crates, inquit, videris mihi *nouo indigere pallio, quaſi diceret veſte & mente: ad hanc eius vocem rubore ſuf- *ἰσχάδα *ἱματίου καινοῦ.

fusum ita in illum lusisse Cratein:

Alludit ad locū. Iliad. 8.

Καὶ μὴν καὶ Στίλπωνα ἐσεῖδον, χαλεπ' ἄλγε' ἔχοντα

Ἐν Μεγάροις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Ἔνθα δ' ἐρίζεσκεν, πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι.

Τὴν δ' ἀρετὴν παρὰ γράμμα διώκοντες κατέτριβον. hoc est,

Atqui ego Stilponē Megaris mala multa ferentem

Vidi vbi monstrosi esse ferunt habitacla Typhoei.

Hic contendebat iuuenum comitante caterua,

Nil sani misera quā de virtute docebat.

Fertur Athenis hominum ita in se studia vertisse, vt ex officinis ad eum confluerēt visendum. Vbi cùm quidam diceret, admirātur te, ô Stilpo, veluti belluam, minimè, inquit ille, sed velut hominē verum. Cæterum cùm esset disputator acerrimus, species quoque tollebat, dicebatq́, qui hominem diceret neminem esse, neque hunc aut hunc dicere. Quid enim hunc magis quàm hunc? non igitur hunc. Rursúsque olus quod ostenditur non est. olus enim ante mille annos fuit, non est igitur hoc olus.

olus. Fertur cùm Crati colloqueretur, inter loquendum festinasse vt pisces emeret. cùm eum ille retinere vellet, ac diceret, sermonem relinquis? minimè, inquit, sed sermonē habeo, & te derelinquo. Sermo quippe manet, cibus autem vænum dabitur nisi festinauero. Feruntur ipsius dialogi nouem non satis gratiæ habentes. Moschus, Aristippus siue Callias, Ptolemæus, Chærecrates, Metrocles, Anaximenes, Epigenes, Ad filiam suam, Aristoteles. Huius auditorem fuisse Zenonem Stoicorum principem Heraclites refert. Senem verò defecisse Hermippus testis est, hausto prius mero vt citius moreretur. Reprehēsus est à Sophilo comico in comœdia quæ inscribitur γάμος. Est autem in hunc Stilponem nostrum epigramma.

Τὸν Μεγαρέα τὸν Στίλπωνα γινώσκεις δ' ἴσως
Γῆρας ἔπειτα νόσος καθεῖλε δυσμαχον ζύγον
Ἀλλ' οἶνον εὗρε τῆς κακῆς συνωρίδος
φέρτερον ἡνίοχον. hoc est,
Stilpona nosti Megarēsem illū forsitā,
Quem cùm senectus cepit morbus improbus,
Iugumq; triste, vinum bigæ pessimæ

Inuenit aurigam illico longè optimũ.

CRITO ATHENIENSIS.

CRito Atheniensis, vnus omnium maximè eximio quodam amore Socrati affectus est, atque eius ita curam egit, vt nunquam aliquid ex his quæ sunt ad vsum necessaria illi deesse pateretũr. Ipsius liberi Socratis auditores fuere, Critobulus, Hermogenes, Ctesippus, Epigenes. Crito igitur dialogos decem & septem scripsit, qui vno continentur codice, ita inscriptos, Non ex disciplinis constare probitatem. Quid sit abundare. Quid idoneum siue ciuile. de honesto, de deo, quid sit malefacere, de fertilitate, de lege, de artibus, de congressu, de sapientia, Protagoras, siue ciuilis, de literis, de poëtica, de honesto, de disciplina, de scientia, quid sit scire.

SIMON ATHENIENSIS.

SImon Atheniensis coriarius. Quoties ad eius officinam perrexisset Socrates, atque dissereret omnia quæ meminisse poterat, notabat. Vnde & ipsius dialogos σκυτικοὺς appellant, quòd inter huiusmodi opifices sint habiti. Sunt autem numero XXIII. qui vno itidem codice cõprehẽdũtur. De diis, de bono, de honesto, quid sit

pulch

pulchrum & honestum, de iusto duo, de virtute quòd doceri non posit, de fortitudine siue virilitate tres, de lege, de popularitate, de honore, de poësi, de bona valetudine, de amore, de philosophia, de scientia, de musica, quid sit pulchrum, de disciplina, de disserendo, de iudicio, de eo quod est, de numero, de diligentia, de operando, de auaro, de iactantia, de honesto. Alij autem, de consulendo, de ratione siue aptitudine, de malificentia. Fertur hic primus omnium Sacraticos sermones disseruisse. Cùm autem Pericles polliceretur si ad se veniret, cuncta illi necessaria exhibiturum, libertatem, inquit, vendere consilij non fuerit. Fuit & alius Simon, qui scripsit artem rhetoricam. alius item medicus Seleuci & Nicanoris necessarius; atq; alius quidam sculptor.

GLAVCON ATHEniensis.

GLaucon Atheniensis, nouem itidem in codice vno scripsit dialogos, Phædylum, Euripidem, Amæntichum, Euthiam, Lysitedem, Aristophanem, Cephalum, Anaxiphemum. Menexenum. Feruntur eius & alij triginta duo, sed suspecti & supposititij.

SIM

SIMMIAS THEBANVS.

SImmias Thebanus fuit. Et huius feruntur dialogi triginta tres vno volumine, de ſapientia, de veritate, de muſica, de verſibus, de fortitudine, de philoſophia, de ratiocinatione, de literis, de doctrina, de arte, de regimine, de decoro, quid eligendũ, quídve fugiendum ſit, de amico, de ſcientia, de anima, de bene viuendo, de poſsibili, de pecuniis, de vita, quid ſit honeſtum; de diligentia, de amore.

CEBES THEBANVS.

CEbes & ipſe Thebanus, ſcripſit dialogos tres, qui inſcribuntur * Tabula, Septima, Phrynichus.

* πίναξ quæ et hodie extat.

MENEDEMVS.

MEnedemus Phydonis Cliſthenis filis, ex familia Theopropidarum filius fuit, viri ſanè nobilis, ſed opificis, ac pauperis. Alij * tabernaculorum ſutorem fuiſſe tradunt, & vtrunq; didixiſſe Menedemum. Quocirca, cùm decretum quoddã tuliſſet, reprehẽſum ab Alexinio quodam, quòd ſcilicet non conueniret ſapienti, neque tabernaculum, neque decretum ſcribere. Miſſus autem ab Eretrienſibus in Megaram præſidio futurus, cõtendit ad Platonem in Academiam, inq; illius retia nõ

* σκηνο-γράφον.

inuit

inuitus incidit, deseruitq; militiam. Cæterum Asclepiade Phliasio ad se illum pertrahente, Megaris apud Stilponem egit, eiusq; ambo auditores fuere. inde nauigãtes Elidẽ Anchipylo & Moscho Phœdonis discipulis cõgreßi sunt. atq; tum adhuc, vt suprà cùm de Phædone loqueremur dictũ est, ἠλειακοὶ appellabantur. Postea verò ab eius patria, de quo nunc sermo est, Eretrici vocati sunt. Constat Menedemum honestate ac grauitate fuisse celebrem, qua ex re Cratem quoq; sic in illum iocatum:

Φλιάσιόν τ' Ἀσκληπιάδην, καὶ ταῦρον Ἐρέτριον. hoc est,

Phliasiumq; Asclepiadem, taurumq; Eretrensem.

Timon itẽ elato supercilio cùm dicturus assurgeret, fuisse illum notat, his verbis:

Λόγον ἀναστήσας ὀφρυωμένος ἀφροσιβόμβαξ. hoc est,

Dicturus fastosus erat, rudibusque cachinnis;

Adeò autem ea grauitate insignis fuit, vt cum Eurylochus Cassandræus Ab Antigono accerseretur vnà cum Cleippide Cyziceno adolescente abnuerit; metuere enim ne id Menedemus persentiat. Erat enim summæ in obiurgãdo grauitatis atq; præcipuæ

cipuæ autoritatis. Deniq; cùm adoleſcens in illo motu temerario ferretur, dixit quidem nihil, cæterũ ſumpta * feſtuca pingebat in pauimẽto traiecti figuram, dum interim ſpectantibus omnibus adoleſcẽs inſigni contumelia notari ſe intelligens abſceſsit. Hierocles in Pireo de Amphiarao illum obtundebat, & cùm plurima de Eretriæ loqueretur excidio, nihil aliud locutus eſt, tantùm rogauit quid in eum Antigonus traiicit. Audacter exultanti adultero, ignoras, inquit, non modo braſsicæ ſuccum ineſſe iucundum, ſed & raphano? Clamanti adoleſcentulo & vociferãti, Vide, inquit, ne quid retro dum neſcis, habeas. Conſultanti Antigono an * luxurioſum adiret conuiuium, hoc illi ſolum renuntiari iuſsit, Memento regis te eſſe filium. Stupidum quendam, neſcio quid nihil ad rem dicentem, interrogauit an villam haberet, & cùm ille multa ſe habere prædia dixiſſet, perge, inquit, & illorum curam gere, ne & illa negligenter curando perdere contingat, & Amittere ſimplicem vrbanitatem. Siſcitanti cuidam an vxor eſſet ducenda ſapienti, non ego, inquit, tibi ſapiens videor? Et cùm annuiſſet ille, at ego ait, dixi. Dicente quodam complura

* στρατοπεδεύειν.

* κῶμον.

esse bona,rogat quot numero, & an putet plura esse quàm centum. Sæpius dolebat quòd luxuriosa conuiuia, magnificúmque apparatum nequiret ferre. Vocatus verò semel ad cœnam, intuensq; lautissimis cibis diuitem mensam,nihil locutus est, sed tacitus eam luxuriam coarguit, dum solas oleas in cibũ sumpsit. Huius deniq; libertatis causa parũ abfuit quin in Cypro apud Nicocreontem periclitaretur cum Asclepiade amico. Nam cùm eos rex ad menstruam celebritatem euocasset, sicut & philosophos cæteros,Menedemum dixisse ferunt,Si quidem honesta est huiusmodi virorum congregatio,quotidie sunt festa celebranda: sin aliàs, superfluè quoq; modo celebrat. Ad hæc tyrannus cùm ita occurrisset hãc diem habere se celebrem,vt negotiis omissis philosophis cõgredi liceret, ille seuerius adhuc in sententia perstitit, ostendens ex sacrificio oportere nũquam non philosophos audiendos. Quid plura? nisi à tibicine admoniti fuissent, forsitan periissent.Vnde cùm in naui iactarẽtur fluctibus,Asclepiadem dixisse ferunt,Tibicinis peritam modulationem sese seruasse, Menedemi verò confidentiam perdidisse. Erat autem,vt fertur,& simplici in docẽdo
appa

apparatu, neq; in ſchola vllum circa illũ, vt fieri ſolet, ordinem vidiſſes. Non ſubſellia erant per gyrum diſpoſita, non aliud quippiam, ſed vt ſingulis aut ſedere, aut ſtare, aut ambulare contingit, ita illum audiebant. Alias tamen gloriæ auidum, ignominiæq; metuentem fuiſſe tradunt. Adeo vt cum prius opifici ſuam ipſe atq; Aſclepiades nauaret operam, & Aſclepiades ſuper tecta lutum ferre cerneretur nudus, is ſi quem aſpiceret prætereuntẽ occultaretur. Poſtea verò quàm ad Rempub. acceſsit, ita erat anxius atq; ſolicitus, vt cùm aliquando thura poneret, extra turribulũ miſerit. Circunſteterat illũ Crates aliquando, & quòd ciuilia negotia ſubiſſet probro dabat. Tum ille quibuſdam præcepit vt illum carceri includerent. Ille nihilominus prætereuntem obſeruabat, reſpiciensq; Agamemnonium & ἡγησίπολιν vocabat. Erat autem neſcio quid in eo religionis, & in ſuperſtitionem pronior. Deniq; manducauerat aliquando per ignorantiam in taberna meritoria proiectas carnes cum Aſclepiade. Id cùm animaduertiſſet, nauſea palloreq; turbabatur, donec illum Aſclepiades ſeuerius obiurgans, non carnes diceret eiuſce mutationis cauſam eſſe, ſed præſumptam

ptam de illis fatuam opinionem. aliàs magnanimus fuit vir, & planè liberalis. Corporis in eo iam ſenis habitus, & ſtatus durabat qui erat in iuuene, athletæ inſtar firmus, validus atq; adulta facie, obeſus item & attritus fuit, mediocriſq; proceritatis, vt ex ea conſtat imagine quæ Eretriæ in veteri ſtadio cernitur. Eſt enim veluti ex induſtria ita ſculpta, vt cunctam ferè nuditatem corporis præferat. Erat præterea in * ſuſcipiendis amicis omni officio deditus, & quia parum ſalubris erat, Eretria conuiuia ſæpe inter poëtas muſicóſque celebrabat. Amabat Aratum & Lycophronem Tragicum poëtam, Antagorámque Rhodium, ſed maximè omnium ſtudebat Homero. Deinde etiam Lyricis, deinceps Sophocli, atque Achæo inter Satyros veluti ſecundas partes, Aeſchylo autem primas ſemper dabat. Vnde & aduerſus eos qui contrà in Republ. ſentirent, ita ferebatur:

* φιλυπόδοχος.

Ἡλίσκετ' ἄρα καὶ πρὸς ἀσθενῶν ταχὺς
Καὶ πρὸς χελώνης ἀετὸς βραχεῖ χρόνῳ.

hoc eſt,

Deprehēſus olim eſt ad impotēti celer,
Et tarda cepit teſtudo regem alitum.

Hæc autem Achæi ſunt ex Omphale ſaty-

m rica.

rica. Falluntur igitur qui illum nihil præter Euripidis Medeam legiſſe dicũt, quàm inter Sicyonij Neophronis poëmata legũt. Magiſtros Platonem & Xenocratem, prætereaq; Paræbatem Cyrenaicum aſpernabatur. Stilponem ſolum admirabatur. De quo dum aliquando interrogaretur, nihil aliud dixit, niſi, liberalis eſt. Erat illi ingenium varium & callidum, atque in componendo ita orationem accommodabat, vt neq; quum vellet emergere proſpiceretur, atque ideo illi difficilè occurreretur. Verſabat omnia, infinitamq; orationis copiam fundebat. Acerrimus item in concionibus erat, vt in ſucceſsionibus tradit Antiſthenes, atque huiuſmodi rogatiunculis comppellare ſolebat, Num aliud ab alio differt? ita ſanè. Aliud eſt autem prodeſſe, quàm bonum concedebatur. Non igitur prodeſſe bonum eſt. Tollebat & proloquia negatiua, affirmatiua verò ponebat. Simplicia, ex his maximè probans, quæ ſimplicia non ſunt auferebat, ea & coniuncta & complexa dicens. Scribit Heraclides, decretis quidem eũ fuiſſe Platonicum dialecticen aũt eum fuiſſe aſpernatum. Denique ſciſcitanti Alexino an adhuc patrem cædere dixiſſe neque cecidi,

neq;

neque desij. Addente illo oportere ambiguitatem solui, ita vel non dicendo, Ridiculum, inquit, est vestras leges sequi, cùm liceat in portis reluctari, & contra niti. Cùm Bion diuinos studiosè ac diligenter insectaretur, mortuos illum iugulare dixit. Alio rursus dicente maximum esse bonum omnibus quæ quisque cupiat frui, multò, inquit, maius est ea solùm quæ deceat cupere. Refert Antigonus Carystius, eum nihil scripsisse neque composuisse, ita ne dogma quidem vllum asseruisse. Porrò in quæstionibus, inquit, ita pugnax erat, vt non prius discederet, quàm in eius oculis * ardentis spiritus indicia deprehenderetur. Verùm enim cùm in verbis esset talis, factis tamen erat placidissimus. Deniq, cùm Alexino plurimum illuderet & obiurgaret grauiter, fouit tamen illum beneficijs. Nam ipsius coniugem ex Delphis Chalcidem vsque deduxit, itineris furta, latrociniaq; metuentem. Amicitias piè sanctéq; tuebatur, vt ex ea quæ illi cum Asclepiade fuit coniunctione constat, quæ profectò adeò insignis erat, vt nihil à Pyladis distaret beneuolētia, Verùm maior natu erat Asclepiades, ita vt, poëta ipse, Menedemus verò histrio diceretur.

* ὑπώπια.

Fertur Archepolis tria millia illis designasse, & cùm orta esset amica contentio vter secundo loco acciperet, neutrum accepisse. Vxores quoque ambos duxisse fama est, Menedemum matrem, Asclepiadem filiã: & cùm defuncta esset vxor Asclepiadis, Menedemi cepisse coniugem, illúmq; quòd Reipub. præesset, aliam duxisse nobilem & locupletem, nihilominus quoniam communis eis erat domus, rei familiaris administrationem priori vxori permisisse. Igitur Asclepiades antè illã vita excessit Eretriæ iam longæuus, cùm vna diu memorabili beneuolentiæ suauitate vixissent. Fertur post aliquantum temporis cùm Asclepiadis amasius ad conuiuium venisset, arceréntque illum ianuis adolescentes, Menedemum iussisse introduci, ac dixisse, Asclepiades etiam sepultus ei ianuas aperit. Erant autem qui ambos fouerent Hipponicus Macedo & Agetor Lamius. Ex his alter vtriq; x x x. minas largitus. Hipponicus verò Menedemo duo millia dragmatum in filiorum dotem. Duxerat autem, vt ait Heraclides ex Oropia vxores treis. Porrò conuiuia in hunc modum faciebat. Prius ipse cum duobus aut tribus prãdebat, dum dies in vesperam vergeret.

Tum

Tum verò vocabat quiſpiam eos qui aduenerant & ipſos iam cœnatos. Itaque ſi qui citius veniſſent percontabantur exeuntes, quid eſſet appoſitum, ac recens id eſſet nécne, & ſi quidem vel oluſculum vel *ſaltiuſculum quippiam audiſſent, recedebant, ſint verò carnes, ingrediebantur. Lectulus æſtate ψιάθους, hyeme veruecum *pelles ſuperponebant. Porrò puluinar ſibi afferri oportebat. Poculum quod circumagebatut *cotula maius nō erat. Bellaria illis fabæ ac lupini. Interdum verò & pyra vel mala punica & huiuſmodi, cùm matura, tum præcocia, ſæpe & caricæ. Ea omnia memorat Lycophron in ſatyra quam inſcripſit Menedemum, philoſophi conſcribens laudes, quorum quædam huiuſmodi quoque ſunt.

*ταρίχιον.

*κώδιον.

*κοτύλη, *poculi genus, quod quidā heminā eſſe putant.*

Ὡς ἐκ βραχείας δαιτὸς ἡ βαιὰ κύλιξ
Αὐτοῖς κυκλεῖται πρὸς μέτρον, τράγημα δὲ
Ὁ σωφρονιστὴς τοῖς φιλικόοις λόγος.

hoc eſt,

Vt ex puſillo poculum conuiuio
Verſatur illis ad menſuram, ſed mera
Sermo eruditus ſtudioſis ſunt bellaria.

Primo igitur cōtemptui haberi cœpit, caniſq; ab Eretrienſibus ac delirus appellari. Poſtea verò in ſumma admiratione

omnium fuit, adeò vt ciuitatis quoq; gubernacula ſibi traderentur, legationibusq; crebris ad Ptolemæum, & Lyſimachum, prætèrea ad Demetrium functus, vbique honoratus eſt. Cumq; illi ciuitas ducenta quotannis talenta perſolueret, quinquaginta remiſit. Apud quem accuſatus quòd traderet Ptolemæo ciuitatem, ſe per epiſtolam purgauit, cuius hoc initium eſt:

MENEDEMVS DEMETRIO REGI.

AVDIO tibi de nobis plurima fuiſſe narrata, &c. Per eam illum admonet caueret vnum ex his qui ſibi eſſent infenſi Aeſchylum nomine. Conſtat illum ad Demetrium pro Oropo grauiſsimè legatione functum, vt Euphantus quoque in hiſtoriis meminit. Erat eius in primis ſtudioſus Antigonus, ſeq; ipſius diſcipulum eſſe prædicabat, & cùm Barbaros fudiſſet, circa Lyſimachiam, decretum ei ſcripſit ſimplex atq; ab aſſentatione alienum, cuius initium eſt: Duces & * conſilij primores dixerũt, quoniam Antigonus rex prælio domitis Barbaris aduenit in Eliã, eiq; proſperè cuncta ſuccedũt, viſum eſt ſenatui ac plebi. Horum igitur gratia, & prætereа

* *πρόβουλοι quod mox ſenatus princìpe vertet.*

terea propter summam cum illo amicitiam, quòd illi ciuitatem proderet, suspe-ctus habitus, insimulãte Aristodemo, clàm exiit, atq; Oropi moratus est in Amphiarai fano. Ibi cùm perissent aurei calices, vt Hermippus ait, communi Bœotiorum decreto loco migrare iussus est. Inde profectus mœrens, & patriam clanculum ingressus vxorem ac filias sumens, se ad Antigonũ contulit, ibiq; vitam mœrore terminauit. Refert Heraclides his omnino contraria. Nam illum senatus principem Eretriam à tyrãnis sæpe liberasse Demetrij viribus fretum. Non igitur Antigono prodidisse ciuitatẽ, sed falsam subisse calumniam, profectumq; ad Antigonũ, cùm vt patriam è seruitute eriperet, illum inducere non posset, septem dies totos cibo abstinuisse, atq; ex animi dolore vita excessisse. His similia & Antigonus Carystius refert. Soli autem Persæo inexorabile indixit bellum. Haud enim obscurum erat Antigonum cum Menedemi gratia, Eretriensibus rempub. voluisset restituere, ab eo fuisse prohibitum. Quocirca in cõuiuio Menedemus in illum acriter inuectus, inter cætera sic ait, At qui iste quidem philosophus est, sed vir omnium qui

ſunt aut fuerunt vel futuri ſunt, profectò nequiſsimus. Moritur autem vt ait Heraclides, ſeptuageſimum tertium agens ætatis annũ. In eius autem laudem nos quoque ita ſcripſimus:

Ἔκλυον μενέδημε τεὸν μόρον, ὡς
Ἑκὼν ἀπέσβης ἐν ἡμέρῃσιν ἑπτὰ
Μηδὲν ἐσθίων κατ᾽ ἔργον ἔρξας ἐρετρικὸν
Ἀλλ᾽ ὅμως ἄνανδρον. ἀψυχίη γὰρ ἡγεμὼν
Ἔπειγε. hoc est,


Audita nobis Menedeme mors eſt tua,
Qui ſponte ad ſeptem dies nihil ſumpſeris
Ciborum, opus quidem aggreſſus Eretricum,
Sed non virile, ſuaſit nam impotentia
Hoc animi.

Et hi quidem Socratici, & qui ab eis profecti ſunt. Tranſeundum autem eſt ad Platonem, qui inſtituit Academiam, & ad eos qui ab ipſo quotquot fuerũt, eloquentes.

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHO-*rum vita*,

LIBER III.

PLATO.


LATO Aristone patre,& matre Perictiona,siue Potona Athenis natus est.Mater à Solone genus duxit. Solonis quippe frater Dropides, Critiam genuit,cuius filius Calescrus Critiæ filius, qui vnus fuit ex triginta, Glauconisq; pater ab eo Charmides & Perictione geniti sunt, atque ex ea, & Aristone Plato sextus à Solone nascitur.Porrò Solon ad Neleum & Neptunum genus refert. Aristonem quoque patrem à Codro Melanthi filio origenē ducere tradunt, qui à Neptuno itidem sanguinem trahere Thrasyllo teste memorantur.Enimuero Pseusippus in libro qui Platonis de cœna inscribitur,& Clearchus in laudatione Platonis, & Anaxillides in II. de philosoph.lib. asserunt Athenis famam esse Aristonē Perictionæ cùm esset speciosissima, vim inferre conatum esse,

verùm fuiſſe illius conatus irritos, vidiſſéq; * in ſomnis Apollinem, atque ab eo mundàm à iugali copula quoad pareret, vxorem ſeruaſſe. Naſcitur autem Plato, vt Apollodorus teſtatur in Chronicis, LXXXVIII. olymp. Thargilionis ſeptima, qua die natum Apollinẽ Delij autumant. Moritur autem, vt Hermippus tradit, primo anno centeſimæ octauæ olymp. in nuptiis diſcumbens, octogeſimũ & primum ætatis agens annũ. Neanthes octoginta quatuor annos natũ deceſiſſe ſcribit. Eſt igitur Iſocrate minor natu annis ſex. Ille quippe ſub Lyſimacho, Plato ſub Aminia natus eſt, ſub quo & Pericles diem obiit. Erat autem * familia Collyteus, vt refert Antileo in ſecundo de temporibus. Natus eſt ſecundum quoſdam in Aegina in Phidiade domo, eius qui Thaletis filius fuit, vt Phauorinus ait in Omnimoda hiſtoria, patre ipſius cum cæteris miſſo, vt agrum ſortiretur, Athenaſq; reuerſo cùm à Lacedæmoniis qui Aeginenſibus opẽ tulerant, expulſi ſunt. Ludos quoq; magnificos Athenis exhibuit, Dione ſumptus ſuppeditãte, vt ait Athenodorus in octauo περιπάτων libro. Fratres habuit Adimanthũ & Glauconem, ſororemq; Potonã, de qua Speuſippus

* ἀπόλλωνος ὄψιν, Apollinis vultum.

* τὸν δῆμον κολλυτεύς, quod ferè pagũ vertit interpres.

ſippus naſcitur, literasq; apud Dionyſium didicit,cuius & in Anteraſtis meminit.Exercitatúsque eſt apud Ariſtonem Argium palæſtritam, à quo & Plato propter egregium corporis habitũ cognominatus eſt, cùm prius Ariſtocles ex aui nomine vocatus eſſet,vt in ſucceſsionibus tradit Alexãder. Sunt qui ob orationis vbertatem, & miram latitudinẽ ſic appellatum putent, ſiue quòd ampla fuerit fronte, vt Neanthes ſcribit. Nec deſunt qui in * Iſthmo palæſtra,ſe exercuiſſevelint,ſicut & Dicæarchus in primo de Vitis. Picturæ quoque fuiſſe ſtudioſum ac poëmata ſcripſiſſe, primò quidem dithyrambos, deinde melos ac tragœdias. Vox illi gracilis fuit, vt ait Timothæus Athenienſis in libro de Vitis. * ἰσθμοῖ.

Fertur & Socrates vidiſſe per ſomnium oloris pullum ſibi in gremio plumeſcere, qui continuò exortis alis in altum aduolans ſuauiſsimos cantus ediderit. * Poſtridie cùm Plato ſibi à patre commendatus eſſet, hunc cygnum quem viderat dixiſſe. Philoſophari cœpit primũ in Academia, inde ſe in hortum qui iuxta colonum eſt contulit, vt Alexander in Succeſsionibus ſcripſit.Heraclitum adducens teſtem. Demum cùm tragicum certamen eſſet initu- * μεθ' ἡμέραν.

rus,

rus, ante Dionysiacum theatrũ audito Socrate igni poëmata excussit, dicens:

Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε, Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει.

hoc est,

Huc ades ô Vulcane, Plato nam te eget in hac re.

Hinc annum vicesimum ætatis agens Socratẽ audiuit. Illo decedente Cratylo Heracliti discipulo, & Hermogeni Parmenidis Philosophiam tuenti operam dedit. Deinde cùm esset annorum duodetriginta, vt ait Hermodorus, Megara se ad Euclidem cum aliis aliquot Socraticis contulit. Hic Cyrenem profectus Theodorum mathematicum audiuit, atque inde in Italiam ad Pythagoricos Philolaũ atq; Eurytum cõcessit. Ab his se in Aegyptum ad prophetas sacerdotésque recepit, quò & Euripidem aiunt vnà secum profectũ esse, atque ibi morbo comprehensum, à sacerdotibus marina curatione fuisse absolutum, qua ex re postea dixerit:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

hoc est,

Mare vniuersa proluit hominũ mala.

Quin & dixisse iuxta Homerũ Aegyptios omnes medicos esse. Decreuerat Plato magis etiam congredi, verùm propter Asiæ bella

bella proposito destitit. Regressus verò Athenas in Academia commorabatur. Est autem locus in sub vrbano nemorosus, à quodam heroë Academio nomine appellatus, sicut & Eupolis in Astrateutis memorat dicens:

Εν εὐσκίοις δρόμοισιν Ακαδήμου θεοῦ. hoc ē,
In ambulacris Academi vmbrosis Dei.

Sed & Timon in Platonē loquens, inquit:

Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς τέττιξιν ἰσογράφος, οἱ θ' ἑκαδήμου
Δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσαν ἱᾶσι.

hoc est,

Hos inter dux ille Plato celsissim⁹ ibat.
Cuius ab ore melos manabat, quale Hecademi
Arbustis lepida modulãtur voce cicadæ.

Antea enim per ε tenue scribebatur Ecademia. Hic igitur Philosophus Isocrate * amico vtebatur. Enimuero Praxiphanes Nã quandam conscripsit inter eos habitam de Poëtis scholam, cùm in rure Platonis hospitio frueretur Isocrates. Ter illum militasse Aristoxenus autor est. primò in Tanagram, secundo in Corinthum, tertiò in * Delũ, vbi & victoria potitus sit. Miscuit Heracliteorum Pythagoreorumq; ac Socratic

*ἐπὶ Δυλίῳ.

Nã Deliũ Tanagræorũ est municipiũ, & Apollinis templum.

craticorũ rationes,atq; in his quidem quæ ſenſibus ſubiacent,Heracliti partes tuebatur.Porrò in his quæ ad intelligentiã pertinent, Pythagoræ acquiſcebat. In rebus autem ciuilibus Socratem ſuum maximè amplectebatur. atq; ità in vnũ corpus triplicem Philòſophiæ compegit rationem. Aiunt quidã, ex quibus Satyrus eſt, Dioni illum ſcripſiſſe in Siciliam, vti tres libros Pythagoricos ſibi emeret,à Philolao centum minis. Erat enim ſatis opulentus, acceptis à Dionyſio pluſquam octoginta talentis.Sicut enim Honetor ſcribit in libro cuius eſt titulus: An pecunioſum oporteat eſſe ſapientem. Multum illi Epicharmus cõtulit comicus,cuius & plurima tranſcripſit,vt Alcimus in eis libris quos ad Amyntam ſcripſit, quatuor numero, meminit. Eorum in primo ita loquitur:Conſtat autem & Platonẽ complura ſibi de Epicharmi libris aſſumere. Id ita inſpiciendũ eſt. Senſibile aſſerit Plato, quod aut in qualitate aut in quantitate nunquam perſiſtat, ſed difluat ſemper,atq; immutetur. Veluti ſi numerũ ex iis tuleris,quæ neq; æqualia,neq; aliqua,neque quanta, neq; qualia ſunt. Porrò iſta ſunt quorum ſemper generatio eſt, nunquam verò ſubſtantia. Intellig

Gellius decẽ millibus denariûm mercatũ ſcribit.

telligibile verò cui nihil vel accedit, vel decedit. Hoc autem sempiternorū natura est, quam similem atq; eadem semper esse contingit. Atqui Epicharmus de sensibilibus atq; intelligibilibus in hāc sententiam expresse loquitur. * addidit prætereà Alcimus. Aiunt autem sapientes animā, alia quidem sentire per corpus, puta videndo atq; audiēdo, alia verò ipsam per seipsam animaduertere, nullo corporis officio vtētem. Quocirca eorum quæ sunt, alia sensibus percipi, alia intelligentiæ ratione cōprehendi. Quare Plato quoque oportere dicebat eos qui cuperent rerū initia colligere, ipsas primū species, quas Ideas vocat, secundum se ipsas distribuere, puta similitudinem & monadem, multitudinem atq; magnitudinem, * statumq; & motū. Secundò ipsum per seipsum, honestum ac bonum, iustum, atque huiusmodi cætera subiicere. Tertiò conspicere quæ sibi mutuò cohærēt Ideæ, puta scientiam aut magnitudinem, siue dominationem, simul & illud cogitare, ea quæ sunt apud nos ex illorum participatione eis æquiuoca fieri. Exempli causa, dico iusta esse quæ iusto communicant, honesta quæ honesto. Est autem vnaquæque species æterna, ac prætereà

* ἀλλὰ ἀείτοι θεοὶ παρῆσαν.

* στάσιν.

Totus hic locus ita est corruptus, vt nō nisi antiqui codicis auxilio restitui posse videatur. Quare nil mirum si et ab interprete intactus: id quod supra folio 12. lectorē admonitum volui: ne quis fortè

neglígen-tia præ-termissū existi-met. terea intelligentia * omni perturbatione vacua. Quocirca & ideas in natura velut exemplaria dixit subsistere. Alia his esse similia quæ maximè ad istarũ similitudinem consistant. Epicharmus igitur de bono atq; ideis ita ferè disserit. Num tibiarũ ** alias, ἐμπαθὴς.* cantus res aliqua est? ita sanè. homo igitur ipse cãtus est. nihil minus. Age videamus, Tibicen aliquis homóne tibi videtur nécne? homo profectò. Nónne igitur idẽ tibi videtur de bono, aliud esse bonum, aliud verò rem? si quidem secundum seipsum quisquis illud didicerit, iam bonus efficietur. quemadmodum qui tibiarum cantum didicerit, tibicen, qui saltare, saltator, qui ** πλοκὰς* * complecti, cõplexor meritò dicitur. atq; in hũc modum de cæteris, quòd qui ea didicerit, non ars ipsa, sed artifex vocatur. Plato in opinione de ideis ait: Si quidem est memoria, ideas in his quæ sunt, existere, quòd memoria quietæ cuiusque rei ac manentis sit. Manere autem præter ideas nihil. Quo enim, inquit, modò seruarentur animantes, nisi & ideam attigissent, & præterea naturalem mentem accepissent? Meminit autẽ similitudinis, & pabuli cuiusmodi illis esse soleat, ostendẽs quòd sit animalibus omnibus insita similitudinis intellig

intelligentia, Quocirca & quæ ſunt eiuſdem generis ſentiunt. Porrò Epicarmus ita ferme ait: Sapientia nõ in vno tantum conſiſtit, ſed quæ viuunt omnia,*notionẽ quoq; habent. Nã gallina ſi aduertere volueris, non parit viuentes pullos, ſed oua prius incubat, & calore animat. Hæc autẽ ſapientia, vt ſeſe habeat, natura nouit ſola. Ab ea quippe eruditur. Ac rurſum, Nihil profectò mirum ſi ita loquar, & placere eas ſibi & videri præclarè natas. Nã & canis cani videtur eſſe pulcherrimus, & boui bos, & aſinus aſino, ſus item ſui videtur venuſtate præſtare. Iſta & huiuſmodi quatuor libris proſequitur Alcimus, admonens quantum emolumenti Plato ex Epicharmo ſibi comparauerit. Quòd autẽ neque Epicharmus ipſe hoc ignorauerit, ex iis coniicere licet quæ præſagiens ac veluti diuinãs fore imitatorem ſui, ſic ferè ait: Vt autem ego puto, imò pro cõperto habeo, mearum adhuc erit memoria rerum, meorumq; ſermonum, eiſq; quiſpiam acceptis, metro ſoluto, quo nunc conſtat, coloreq; adiecto purpuram venuſtate verborum componet, *inuictuſq; ipſe alios facilè ſuperabit. Videtur Plato Sophronis quoque mimographi libros antea neglectos

*γνῶμαν. ſenſum.

*Ἀνεπάλαιοι.

n ctos

ctos primmus Athenas inuexisse, gestumq; ex eis duxisse, qui & sub eius capite fuerint reperti. Ter autem nauigauit in Siciliam, primò quidem vt insulam crateresq; videret, quo tempore Dionysius Hermocratis filius tyrannus impulit, vt secum loqueretur. vbi cùm ille de tyrannide dissereret, dicens non id præstare quod sibi soli esset vtile, nisi & virtute excelleret, offensum tyrannum & iratū dixisse aiunt, Verba tua otiosorū senum sunt, & ille, & tua, inquit, tyrannidem sapiunt. Ad hæc indignatum tyrannum primò quidem necare illum voluisse, deinde verò à Dione & Aristomene exoratum, id quidem non fecisse, verùm Polidi Lacedæmonio qui per id temporis legatus ad se venerat, eum tradidisse, vt venundaretur. Eum ille in Aeginam adductum vendidit. Quo tempore Charmander Charmandridis filius eum mortis reum esse accusauit. Iuxta promulgatam enim apud eos legē capitale erat, si quis Ateniensium eam insulam adiisset, atque ipse eam legem tulerat, vt Phauorinus memorat in omnimoda historia. Cæterum cùm à quodam fuisset dictum, * disciplinæ gratia Philosophum eò ascendisse, absolutum dimiserunt. Asserunt plerique

* κατὰ παιδιὰν per iocū, Interpres legisse videtur. * παιδείαν.

riquc

rique illum & in concionem adductũ, vbi cùm obseruaretur, nihil penitus locutum fuisse, prompto animo quicquid contingeret, accipere paratum. Illos eum minimè quidem occidendũ, sed solum venden dum captiuorum more decreuisse. Aderat fortè Anniceris Cyrenaicus: is eum viginti minis, siue vt alij volunt; triginta redemit, remisitq; Athenas ad amicos. Illi extẽplò pecuniam Anniceridi remiserunt. Sed hanc ille omnino accipere noluit, asserens nõ eos solos dignos esse quibus Plato curæ esset. Alij Dionem eam misisse pecuniam dicunt, illumq; eã nulla ratione admisisse. Sed hortulum quoq; in Academia sibi comparasse. Polidem verò à Chabria superatum, & postea in Helice fuisse submersum, fama est, dæmonio illi indicante ista illũ Philosophi gratia perpeti, vt Phauorinus in primo cõmentariorum meminit. Atqui non quieuit Dionysius ipse, verùm cùm didicisset quæ illi contigissent, scripsit Platoni, orãs ne in se maledicta ingereret. Ad quem ille scripsit, non sibi tan tum superesse otij, vt Dionysij meminisset. Secundò profectus est ad iuniorẽ Dionysium, postulãs terram atq; homines qui iuxta constitutam ab eo Remp. viuerẽt. Id

ille quanquàm pollicitus, non præstitit. Nec abfuit secundum quosdam suspicio illum magno sui periculo Dioni & Theotæ persuadere tentasse, illorumq; erexisse animos ad liberandam insulam. Quo tempore Archytas Pythagoricus scripta ad Dionysium epistola purgauit illum à suspicione, atque ereptum Athenas remisit. Est autem epistola huiusmodi.

ARCHYTAS DIONYSIO S.

MISIMVS omnes Platonis necessarij Lamiscum & Photidē, virum illum abs te recepturi iure antiquę nostræ amicitiæ. Rectè igitur feceris, si memineris quantò à nobis studio efflagitasti Platonis ad tę aduentum, vt nos illū venire hortaremur, facturum te spondens omnia: illumq; liberè accedere & abire permissurū. Memor esto igitur quanti illius aduentum feceris, quodq; eo tēpore plus cæteris amaueris. Quòd si qua orta simultas est, humanius te agere conuenit, illumq; nobis restituere illęsum. Hæc enim si facis, iustitiam coles, ac nobis gratificaberis. Tertiò accessit, Dionē reconciliaturus Dionysio: sed cùm id obtinere nequisset, infecto negotio ad patriā rediit. Vbi ad Remp. accedere quidem noluit, quamuis maximè ciuilis esset, vt ex

vt ex his constat quæ scripsit. Ratio autem cur abstinuerit à publicis negotiis, illa in primis fuit, quòd plebs aliis institutis & moribus assueuerat. Refert Pamphila in vigesimo quinto commentariorũ, Arcadas ac Thebanos cõdita ciuitate ingentis magnitudinis, rogasse illum vt eã Remp.*instrueret quos cùm ille didicisset æqualitatem sectari nolle, profectũ nõ esse. Fertur & Chabriã ducem reum mortis secutus, cùm id ciuiũ nemo tentare voluisset, quando & arcem cũ Chabria ascendenti Crobylus sycophanta conuiciatus dixit, alteri opem laturus accedis, quasi verò nescias & te manere Socratis*venenum? Ad quẽ ille, quando pro patria militabã, pericula pertuli, & modò amici gratia ne desim officio, perlibenter me periculis expono. Primus hic, vt Phauorinus ait in octauo Omnimodæ historiæ, dialogos introduxit, primusq; inquisitionis modum per resolutionem Leodomãti Thasio induxit, & primus in Philosophia nominauit * Antipodas & elementũ & Dialecticã & Poëmata & prælongũ in numero. Extremorumq; * *planam superficiẽ, ac Dei prouidentiam. Primusq; Philosophorum orationi Lysiæ * Cephali filij contradixit, ipsam ad verbum

*νομοθέτην.

*κώνειον.

*ἀντίποδας.

*ἐπίπεδον.

*ἐπιφάνειαν.

exponens in Phædro, primusq; Grammaticæ vim ſpeculatus eſt. Cumq; primus omnibus ferè qui ante ſe fuerant, contradixerit, quæri ſolet, cur Democriti mentionem non fecerit. Refert Neanthes Cyzicenus hunc cùm in Olympia aliquando deſcendiſſet Græcorum in ſe omnium ora conuertiſſe, ac eodem tempore Dioni congreſſum, aduerſus Dionyſium bellare inſtituenti. Porrò in primo commentariorũ Phauorini fertur, Mithridatẽ Perſam Platonis ſtatuam in Academia locaſſe, ita inſcriptã, Mithridates Rhodobati filius Perſes, Muſis imaginem Platonis dicauit, Silanionis opus. Tradit Heraclides iuuenem Platonem adeò fuiſſe verecundum, adeò compoſitum, vt nunquam riſiſſe niſi modicè, deprehenſus ſit. Cùm tamẽ eſſet eiuſmodi, ne ſic quidẽ comicorũ cõuicia effugit. Theopẽptus enim in Autochare ſic ait:

Ἓν γὰρ ἐστὶν οὐδὲ ἕν.
Τὰ δὲ δύο μόλις ἓν ἐστίν. ὥς φησι Πλάτων.

hoc eſt,

Vnum enim ne vnum quidem eſt,
Sed vix duo ſunt vnum, narrat vt Plato.

Sed & Anaxandrides in Theſeo,

Ὅτε τὰς μορίας ἔτρωγεν ὥσπερ Πλάτων.

hoc eſt,

Quando

Quando vorabat oleas noster vt Plato. * παρα-
Timon quoq; ita illum*agit, γραμμα
ὡς ἀνέπλασε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα τίζων.
εἰδώς. id est,
Vt conficta Plato astutus miracula finxit.
Et Alexis in Meropide,
Εἰς καιρὸν ἥκεις. ὡς ἔγωγ' ἀπορουμένη
Ἄνω κάτω τε περιπατοῦσ' ὥσπερ Πλάτων
Σοφὸν οὐδὲν εὕρηκ', ἀλλὰ κοπιῶ τὰ σκέλη.
hoc est,
In tempore ipso tu venisti, verum ego
Sursum ac deorsum tristis, vt Plato, feror
Misera, labore frustra lassis cruribus.
Et rursum in Acylione,
Λέγεις περὶ ὧν οὐκ οἶσθα, συγγνωστῶς τρέχων
Πλάτωνι, καὶ γνώσῃ λίτρον καὶ κρόμμυον.
hoc est,
Ignota nobis narras, planè cursitans
Platonis instar, ac nosce cæpe & litron.
Amphis in Amphicrate
Τὸ δ' ἀγαθὸν ὅτι, ποτ' ἐστιν, οὗ σὺ τυγχάνειν
Μέλλεις διὰ ταύτην, ἧττον οἶδα τοῦτ' ἐγὼ
ὦ δέσποτ' ἢ τὸ τοῦ Πλάτωνος ἀγαθόν.
hoc est,
Atqui bonum illud quod nancisci cogitas
Te posse, propter hanc, certè id minus
scio
Platonis illud quàm bellum bonũ ò here.

In Dexidemide verò ait, ὦ Πλάτων
Ὡς ὀυδὲν οἶσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον
Ὥσπερ κοχλίας, σεμνὸς, ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς.

hoc est,

Aliud nil potes quàm mœrore mi Plato,
Et fronte semper corrugata, vt coclea.

Cratiuus in subdititio,

Ἄνθρωπος εἶ δηλονότι, καὶ ψυχὴν ἔχεις.
Κατὰ μὲν Πλάτων' οὐκ οἶδα, ὑπονοῶ δ' ἔχειν.

hoc est,

Homo es pfectò, mētemq; & sensus habes
Iuxta Platonem, vix scio, verum arbitror.

Alexis Olympiodoro,

Σῶμα μὲν ἐμοῦ τὸ θνητὸν ἄνθρωπος ἐγένετο
Τὸδ' ἀθάνατον ἐξῆρε πρὸς τὸν ἀέρα.
Ταῦτ' οὐ σχολὴ Πλάτωνος. hoc est,

Homo fuit quidem mortale, in me quod fuit:
Mortale quod nō fuit, in aurā euanuit.
Num hæc ex Platonis schola?

Et in Parasito,

Ἢ μετὰ Πλάτωνος ἀδολεσχεῖν κατὰ μόνας.

hoc est,

Aut cum Platone solitarium loqui.

Subsannat & hominem Anaxilas in Botrylione & * Cerco, & πλουσίας. Aristippus in quarto de antiquis deliciis ait illum adolescentis cuiusdam Stellæ nomine qui cū eo

*κέρκῳ.

Astrolog

Astrologię dabat operam, amore captum, Dionis etiam cuius meminimus. Nonnulli & Phædrum amasse putant. Indiciũ autem amoris fuisse epigrammata ab eo in illos conscripta.

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς ἀστὴρ ἐμὸς, εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.
Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος
Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

hoc est,

O vtinã cœlum fierem cùm sydera cernis
Mi Stella, vt multis in te oculis tuerer.
Iamdudùm viuis lucebas lucifer, at nunc
Extinctus luces Hesperus Elysiis.

In Dionem verò in hunc modum,

Δάκρυα μὲν Ἑκάβῃ τε καὶ Ἰλιάδεσσι γυναιξὶ
Μοῖραι ἐπέκλωσαν δή ποτε γεινομέναις.
Σοὶ δὲ Δίων ῥέξαντι καλῶν ἐπινίκιον ἔργων
Δαίμονες εὐρείας ἐλπίδας ἐξέχεαν.
Κεῖσαι δ' εὐρυχόρῳ ἐνὶ πατρίδι τίμιος ἀστοῖς
Ὦ ἐμὸν ἐκμήνας θυμὸν ἔρωτι Δίων.

hoc est,

Et lacrymas Hecubæ, & Troianis fata puellis
Decreuere recens ex genitrice satis.
At tibi post partos præclaro Marte triumphos
Spes reliqua est nullis clare Diõ supis.

Te patria ampla fouet,cumulat te ciuis honore,
Quo mihi nunc mentem perdis amore Dion?

Hoc enim illius ſepulcro inſcriptum Syracuſis tradunt.

Quin & Alexim amaſſe fertur, & Phædrum, quemadmodum diximus, in quos ſcripſit in hunc modum,

Aliâs, πᾶς τις ἐπιστρέφεται.

Νῦν ὅτε μηδὲν ἄλεξις ὅσον μόνον εἶφ' ὅτι καλὸς,
ὤπται, καὶ πάντη* πᾶσι περιβλέπεται.
Θυμὲ, τί μηνύεις κυσὶν ὀστέον; εἶτ' ἀνιήσεις
Ὕστερον, οὐχ' οὕτω φαῖδρον ἀπωλέσαμεν;

hoc eſt,

Nunc quoniam nihil eſt quoquò ſe verterit omnis
Solum quòd pulcher viſus Alexis ait:
Quid mi anime os canibus prodis, mox inde moleſtus
Detrectas, Phædrum ſiccine perdidimus?

Archenaſſa quoq; Colophonia vſum eſſe, in quam ſic ſcripſit,

Ἀρχεάνασσαν ἔχω τὴν ἐκ κολοφῶνος ἑταίραν.
Ἧς καὶ ἐπὶ ῥυτίδων ἕζετο δριμὺς ἔρως
Ἆ δειλοὶ, νεότητος ἀπαντήσαντες ἐκείνης

Πρωτοπλόυ, δ' όσοι ἤλθετε πυρκαϊῆς. id est,
Archeanassa mihi est meretrix Colophonia, seris
Cuius & in rugis sedit acerbus amor.
Quas miseri flammas, per quanta incendia abistis
Libata illa quibus prima iuuenta fuit.
In Agathonem item,
Τὴν ψυχὴν ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον.
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.
hoc est,
Suauia dans Agathoni, animam ipse in labra tenebam:
Aegra etenim properans tanquam abitura fuit.
Item aliud,
Τῷ μήλῳ βάλλω σε, σὺ δ' εἰ μὲν ἑκοῦσα φιλεῖς με
Δεξαμένη τῆς σῆς παρθενίης μετάδος.
Εἰ δ' ἄρ', ὃ μὴ γίνοιτο νοεῖς, τοῦτ' αὐτὸ λαβοῦσα
Σκέψαι τὴν ὥρην ὡς ὀλιγοχρόνιος.
hoc est,
Malo ego te ferio. tu me si diligis, illud
Suscipe me imparti & virginitate tua.
Hoc fieri si posse negas, hoc suscipe malum, &
Quā pereat paruo tēpore forma vide.

Hoc disti chō à Platone adhuc adolescēte scriptū putat Gellius.

Μὴλ

Μῆλον ἐγὼ, βάλλει με φιλῶν σέ τις. ἀλλ' ἐπίνευσον

Ξανθίππη, κἀγὼ καὶ σὺ μαραινόμεθα.

hoc est,

Malum ego, me iaculatur, amat qui te. annue quæso.

Xanthippe. tibi mox nã & mihi forma perit,

Aiunt & illud in Eretrienses insidiis exceptos ipsius esse.

Εὐβοίης γένος ἦμεν Ἐρετρικὸν, ἄγχι δὲ Σούσων

Κείμεθα, φεῦ γαίης τόσσον ἀφ' ἡμετέρης.

hoc est,

EubϾ fuimus Eretrum genus. at prope Susas.

Condimur, heu nostra tam procul à patria.

Et illud,

Ἁ Κύπρις μούσαισι. κοράσια τὰν Ἀφροδίταν

Τιμᾶτ', ἢ τὸν Ἔρωτ' ὔμμιν ἐφοπλίσομαι.

Χ' αἱ Μοῦσαι, ποτὶ Κύπριν. Ἄρει τὰ στώμυλα ταῦτα.

Ὑμῖν δ' οὐ πέταται τοῦτο τὸ παιδάριον.

hoc est,

Hæc venus ad musas, Venerem exhorrescite nymphæ.

In vos armatus aut amor insiliet.

Cui

Cui contrà Musæ,lepida hæc ioca tolle precamur.

Aliger huc ad nos nõ volat ille puer.

Item aliud.

Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν ἔλιπε βρόχον· αὐτὰρ ὁ χρυσὸν

Ὃν λίπεν οὐχ᾽ εὑρὼν, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

hoc est,

Aurum qui reperit,laqueum abiicit:alter amisso

Auro,collo aptat quẽ reperit laqueũ.

At verò Molon hostili aduersus illum animo, non id ait esse mirandum, si Dionysius Corinthi, sed si Plato esset in Sicilia. Videtur & Xenophon haudquaquam amico in illum fuisse animo. Nam veluti contentionis studio similia scripsere, Symposium,Socratis defensionem,commentaria moralia. Ad hæc ille de Repub. Hic Cyri scripsit infantiam,quam in suis legibus Plato fictam dixit:neq; enim eiusmodi fuisse Cyrum. Tum ambo cum Socratem semper habeant in ore, nusquam reperies sui inuicem fecisse mentionem. Semel tantum Xenophon Platonis meminit in tertio commentariorum. Fertur & Antisthenes cùm eorum quæ scripserat quippiam recitare vellet orasse illum vt adesset recitanti,

tanti. Et cum roganti cuiusmodi id esset, libri eius titulũ explicuisset, de eo, inquit, quod non sit cõtradicere. Tu ergo, ait ille, de hoc ipso quomodo scribis? & cùm doceret * contra suam venire sententiam, scripsit aduersus Platonem dialogum, Sathonem illum inscribens. Ex eo iam alienis animis in se inuicem fuere. Aiunt Socratem cùm Platonis Lysidem audisset recitari, proh dij immortales dixisse, quàm multa de me mentitur adolescens. Scripsit quippe non pauca vir ille, quæ Socrates nõ dixit. Fuit illi & aduersus Aristippum haud obscura simultas. Nam in libro de anima illum insimulat, quòd abfuerit morienti Socrati, cùm in Aegina vicino Atticæ loco per id temporis moratus sit. Erat illi cùm Aeschine quoque, vt fertur, Socratis auditore cõtentio, quippe cùm à Dionysio magnifieret, egensq; rerum omnium ad eum profectus esset, à Platone despectum, atq; ab Aristippo fuisse commendatum. Porrò sermones quos Critonem fecit in carcere loquentem, cùm Socrati cõsuleret fugam, Aeschinis fuisse tradit Idomenæus, illi verò à Platone huius odio fuisse attributos. Eius verò nusquã in libris suis Plato mentionem fecisse deprehẽditur, præterquàm in lib

* ὅτι περιτρέπεται.

in libro de immortalitate Animæ,& in Socratis defensione,idq; tenuiter. Enimuero styli ipsius genus, inter poëma & prosam orationem medium ait Aristoteles fluere. Hunc solum Platoni assedisse quodã loco Phauorinus,ait,cùm librum de anima recitaret,reliquos omnes surrexisse. Pleriq; autumant Philippum Opuntium ipsius leges quæ erãt in cera,transcripsisse,huius & Epinomida esse aiunt. Euphorion ac Panętius initium librorum de Rep. sæpius inuentũ inuersum atq; immutatũ dixere. Eam ipsius Remp. Aristoxenus totã fermè in Protagoræ contradictionibus asserit scriptam. Phædrum primo illum scripsisse fama est. Habet enim quæstio illa nonnihil iuuenile. Porrò Dicæarchus totum id scribẽdi genus,vt graue ac molestũ carpit. Platonem tradunt cùm vidisset quendam aleis ludentem increpasse,& cũ ille,quàm me in paruis reprehendis diceret, respondisse: At est consuetudo non parua res. Rogatus an ipsius monumenta sicuti superiorum futura essent,primum,inquit,comparare oportet nomen,tum multũ promotum fuerit. Ingresso aliquando Xenocrati,cæde, inquit, hunc puerum. Nam ipse quòd iratus sim, nequeo. Cuidam itẽ seruorũ,iam, inquit,
rapul

vapulasses,nisi iratus essem.Cùm equo insedisset,cõtinuò descendit,dicens vereri se ne equi * ferocitate raperetur. Ebriis consulere solitus erat,vt in speculo se studiosè intuerentur,quoad eiusmodi fœditate deterrerẽtur. Potare vsq; ad ebrietatem nusquam decere monebat,præterquam in diebus festis dei largitoris vini. Somnus item immodicus illi displicebat. In legibus siquidem ait: Dormiens autem nemo vllius pretij est. Veritatẽ suauiorẽ auditu omnibus quæ dicerentur. Alij,vera loqui iucundius omnibus dixisse putant. Sic autem & de veritate dixit in legib. Præclarum quiddam est veritas,ô hospes,atq; durabile. Verum id persuadere nõ facilè videtur. Optabat insuper memoriã sui vel in amicis vel in libris relinqui. * Locis & ipse vtebatur plurimum. Moritur eo quod diximus modo, x I I I. Philippi regis anno, vt Phauorines in I I I. comment. refert, à quo & obiurgatum fuisse illum Theopompus autor est. Myronianus in simil lib. ait Philonẽ meminisse prouerbij de Platonis pediculis, quasi sic ille defecerit. Sepultus est autẽ in academia,vbi plurimum temporis philosophatus fuerat. Vnde & quæ ab eo fluxit secta Academica est appellata. Corpus ei clatũ

* ἱπποτυφίας.

* ἐξετόπισε.

elatum honorificè,& ab his qui eò conuenerant conditum. Eiuſmodi fuit ipſius teſtamētum. Hæc legauit Plato atq; reliquit, Hephæſtiadeum fundum, cui ab aquilone vicina via eſt, quæ ducit à tēplo Cephiſiadum, ab auſtro Heracleum Hephæſtiadū, ab ortu ſolis Archeſtratus Prearius, ab occaſu Philippus cholidenſis. Hunc autē nemini licitum ſit aut vendere, aut alienare, ſed ſit Adimanti filij quantū fieri poteſt* Eneresiadūq; fundum quē emi à Callimacho, cui ab aquilone vicinus eſt Eurymedon Myrrhinuſius, ab auſtro Demoſtratus Xypeteron, ab ortu Eurymedon Myrrhinuſius, ab occaſu Cephiſſus. Argēti minas tres, argenteam phialam pendentem drachmas CLXV. Cymbium ponderis drachmarum quadraginta quinq;. Anulū aureū,& inaurē aureā, ambo drachmas quatuor & treis obolos pendentia. Euclides lapicida mihi debet minas tres. Dianam dimitto liberā, famulos relinquo Tychonem, Bictā, Apolloniadem, & Dionyſium. Superlectilē & vaſa ſcripta, quorū habet exemplar Demetrius. Nulli autem quicquā debeo. Curatores erūt Soſthenes, Speuſippus. Demetrius, Hegias, Eurymedum, Callimachus atque Thraſippus. Hoc teſtamenti ipſius exēplar.

* ἰφιερεσιαδῶν.

o Sepul

Sepulchrum eius his illustratum est epigrammatibus, quorum illud primum est,

Σωφροσύνῃ προφέρων θνητῶν ἤθει τε δικαίῳ

Ἐνθάδε δὴ κεῖται δῖος Ἀριστοκλέης,

Εἰ δέ τις ἐκ πάντων σοφίης μέγαν ἔσχεν ἔπαινον

Οὗτος ἔχει πλεῖστον, καὶ φθόνος οὐχ ἕπεται. hoc est,

Iustitia cunctis præstans, vitaq; modesta,

Hoc situs in tumulo diuus Aristoclees.

Si quenquam ad magnos sapientia vexit honores,

Hunc citra inuidiam vexit & ipsa virũ.

Item alterum,

Hoc epigramma Speusippo ad scriptũ reperiri, haud scio an falso.

Γαῖα μὲν ἐν κόλποις κρύπτει, τόδε σῶμα Πλάτωνος,

Ψυχὴ δ' ἀθανάτων τάξιν ἔχει μακάρων.

Υἱοῦ ἀρίστωνος, τὸν τίς καὶ τηλόθι ναίων

Τιμᾷ ἀνὴρ ἀγαθὸς θεῖον ἰδόντα βίον. hoc est,

Corpus habet gremio contectum terra Platonis,

Mens sed habet superûm tecta beata deûm.

Diuinum quem iam veneratur quisquis honestus,

Et probus est, cuius vel procul est regio.

Et alius recentius,

Αἰετὲ τίπ]ε βέβηκας ὑπὲρ τάφου, ἢ τίνος εἰπὲ,
Ἀστερόεντα θεῶν οἶκον ἀποσκοπέεις;
Ψυχῆς εἰμὶ Πλάτων͡ος ἀποπ]αμένης ἐς ὄλυμπον
Εἰκὼν, σῶμα δὲ τοῦ γηγενὲς ἀτθὶς ἔχει.

hoc est,

Quid monumenta super volucrum regina volasti?
Tu mihi dic superûm quam tueare domum?
Diua ego sublati in cœlum feror vmbra Platonis,
Terrenũ at corpus Attica seruat hum⁹.

Est & nostrũ in hanc sententiam.

Καὶ πῶς εἰ μὴ Φοῖβος ἀν' Ἑλλάδα φῦσε Πλάτωνα
Ψυχὰς ἀνθρώπων γράμμασιν ἠκέσατο.
Καὶ γὰρ ὁ τοῦδε γεγὼς Ἀσκληπιός ἐστιν ἰατὴρ
Σώματ͡ος ὡς ψυχῆς ἀθανάτοιο Πλάτων.

hoc est,

Ni doctũ Græcis genuisses Phœbe Platonem,
Prorsus nemo animis qui medeatur erat.
Corporis est medicus satus ex te Asclepius ægri.
Aeternę vt sapiẽs est animæ ipse Plato.

Et Aliud de eius morte,

Φοῖβος ἔφυσε βροτοῖς Ἀσκληπιὸν, ἠδὲ Πλάτωνα.
Τὸν μὲν ἵνα ψυχὴν, Τὸν δ' ἵνα σῶμα σάοι.
Δαισάμενος δὲ γάμον, πόλιν ἤλυθεν ἥν ποθ'ἑ αὐτῷ
Εκτισε, καὶ δαπέδῳ ζηνὸς ἐνιδρύσατο.

hoc est,

Produxit nobis Asclepion Atq; Platonē
Phœbus, vt hic corpus curet, & ille animum.

Coniugium celebrare volens, quam cō-
didit olim
Vrbē adit ipse, Iouis quāq; solo posuit,

Atque ita se habent epigrammata. Discipuli verò fuere Speusippus Atheniensis, Xenocrates Chalcedonius, Aristoteles Stagirites, Philippus Opuntius, Hestiæus Perinthius, Dion Syracusanus, Amyclus Heracleotes, Erastus & Caristus Scepsij, Timolaus Cyzicenus, Euæon Lampsacenus, Pithon & Heraclides Aenij, Hippothales & Calippus Athenienses, Demetrius Amphipolites, Heraclides Ponticus, & cōplures alij. Cum his & mulieres duæ, Lasthenia Mantinea, & Axiothea Phliasia, quæ, vt Dicæarchus autor est, virili

vteb

vtebatur veste. Theophrastrum item illius fuisse auditorem, quidam referunt, & Hyperidem oratorem, Chamæleon & Lycurgum ait, Polemo & Demosthenem scribit ipsius fuisse studiosum. Sabinus item ait & Mnesistratū Thasium in quarto de meditatione libro, & est id quidem verisimile. Verumenimuerò cùm Platonis in primis studiosa sis, idque haud sanè iniuria, Philosophi summi dogmata peculiari quodam amore ac studio præ cæteris indagare soleas, operæpretium existimaui & sermonem illius naturam, & dialogorum ordinem, & persuasionis aut inductionis vim, pro viribus, veluti per elementa capitáque digerere, vti neque de illius vita quam collegimus, dogmata quoque & decreta desiderentur, alias quippe iuxta prouerbium, noctuam Athenas, si ea quæ per species distribuuntur enarrare tibi oportebit. Dialogos itaque primum Zenonem Eleatem scripsisse ferunt. Aristoteles in 1. de poëtis, Alexamenum Styreum siue Teium, sicut & Phauorinus in commentariis tradit. Cæterùm Plato, meo quidem iudicio id genus expoliuit, adhuc alioqui rude, atque perfecit. Ita non solum or-

natæ & expolitæ orationis, verum & ipsius inuentionis dignisśimè sibi primatum vendicat. Est autem Dialogus ex interrogatione, & responsione compositus, de ea re quæ vel philosophiam vel Reip. partes attingat, cũ decenti & congrua expreśsione personarũ quæ assumuntur, accurataq; compositione verborũ. Dialectica est disputandi ars per quam aliquid aut probamus aut improbamus, ex interrogatione itidem, & respõsione differentium. Enimuerò Platonicæ orationis geminus stylus est, vterq; summus. Alter ex his qui instituit atque imbuit, appellatur ὑφηγητικὸς. alter in inquirendo versatur, diciturq; ζητικὸς. Prior ille in duo distinguitur genera, alterum in speculatione consistit, alterum in actione. Primùm in naturale ac rationale, secũdum in morale ac ciuile diuiditur. Porrò secũdus ille itidem in duas species scinditur, prima quàm exercetur, vocaturq; gymnastica, secunda in certaminibus est, & agonistica dicitur. Quin & gymnasticę bipartita diuisio est, altera velut incunabula exercitationis fouet, vocaturq; Mæeutica: altera iam suis viribus nititur, tentatq; quid posśit, & Pirastica dicitur. Agonisticæ itẽ est bipertita distinctio,

alia

alia demonstrationi inseruit, & Endistica vocatur. alia exhortatur, & Anatreptica dicitur. Neq; sanè nos fugit plerosq; Platonis dialogos aliter ac nos distinguere. Dicunt enim ex his alios dramaticos, quòd quasi poëma videantur imitari, alios quòd narrationi inseruiant, diegematicos, mixtos alios appellant. Sed ea sanè distinctio dialogorum scenæ quàm philosophorum scholæ videtur accōmodatior. Sunt ex his quidam qui ad physicam pertinent, vt Timæus, Logicen vt politicus, Cratylus, Parmenides & Sophista. Sunt qui ad moralē, vt Apologia, Criton, Phædon, Phædrus, Symposium Menexenus, Clitophon, epistolæ, Philebus, Hipparchus, & Anterastæ. Ciuilem verò Respub. leges, Minos, Epinomis, & Atlanticus. Mæeuticam astruunt Alcibiades duo, Theages, Lysis, Laches. Pirasticā, Eutiphron, Menon, Ion, Charmides, Thæetetus. Endicticam, Protagoras. Anatrepticam Eutydemus, Hippiæ duo, Gorgias. De dialogo quid nam sit, & quæ nam sint eius differentiæ, hactenus. Quoniam verò infinita cōtentio est, aliis dicentibus ipsum dogmata inferre, aliis negantibus, age de his quoq; videamus. Dogmatistæ proprium est dogma afferre, sicut &

legiſlatoris, leges inſtituere. Porrò dogmata ſiue decreta * indifferenter vocantur, & quæ opinamur, & opinio ipſa. Ex his autem quod opinamur propoſitio eſt. Opinio autem perſuaſio ipſam ſiue opinatio. Plato igitur * quę perceperat, ea exponit, quæ verò ſunt falſa, coârguit. De rebus incertis non definit. Atq; de his quidem quæ ipſe opinatur, quatuor inducit perſonas, Socratem, Timæum, Athenienſem hoſpitem, peregrinū Eleatem. Sunt autem * peregrini non vt quidam opinantur, Plato & Parmenides, ſed figmenta ſine nomine ſunt. Quando & Socratis atq; Timæi verba dum loquitur, pro decretis infert Plato. Qui mendacij coarguūtur inducit Traſymachum, Calliclem, Polum, Gorgiam, Prothagoram, Hippiam, atq; Eutydemū, & huiuſmodi cæteros. At verò cùm probationibus & argumenti concluſionibus locus eſt, plurimum vtitur inductione, eaq; non vnica ſed bipertita. Eſt enim * inductio oratio ex veris quibuſdam ſimile ſibi verū propriè colligens atq; inferens. Eius ſunt ſpecies duæ, ea quæ ex contrario fit, & quæ ex cōſequenti. Quæ igitur ex contrario fit eiuſmodi eſt, vt interroganti circa omnem reſponſionem contrarium inferat

* ἰκατέρως.

* περὶ ὧν κατέλαβεν.

* ξένοι.

* ἐπαγωγή.

feratur. Vt exempli causa, Pater meus aut alius est quàm pater tuus, aut idem. Si igitur alius est pater meus quàm pater tuus, cùm sit alius quàm pater, non erit pater. Si idem est qui pater meus, idem existens qui pater meus, meus erit pater. Et rursus: Si animal homo est, lapis aut lignũ erit. Non est autem lapis aut lignum, animatus quippe est, & ex seipso mouetur, animal igitur est. Si autem anima est, animal verò & canis & bos, erit & homo animal & canis & bos. Hac igitur inductionis specie quæ per contrarium fit, vbi rixæ locus est vtitur Plato, non ad asserendũ dogma, sed ad refellendũ quod falsum fuisset obiectum. Est & alia ipsius species, quæ per consequens: & ea duplex, altera quidem id quod in parte quæritur per id quod est in parte demonstrat: altera quod vniuersaliter per id quod in parte est probat. Prior illa oratorũ, sequens dialecticorum est. Quæritur in prima an iste occiderit. Argumentum est eo tempore repertum esse cæde cruentũ. Est autem, vt diximus, oratorum ea inductionis species. Quippe rhetoricę vis & officium est circa particularia, non circa vniuersalia versari. Quærit enim non de iure ipso verum de par-

Inductio per contrarium.

Inductio per ἀκολουθίαν.

ticularibus iuſtis. Altera verò dialecticorum, probatur quippe vniuerſum per partes. quemadmodũ quæritur an ſit immortalis anima, & an ex mortuis ſint qui viuunt, quod in lib. de Anima probatur per vniuerſale quoddam, quòd contraria ex contrariis fiant. Idq; ipſum vniuerſale ex quibuſdam particularibus conficitur, vt ſomnus ex vigilia, & contrà, itemq; maius ex minore, & contrà. Hac autem ſpecie

* ἑαυτῷ δοκούντων. vtebatur ad aſſerenda * quæ percepiſſet. Nam vt olim tragœdiam prius quidẽ chorus ſolus aiebat, poſtmodum verò Theſpis vnum inuenit hiſtrionem, vt chorus interdum requieſceret, ſecundum poſtea Aeſchylus adiecit, & tertium Sophocles, atque in hunc modum tragœdia conſummata eſt: ita & philoſophiæ ratio dudum circa vnam tantum phyſicæ ſpeciem iuxtà vertebatur. Acceſsit Socrates, & adiecit ethicen. Tertiam Plato dialecticen addidit, & cõſummato philoſophiæ operi extremam manum appoſuit: Thraſillus autem aſſerit illum iuxta tragicum quadriloquium dialogos ſuos edidiſſe. Tragœdi

*δράμασιν. enim quatuor * poëmatibus certabant. Dionyſiis, Lenæis, Panathenæis, Chytris. Erat autem quartum poëma Satyricum.

Porrò

Porrò quatuor poëmata quadriloquia appellabantur. Sunt igitur omnes eius dialogi, de quibus nihil ambigitur, quinquaginta sex, República in decem diuisa libros, quàm & apud Protagoram totam fermè inueniri in contradictionibus, tradit Phauorinus in secundo omnimodæ historiæ. Leges in duodecim diuiduntur. Sunt autem huiusmodi quadriloquia nouem numero, legibus vno volumine, & Reipub. libris in vno itidem inclusis. Primùm igitur quadriloquium ponit, quod cõmunem hypothesim habere videatur, ostendere volẽs cuiusmodi esse debeat vita philosophi, duplicique in libris singulis inscriptione vtitur, altera ex nomine, ex re altera imposita. Huius quadriloquij quod primum est in capite ponitur Euty-phron, siue de sanctitate. Est autem ipse dialogus tentatiuus. Hunc sequitur Socratis defensio, moralis. Tertio loco Criton, siue de eo quod * agendum est, moralis. Quartò Phædon, siue de anima, moralis. In secundo verò quadriloquio præponitur Cratylus, siue de rectitudine nominũ Logice partes agens Theætetus, siue de disciplina, tentatiuus: Sophista, siue de eo quod est, logicus. Politicus, siue de regno, logic

τετραλογία prima.

* περὶ πρακτοῦ.

logicus. In distributione tertia ponitur primo loco Parmenides, siue de ideis, logicus. Secundo Philebus, siue de voluptate, moralis. Tum sympositi, siue de amore, moralis. Postremo Phædrus siue de bono, moralis. In quarta pręponitur Alcibiades prior, siue de hominis natura, μαιευτικός. Alcibiades secundus, siue de precatione, obstetricus. Hipparchus, siue de lucri studio, moralis. Anterastæ, aut philosophia, moralis. Quintæ præfertur in capite Theages, siue de sapientia, obstetricius, ac deinceps Charmides siue de frugalitate, tentatiuus. Laches, siue de fortitudine, obstetricius, Lysia, siue de amicitia, obstetricius. Sextę princeps est Euthydemus, siue contentiosus, anatrepticus. Tum Protagoras seu sophistæ, endicticus. Gorgias siue de rhetorica, anatrepticus. Menon siue de virtute, tentatiuus. Septimæ præponuntur Hippiæ duo, de honesto prior, posterior de mendacio, ambo exhortatiui. Ion siue de Iliade, πειραστικός. Menexenus siue epitaphius, moralis. Octauæ primum sibi locũ vendicat Clitophco siue exhortatiuus, moralis. Respub. seu de iustitia, ciuilis. Timæus siue de natura, physicus. Critias seu Atlãticus, moralis. Nonæ præsidet

Minos

Minos siue de lege; ciuilis. Leges siue de ferenda legē, ciuilis. Epinomis siue philosophus, ciuilis. Epistole tredecim morales, quibus præponebat εὖ πράττειν. Epicurus autem εὖ διάγειν. Cleon verò χαίρειν. Ex his vna est ad Aristodemū, ad Archytam duę, ad Dionysium quatuor, ad Hermiam & Erastum & Coriscū vna, ad Leodamantem vna, ad Dionem vna, ad Perdicā vna, ad Dionis * necessarios duæ. Est autē huiusmodi iuxta Thrasyllum librorū illius distinctio, cui pleriq; accedunt. Alij autem ex quibus & Aristophanes grāmaticus est, in triloquia eius dialogos ita distribuunt, primam ponunt cui præsit, respublica, Timæus. Critias, Secūdam cui Sophista, Politicus, Cratylus. In tertia leges statuunt, Minoën, & Epinomida. In quarta Theætetum, Eutyphrona, defensionē. In quinta, Phædonem, Critonem, epistolas. Cætera singula, & sine ordine ponunt. Incipiunt quidam, vt prædiximus, à republica, alij à maiore Alcibiade, pleriq; autem à Theage, alij ab Eutyphrone, nonnulli à Clitophonte, quidam à Timæo, alij à Phædro. Sunt item qui à Theæteto incipiant, sunt qui à defensione. Ex his autē dialogis qui Platoni inscribuntur, hi sine vlla contro-uersia

*οἰκείους.

uersia adulterini sunt Midon siue Hippostrophus, Eryxias siue Erasistratus, Alcyō, Acephalus siue Sisyphus, Axiochus, Phæaces, Demodocus, Chelidon, Septima, Epimenides. Ex his Alcyō Leontis cuiusdam esse fertur, vt Phauorinus in quinto commentariorum refert. Enimuerò nominibus vtitur variis, vti ne illius opera imperitis, & rudibus conspicua sint: propriè tamen sapientiam esse arbitratur earum rerum quæ intelligentia comprehendūtur: & quæ verè sunt, scientiam, quàm de deo ait animāq; à corpore disiunctā. Propriè verò sapientiam, & philosophiam vocat appetitionem quandam ac desiderium diuinæ sapientiæ. Communiter apud ipsum sapientia dicitur etiam omnis peritia. Vt cùm, verbi gratia, sapientem vocat artificem. Vtitur & iisdem sæpe nominibus in significādis variis rebus. φαῦλος siquidem apud illum, etiam pro simplici ponitur, sicut & apud Euripidem in Licymnio de Hercule in hunc modum:

φαῦλον, inquit: ἄκομψον τὰ μέγιστ' ἀγαθὸν
πᾶσαν ἐν ἔργῳ περιτεμνόμενον σοφίαν
λέσχης ἀτρίβωνα. hoc est,

Neglectum, inornatum, atque vt plurimum probum

Re

Re metientem, non verbis ſapientiam
Sermone nũquam palliato, at ſimplici.
Vtitur eo Plato quandoq; & pro pulchro & honeſto, aliquando pro * paruo. Sæpe verò & variis nominibus vtitur in eadem ſignificatione. Namq; ideã & ſpeciem nominat & genus & exemplar & initium & cauſam. Vtitur & contrariis vocibus vt idem ſignificent. Nam ſenſibile & quod eſt, & quod nõ eſt dicit. Eſſe quidem propter generationem, non eſſe autem propter aſſiduam mutatione. Ideam itidem appellat quod neq; mouetur, neq; manet, & idem, & vnũ, & multa. Idem verò & in plurimis facere ſolitus eſt. Eſt autẽ librorum eius triplex * expoſitio. Primo enim docere oportet eorũ quæ dicuntur vnumquodq; quid ſit, deinde cuius rei gratia dictum ſit. Vtrum ex principali intentione, an in ſimilitudinis parte, & ad dogmatum aſſertionẽ vel ad refellendum contra diſſerentem. Tertio verò an rectè dictum ſit. Verùm quoniã ipſius libris, & notæ quædam apponuntur, age de his quoq; pauca loquamur. X, enim litera ad dictiones ac figuras aſſumitur, prorſus ad Platonicam conſuetudinem. X X duplex ad dogmata opinionésq; eius peculiares. περιεστιγμένην

ad elec

* μετρίῳ.

* ἐξήγησις.

Notæ in libris Platonis.

ad electiores quaſq; ſententias ornatuſq; verborũ apponitur. Duplici perieſtigmeno ad quorundam emendationes adhibetur. Obelus perieſtigmenus ad ſuperflua quæq; iugulanda præponitur. Antiſigma ad vſus duplices ſcripturæq; tranſlationes adhibetur. Cerãnium ad philoſophiæ inſtitutionem aſſumitur. Aſteriſcus ad conuenientiam dogmatum. Obelus ad * improbationem. Sunt igitur huiuſmodi notæ, & hic librorũ numerus, vt Antigonus Caryſtius in libro quẽ nuper de Zenone edidit, refert. Ea ſi quis dignoſcere voluiſſet, mercedem his qui docerent pendebãt.

* ἀθέτησιν

Platonicorum dogmata.

Quæ verò illi placuerunt, huiuſmodi fuerunt: Immortalem eſſe animã, & de corporibus ad corpora perpetuis vicibus migrare, eiuſq; initiũ conſtare numeris. Corporis principium, Geometriæ item cõſtare ratione. Definiebat eam ideam eſſe penitus * remoti ſpiritus, ſeipſam mouentẽ & motum præſtantem corpori, & eſſe tripartitam. Rationalem ipſius partẽ ſitam in capite, iraſcibilem in corde, concupiſcibilem in vmbilico & iecore conſiſtere. * Continere itẽ ex medio ſemper corpus per gyrum atq; ex elementis conſtare, diuiſamq; ſecundum harmoniæ interualla, duos

* διεστῶτος.

* περιέχειν.

duos orbes efficere coniunctos. Ex his interiorem circulum & ſex alios ſciſſum, ſeptem reliquos circulos facere. Eumq; iuxta diametrum ad læuam intrinſecus habere ſedem. Alterum verò ſecũdum latus ad dexteram, ideoq; ipſum * obtinere quod *κρατεῖν. ſit vnicus. Alterum quippe interius in plures eſſe diuiſum, atq; hunc ipſius, illos alterius eſſe dicens. hanc quidem animi, illam verò vniuerſi eſſe motionem, errãtiumq; ſyderum motus, ita ſe habentes vt ex medio ſit ſciſsio ſibi ad extrema congruens atque coniuncta, noſſe quæ ſunt, atq; aptare, eo quòd in ſeipſa per harmoniam elementa habeat, & opinionem quidem fieri ſecundum alterius circulum ſe*ſubrigentem, ſcientiam verò ſecundum alium qui *ὀρθουμένου. ſit idem. Duo omnino eſſe rerum principia. Deum atque materiam. Illum & mentem & cauſam appellat. Eſſe autem materiam informem & infinitam, ex ea concretiones fieri. Ea cũm aliquando temere & inordinatè moueretur, à deo ait in locum vnum coactam, quòd ordinem temeritati præſtare cenſuerit. Porrò huiuſmodi eſſentiam in quatuor elemẽta conuerſam, ignẽ, aquam, aërem, terram. Ex his mundum ipſum & quæ in eo ſunt naſci. ſolam terrã

ait immutabilem, causam esse putãs figurarum ipsius, ex quibus constet, differentiam. Aliorũ quippe figuras eiusdem generis dicit. compositas nimirum omnes ex vno oblongo triangulo, terræ verò propriam esse figuram. Ignis enim elemẽtum esse pyramidem aëris, quod ὀκταέδρου vocat, aquæ εἰκοσαέδρου, terræ autem cubum. Quocirca neq; terram in ista mutari, neq; in terram ista conuerti. Non autẽ suis locis discreta esse singula quòd circunferentia constringens, & ad mediũ cogens, parua hæc cõponit, eaq; quæ sunt maiora discernit. Atq; ideo cum species mutant, & loca mutare. Mundũ vnum esse genitum, nam & sensibilis est, à deo conditum, animatumq; esse, quòd præstãtius sit quod animatum est, quàm quòd caret anima. Huiusmodiq; opificium supremæ causæ subiectum, vnumq; conditum fuisse, non infinitum, quòd etiam*exemplar ad quod creatus fuerit, vnicum sit. Esse autem ad sphæræ similitudinem rotundum, quòd conditoris ea quoq; figura sit. Illum quippe cæteras continere animantes, hunc autem omnium figuras. Leuem itidem & absque vllo per gyrum instrumento, quòd huiusmodi nullus sibi vsus sit. Immortalẽ præterea

* ὑπόδειγμα.

terea durare mundum, eò quòd non dissol uatur in id quod non est. Ac totius genera tionis causam esse cœlũ, quòd boni sit benefacere. Porrò cœli generationis autorẽ summè bonum, atq; excellentissimũ. Eius quippe quòd sit in rebus conditis pulcherrimum, eum esse conditorem, quem intel ligibilium omniũ constet esse præstantissimum. Itaq; quoniã huiusmodi Deus est, cœlum verò præstantissimo illi simile est, quoniam pulcherrimũ cernitur nulli crea turæ erit similius quã Deo soli. Constare verò mundum ex igne, aqua, aëre, & terra. Ex igne quidem, vt visibilis sit: ex terra, vt solidus: ex aqua & aëre, vt proportione nõ vacet. Nanq; solidorum vis duobus maximè mediis proportionẽ sumit, vt vnũ fiat hoc totũ. Ex omnibus verò, vt perfectum atque immortale sit. Tempusq; sempiterni imaginem fuisse, idq; semper manere. Cœli autem motus tempus esse. Noctem enim ac diem ac mensem & huiusmodi cætera esse temporis partes. Idcirco absq; mundi natura non cõstare tempus. Simul enim atque conditus fuerit, & tempus illi affuisse. Porrò post temporis generationem, & solem, & lunam, & errantia genita. Vt autem horarum manifestus & cer-

tus esset numerus, animantesq; numeri nõ essent expertes, accēdisse solis radios Deū. Lunam quidē supra eminentē terræ circu lum, solem propius huic orbi, in superiori bus verò vaga sydera ferri. Esse prorsus animatū, quia sit animato motui deuinctus & alligatus. Vt autē perficeretur hic mundus, essetq; similis intelligibili animanti, aliorum quoq; animalium conditam esse naturam. Quoniā igitur ille habebat: cœlum quoq; vt haberet operæpretium fuisse. Deos ergo esse vt plurimū igneos. Esse autem & reliqua genera animātium tria, volatile, aquatile, terrestre. Terrā esse antiquissimam omnium qui essent in cœlo deorum. Fuisse autem conditā, vt diei noctisq; tempora & vices variaret. Eam cùm media sit, circa medium moueri. Quoniā verò causæ, inquit, duæ sunt, alia quidē con stantiam ac firmitatē esse, alia verò necessaria ex causa creata dicendū. Sunt autem ista: aër, ignis, terra, aqua, quæ quidem non exactè erant elementa, sed ad percipiendum apta. Hæc autem ex triangulis constare compositis, atq; in ipsos dissolui. Esse autem ipsorum elementa porrectū triangulum, & æquilaterū. Initia igitur & causas rerum esse duo quæ prædiximus, quorum

rum exemplar sit Deus ac materia. Id verò informe esse necesse est, sicut & alia *perceptioni accommodata. Horum autẽ causam ex necessitate esse, quippe quæ receptis ideis essentias gignat, ac per potentiæ dissimilitudinem moueatur, motuq; suo quæ mouentur ex ea in diuersum moueri. Porrò ista quidem primo tumultuario & inordinato motu agitari. at vbi ornatus adhiberi cœptus, debitum ordinem, & modum ex Deo accepisse. Causas enim & ante cœli creationem duas fuisse, & tertiam generationem, eas tamen perobscuras, vestigiaq; duntaxàt, & incompositas, & eis demum perfecto mundo accepisse ordinem. Ex omnibus verò quæ subsisterent corporibus factum esse cœlum opinatur, & Deum sicut & materiam incorporalem esse. Sic enim corruptione & perturbatione nulla omnino affici. Ideas sicut prædiximus, causas quasdam atq; principia ponit, vt huiusmodi sint quæ natura consistunt, qualia & ipsa sunt. Enimuero de bonis ac malis ita disserebat: Finem esse, Deo similem fieri. Virtutem sufficere quidem ad bene, beateq; viuendum. Cæterùm instrumentis indigere corporis bonis, robore, sanitate, integritate sensuum, & cæteris id genus.

*αἰσθητὰ sicut paulò antè.

id genus. Exterioribus idem, puta opibus, generis claritate, gloria,& huiusmodi cæteris. Ea etsi non affuerint, nihilominus tamen beatum fore sapientem. Accessurum item ad Remp. vxorem ducturũ, legesq; positas non præuaricaturum. Laturũ insuper, patriæ suæ quantum fieri poterit commodas leges. Idq; nisi per summam plebis seditionem operam suam Reipub. iudicarit inutilem fore. Arbitratur & deos humana cernere atq; curare, & dæmones esse, * notionemq; honesti primus definiuit, eam, quæ à laudabili & rationabili vtiliq; & decoro & congruo non discerneretur, quæ simul omnia, id quod per naturã sit consequens, ac pro confesso habeatur, attingant. Disseruit de ratione & rectitudine nominum, atque adeo rectè respondendi,& interrogandi scientiam primus ipse constituit, affatim vsus. Porrò in dialogis iustitiam diuinam legem arbitratus est, vt ad iustè agendum potentius persuaderet, ne post mortem pœnas improbi luerent. Quocirca eum plerique fabulosum putauere, quòd eiusmodi narrationes interdum suis scriptis interserat, vt quòd incertum sit ista post mortem sic se habere, admoniti mortales iura violare pertimescant.

*ἔννοιαν

ſcant. Atque in hunc modum ille ſenſit. Diſtribuebat autem,vt ait Ariſt.res in hũc modum.Ex bonis,inquit, quædam ſunt animi, quædam corporis, alia extrinſecus. Iuſtitiam,prudentiam,fortitudinem, frugalitatem,& cætera id genus in animo ponebat. Pulchritudinem & habitum præclarum,ſanitatem,& fortitudinem in corpore. Amicos autẽ & patriæ felicitatem, atq; diuitias, inter exteriora numerabat.Bonorum igitur tria eſſe genera, alia in anima, alia in corpore,alia extrinſecus.Tres item eſſe amicitiæ ſpecies,naturalem,ſocialem, atque hoſpitalem. Naturalem qua parentes liberis afficiuntur, cognatiq; ſe mutuò alterutrum diligunt. Eam verò in cæteras quoque animantes eſſe diffuſam. Socialem quàm ſine vllo conſanguinitatis vinculo ſola conſuetudo conciliat,cuiuſmodi Pyladis & Oreſtis fuiſſe memoratur. Hoſpitalem qua ex commendatione vel literis hoſpitibus coniungimur. Addunt plerique quarto loco & amatoriam. Ciuilitatem itidem in ſpecies quinque diſtinxit. Aliam popularem, aliam quàm optimates exerceant, tertiam quæ diffundatur in paucos, regiam quartam, quintam tyrannicam.Popularem Rempub.in eis eſſe ci-

uitatibus in quibus ad imperium multitudinis agitur res, eiusq; nutu magiſtratus eliguntur, & pro illius arbitrio feruntur leges. Ariſtocraticam, vbi neque diuites, neque pauperes, neque nobilitate vel gloria illuſtres dominantur, verum ſoli ij, qui ſunt in ciuitate optimi rem adminiſtrant. Oligarchicam, quando à* cenſibus magiſtratus eliguntur. ſunt enim pauciores pauperibus. Regnum bifariam ſcindi: aliud enim ſecundum legem: aliud ſecundũ genus eſſe. Secundum legem conſtare Carthaginiẽſium regnum. Ciuile quippe eſſe, Lacedæmoniorum verò & Macedonum ſecundum genus. Habent enim regni ſucceſsionem quandam per genus. Tyrannidem dici, cùm impulſi & vi adacti ciues ab aliquo reguntur. Iuſtitiæ tria eſſe genera: aliud circa deos, alterum circa homines, tertium circa defunctos verſari. Nam & qui ſacra ſecundum leges faciunt, ſacrarumq; rerum curam habent, religioſi in deos ac pij ſunt. Qui verò mutua, depoſitáque reſtituunt, iuſti erga homines ſunt. Qui autem vita functis iuſta perſoluunt, tertiam illam iuſtitiæ partem exequuntur. Diſciplinæ ſimiliter treis eſſe ſpecies. Aliam quidẽ in actione conſiſtere, & pra-

*τιμημάτων.

cticem

ēticem dici. Aliam ex operis effectu constare,& appellari poëticen. Tertiam speculationi studere,& rhetoricen vocari. Nam ædium nauiumq; structuram certum est ad effectricem illam pertinere. Nam ex illis opus aliquod factum videmus. Politiam verò & tibiarum cantus, pulsusq; citharæ, & huiusmodi cætera, practicæ subesse. Neq; enim consummato actu quippiam remanet quod oculis subiectum sit, cæterum in ipso actu vis omnis est. Itaque alius tibiis alius fidibus canit, alius Remp. gerit. Porrò geometria, & harmonia, & astrologia sub intelligentiam cadunt, & speculationi tantũmodo inseruiunt. Neq; enim vel agunt vel efficiũt quicquam, sed geometria quidẽ contemplatur vt sese habent ad inuicẽ lineæ, harmoniacus sonos ratione diiudicat, astrologus sydera atque cœlum. Medicinæ item quinque species esse: aliã quippe dici pharmaceuticen, quæ morbis medicata potione subueniat: aliã chirurgicam, quæ sectione & vstione curet: tertiam quæ sola victus ratione & ordine arceat ægritudines, appellariq; diætecticem: quartam quæ ex celeri discretione morborum succurrat ægris, vocariq; νοσογνωμικὴν: quintam adiutricem dici, quòd

strenuo auxilio doloribus continuo liberet. Legis item geminam esse distributionem, alteram scriptam, alteram verò non scriptam. priorem illam esse ciuilem, qua administramus remp. quæ verò citra scripturam constat, eam à natura & vsu proficisci, quale est nudum in forum ambulare non debere. aut muliebri veste vti, quod nulla scripta lege prohibetur. Nã ab eiusmodi sola citra scripturam, naturalisq; lex vetat. Sermonem seu orationem in quinque diuidit. Esse enim eius genus quoddam quo vtuntur in concionibus hi qui administrant rempu. idq; ciuile appellari. Aliud quod vtuntur oratores in demonstratione, dum vel laudant vel vituperant, vel accusant quempiam: esse verò id genus oratoriũ. Tertiò quo priuati inter se mutuò colloquuntur, diciq; priuatũ. Quartũ quo compendio ij qui rogant & respondent, ad interrogata differunt vocariq; id genus dialecticum. Quintò quo artifices dum de sua arte differunt loquuntur, appellariq; id artificiosum. Musicam in tria secari. Quandam enim voce sola constare, vt cantum: aliam voce simul & manu, vt citharę cantus: tertiam solis manibus perfici, vt cùm silente oris organo citharam

percut

percutimus.Nobilitatē quatuor in ſpecies diuidi.Nam qui claris, bonis iuſtiſq; maioribus fuerint nati,eos nobiles vocari,quorum item parentes potentes ac principes fuere.item vocari nobiles,quorū ſint maiores fama & opinione celebres,quam vel ex bellicis rebus præclarè geſtis,vel ex certaminum coronis reportauerint.Alterum eſſe nobilitatis genus idq; præſtantiſsimū, cùm quis per ſe animi magnitudine excellit.Pulchritudinem item in tria diſtinguit: aliam quippe eſſe laudabilē,vt formoſam faciem:aliam quoque vſui deſeruire,vt inſtrumentum & domum, quæ præterquā quòd ſpecioſa ſunt,vſibus noſtris commoda etiam ſunt. Tertiam legibus ſtudiiſq; conſtare, eamq; humanæ vitæ commodis maximè cōſulere.Animæ tres itidem partes eſſe,rationalem,cōcupiſcibilem,& iraſcibilem. Ex his autem rationalem ſedem eſſe conſilij,cogitationis,conſultationis,& huiuſmodi reliquorum.Concupiſcibilem eſſe appetendi cibi, vel coitus,& ſimilium cauſam. Iraſcibilem verò confidentiæ, voluptatis, doloris, & iracundiæ autorem eſſe. Perfectæ, conſummatæq; virtutis eſſe ſpecies quatuor, primam prudentiam, ſecundam iuſtitiam, fortitudinem

tertiam,

tertiam, quartam temperantiam. Ex his prudentiam vt rectè agantur omnia causam esse. Iustitiam verò inter consortia, & humanæ vitæ commercia, non violandi iuris autorem: fortitudinem autem ne inter pericula & terrores à fortiter cœptis deficiamus: porrò temperantiam ad frænandas cupiditates, vt à nulla voluptate subigamur, honestéque viuamus, sua nobis lege præscribere.* Magistratus in quinque partitur: In legitimum, naturalem, æquum ac rectum, in eum qui fit per generis successionem, & denique in violentum & tyrannicum. Nam magistratus ciuitatum si eligantur à ciuibus, secundum legem imperant. Per naturam verò mares vbique non modò inter homines, verùm inter alia animalia quoque fœminis præsunt. Ex consuetudine verò & pædagogi pueris, & magistri discipulis imperant. Per genus autem quemadmodum Lacedæmoniorum reges dominantur. Nam ex genere regnum sortiuntur. Eodem modo & apud Macedones reges imperant. quippe & illic regnum ex genere institutum est. Porrò qui per vim ciuibus inuitis regnant, ij violenti ac tyranni vocantur. Oratoriæ sex species tradit. Nam quot

*ἀρχή.

ῥητορεία,

quoties iusserit orator bellum suscipere: & auxilium contra aliquem ferre, id genus vocatur adhortatio. Cùm verò quietem agere, neque bellare, neq; opem ferre monuerit, appellatur ea species dehortatio. Tertia, cùm quis se à quopiam iniuria affectum, & complura incommoda perpessum docuerit. Eiusmodi verò vocatur accusatio. Quarta species Defensio dicitur, cùm is qui accusatur, se neq; violasse ius, neq; aliud quicquam temere & perperam egisse probarit. Quinta deinceps species cùm quis bene & cōmodè dixerit, honestumq; ac bonum prædicauerit, eaq; laus siue ἐγκώμιον dicitur. Sexta deinde, cùm turpem, ac malum probauerit, & hæc vituperatio potest appellari. Rectè dicere in quatuor scindit. primū enim quid dicere oportet obseruandum, secundò quàm multa dicere. tertiò ad quos. quartò quando sit dicendum. Ea igitur oportet dicere, quæ vtilia futura sint & dicenti & auditori. Quæ dicere conueniat, ea sunt vt neque nimis multa, neque pauciora quàm satis est, dicantur. Quibus autem dici oporteat, vt si quidem ad peccantes seniores dicendum sit, verba illi ætati congrua loquamur. Sin verò ad iuniores verba facienda sint, maiore

maiore autoritate vtamur in dicendo. Quando verò dicendum, vt neque prius, neque posterius quàm ratio exigit, dicatur. Alioqui profectò vitium non effugiet, qui secus faxit. * Beneficentia quadrifariã diuiditur. Aut enim pecuniis, aut corporibus, aut disciplinis, aut verbis beneficium præstari. Pecuniis quidem beneficium constat, cùm quis egenos, vt inopia liberentur, pecuniis iuuat. Corporibus verò, cùm se mutuò fouent homines, & ab iniuria, cædentiumq; petulantia vindicant. Porrò qui disciplinis erudiunt, vel medicinæ arte subueniunt, boni aliquid docent, tertio illo beneficentiæ genere vtũtur. At cùm in iudicium quispiam ingressus pro amico dixerit, eumq; vi orationis adiuuerit, hic beneficentiæ munus verbis expleuit. Finem itidem rerum quadripartitum facit. Nam res aut secundum leges finem accipiunt, vt cùm decretum aliquod lege firmatur, & impletur. Aut secundum naturam finis rebus accedit. Nanq; & dies & annus, & anni tempora naturali lege decedunt. Aut secundum artem finis rei imponitur. Architectus enim arte cõsummat ædificium, & nauium fabricator itidẽ perficit nauem. Aut fortuitò finis contingit, vt cùm

*εὐεργεσία.

cùm ſecus ac putabamus, & præter opinio nem aliquid accidit. Aut igitur legitimus eſt rerũ finis, aut naturalis, aut arte conſtat, aut fortuitu. Potẽtiam identidem quatuor in ſpecies diuidit. Vnam quippe eſſe qua cogitare animo & opinari poſſumus. Alteram qua corpore valemus, & proficiſci & accipere, & dare, & cætera id genus. Tertiam qua vel pecuniarum copia vel multitudine militum potentes dicimur. Vnde & multum poſſe dicitur Rex. Quartam potentiæ diſtributionem, qua & facere ac pati bene & malè poſſumus. Nam & infirmari, & erudiri, conualeſcere valemus, & huiuſmodi omnia. Primam itaq; Potentiæ ſpeciem conſtare animo, ſecundam corpore, tertiam exercitu atq; pecuniis, quartam in faciendo & patiendo. Humanitatem triplicem inducit. Quandam enim compellatione fieri, vt cùm fortè obuium quenq; humaniter quis ſalutat, & dextram porrigens, comiter excipit. Aliam eſſe eius ſpeciem, cùm quis afflictis opem clementer impendit. Tertium eius genus quo conuiuia inter ſe homines celebrant. Aut igitur ſalutationis officio, aut ope & auxilio, aut conuiuio, frequentíque congreſſu conſtare humanitatem. Felicitatem quinque

δύναμις.

part

partitam diffinit. Primam eius partem bene consulere, secundam sensibus & bona valetudine corporis vigere, tertiam in rebus gerendis fortunatū esse, quartam gloria & autoritate apud homines excellere, quintam pecuniis rebúsque cæteris ad omnes vsus vitæ affluere. Sanam consultationem ex eruditione multarumq; rerum peritia & experimento contingere. Sensuum integritatem ex corporis membris accidere, vt si quis cernit oculis, audit auribus, narium prꝑterea & oris sensu valet vbi opus est. Tertium esse, cùm quis quod agere intendit ita egerit, vt decet sapientem & strenuum virum. Quartum illud, scilicet gloriæ celebritatem ex opinione bonitatis emanare. Postremum rerū affluentia est, cùm cui ad vitæ vsus ita suppetit pecuniarum copia, vt & amicos fouere beneficio, & largè ac liberaliter cuncta necessaria subministrare valeat. Porrò cui hæc suppetant omnia, eū perfectè felicem ac beatum esse. Artes trifariam diuidit. Prima in tractatione ferri & metallorū, materięq; cædenda constat, quòd ista quasi præparet. Secunda, quæ ex his conficiat aliquid. Nam ex ferro ærarius arma fabricat, ex lignis faber tibias & lyras facit. Tertia * in vsu earum

εὐβουλία. εὐτυχία. εὐπορία. *χρηστικὴ.

earum rerum eſt, ſiquidem equeſtris frænis vtitur, armis bellica, muſica tibiis & lyra. Bonum in quatuor genera diuiditur. Primò bonum dicimus eum, qui habeat virtutem. Secundò virtutem ipſam & iuſtitiam dicimus bonum. Tertiò cibos & cõmodam exercitationem ac * medicamenta. Quartò demum loco bonum dicimus tibiarum cantum, hiſtrionicam, atq; huiuſmodi cætera. Eorum quæ ſunt, quædam dicimus mala, quædam bona, alia neutra. Ex his mala eſſe quæ ſemper nocere poſſunt, vt eſt intemperantia, dementia, iniquitas, & huiuſmodi. Bona, quæ his cõtraria ſunt. Media, quæ neutram partem tuentur, cuiuſmodi ſunt hæc: deambulatio, ceſsio, cibique perceptio, quæ omnino neque prodeſſe poſſunt, neq; obeſſe, ea igitur neque bona eſſe neq; mala. Optima legum moderatio in tria diuiditur. Primò ſi ſint leges præclaræ & graues. II. ſi ciues eas leges quæ ita latæ fuerunt, omni ſtudio obſeruent. III. ſi iuxta conſuetudines ac ſtudia quorũlibet poſitis legibus bene Reſp. adminiſtretur. Eſt igitur prima pars eiuſce moderationis, vt ſint leges optimæ. Secunda, vt intra illos maneatur. Tertia, vt præclaris conſuetudinibus ſtudiiſq; viuatur.

* φάρμακα.

εὐνομία.

Contraria huic laudabili legum moderationi iniquitas in tria itidem ſcinditur. ἀνομία. Primùm ex his eſt, ſi ſint leges latæ peregrinis & ciuibus noxiæ. Alterum ſi his quæ ſunt, minimè obtemperetur. Tertiò, ſi bona nulla omnino ſit lex. Contraria trifariam ita diuiduntur, quemadmodum bona malis contraria dicimus, vt iuſtitiam iniuſtitiæ, ſapientiam inſipientiæ, & huiuſmodi cætera. Mala autem malis contraria, vt prodigalitas illiberalitati, & iniuſta pœna, iniuſtæ impunitati, & cætera id genus mala malis contraria ſunt. Porrò neutris neutra contraria ſunt, pauperem eſſe & diuitem, neutrum enim per ſe neque bonũ, neque malum, contraria tamen. Verùm leuia grauioribus, tardis velocia, & nigra candidis, vt neutris neutra contraria ſunt. Contrariorum igitur partim vt bona malis contraria ſunt, partim vt mala malis, partim vt neutra neutris contraria dicuntur. Bonorum tria ſunt genera, alia enim ex his haberi, alia participari, alia ſubſiſtere. Prima illa ſunt quæ eſſe poſſunt, vt eſt iuſtitia & ſanitas. Secunda quæ haberi quidem nequeunt, eorum tamen eſſe participes poſſumus, vt bonũ ipſum habere poſsibile non eſt, neque tamen eſt impoſsibile

illius

illius participatione frui. Subsistentia verò quę neq; participationē admittūt, neq; habere posibile est, sed esse oportet; vt probū esse, & iustū esse & bonū. Ea verò neq; habere neq; participare licet, sed sufficere, vt probum esse, & iustū esse. Consiliū itidem tripartitum est, aliud quippe à præterito, aliud à futuro, aliud à præsenti tempore sumitur. Præteritum tempus exempla suppeditat, dum attenditur quid, cur quæq; gens passa sit, vt caueamus, aut quid prudenter egerit, vt imitemur, vtpote quid pasi sint Lacedæmonij dum confidunt. Præsens autem rem ipsam quæ in manib. est, cōsiderare monet, puta imbecilles muros, homines timidos, annonæ caritatem, & cætera huiusmodi. Futurum prospicere suadet, vti neque fiat temerè, habendam bonæ opinionis rationem, vt non esse violandas suspicione legationes, ne Græcia gloriam honestatis amittat. Vox in duo diuiditur, est enim animata alia, alia inanimata. Animata quidem animantium, inanimata verò sonorum atque crepituum. Porrò animata bifariā diuiditur, est enim altera literata, altera illiterata. Literata vt hominum, illiterata vt animalium. Eorum quæ sunt, alia * diuidua, alia indiuidua

συμβουλία

*μεριστά.

dicimus. Diuiduorum verò alia sunt similium partium, alia dissimilium. Atque indiuidua quidem sunt quæ diuisionem non admittunt, & simplicia sunt neq; ex aliquo composita, vt monadem, punctum, ac sonum indiuidua dicimus. Diuidua verò quæ sunt ex aliquo composita, vt syllabæ, & * consonantiæ, animantes & aqua, & aurum. Similium partium sunt quæ ex similibus componuntur, neque totum à parte nisi multitudine differt, puta aqua, atque aurum, & cætera huiusmodi. Dissimilium partium dicimus quæ ex dissimilibus constant, vt est domus & huiusmodi cætera. Eorum quæ sunt, alia per se, alia verò ad aliquid dicuntur. Ea quidem per se dicimus, quæ nulla interpretatione, vt intelligantur, indigent. Eiusmodi sunt homo, equi, & animalia reliqua. Nihil horum interpretatione indiget. Ea verò ad aliquid dicuntur, quę interpretatione quadam egent, vt est maius aliquo, & aliquo celerius, & melius, & huiusmodi reliqua. Nanque maius minore maius est, & celerius aliquo est celerius, & in hunc modum cætera. Ita & * priora diuidebat secundum Aristotelem. Fuit & alius Plato Philosophus Rhodius Panætij discipulus, vt ait

* συμφωνία.

* πρῶτα.

vt ait Seleucus Grammaticus in 1. de Philosoph. libro, & alius Peripateticus, Arist. discipulus, & alius Praxiphanis, alius item Poëta prisce comœdiæ.

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHORUM VITA,

LIBER IIII.

SPEVSIPPVS ATHENIENSIS.


VAE de Platone dicenda erant, pro viribus diximus, quid de eo viro singuli sensissent studiosè in vnum corpus colligentes. Succesit autem ei Speusippus Eurymedōtis filius Atheniensis, pago Myrrhinusius, Potones Platonis sororis filius. Octo autem annos scholæ Platonicæ præfuit, à centesima octaua Olympiade initium sumens. Gratiarum signa in schola collocauit, quæ fuit à Platone in Academia extructa. Perstitit autem intra Platonis

dogmata,etsi moribus eiusmodi non fuit. Nanque & iracundus erat,& voluptatibus deditus. Denique aiunt illum ira concitatum, catulum in puteum iecisse, voluptateq; delinitum in Macedoniam ad Cassandri nuptias profectum esse. Fertur & Platonis discipulas Lastheniam vatem,& Axiotheam Phliasiam ipsum quoq; audiuisse. Quo etiam tempore Dionysius ita ad illum mordaciter scribens ,ait:Et ex Arcade discipula tua philosophiam discere possumus.Et,Plato quidem gratis sua limina tenentes docebat,tu verò * tributa exigis, & à volentibus & nolentibus accipis.Primus hic, vt ait Diodorus in primo commentariorum, in disciplinis quid esset commune,vestigauit,easq; quantum fieri poterat, sibi inuicem iunxit atque fœderauit. Primus item quæ ab Isocrate dicebantur arcana edidit, vt Cæneus refert, ac primus quo pacto ex gracilioribus lignis * capacia,& in ventrem tumentia vascula fierent inuenit. Cùm verò iam paralysi corpus illi omne resolutum esset,accersito Xenocrate,orauit vt sibi in docendo succederet. Aiunt illum cùm vehiculo ferretur in Academiam obuium habuisse Diogenem, & cùm illi salue dixisset,hoc ab eo respõsum

* δασμολογεῖς.

*ὠταφορμία.

accep

accepisse, At tu nequaquã salue; qui eiusmodi cùm sis, viuere sustines. Demũ verò mœrore impulsum, cùm iam senio cõfectus esset, mortem sibi sponte consciuisse. Porrò Plutarchus in vita Syllæ ac Lysandri pediculis efferuescentibus illum interiisse ait. Erat enim corpore fragili, quod testatur Timotheus in lib. de vitis. Hic ad diuitem qui amaret deformẽ mulierem, ait: Quid tibi isthac opus est? ego tibi decẽ talentis formosiorem inueniam. Reliquit autem complura cõmentaria, & dialogos plurimos, inter quos & Aristippus Cyrenæus est, de diuitiis vnum, de voluptate vnum, de iustitia vnum, de Philosophia vnum, de amicitia vnum, de Diis vnum, Philosophus vnum, ad Cephalum vnum, Cephalus vnum, Clinomachus siue Lysias ciuis vnum, de anima vnũ. Commentariorum ad Gryllum vnum. Aristippus vnum, ἔλεγχος artium vnum, ὑπομνηματικοὶ διάλογοι, artificiale vnum. Dialogi earum rerum quæ sunt in quaq; re similes decem.

Diuisiones & argumenta ad similia. De generibus, & speciebus exemplorum, ad Amartyrum Platonis laudes. Epistolæ ad Dionem, Dionysium, Philippum, de legis sanctione. Mathematicus, Mandrobulus,

ὅροι.hæ sunt opinior definitiones quæ falsò Platoni adscribuntur.

Lysias, * definitiones. Commentariorum ordines, versus propè infiniti. Ad hunc Simonides scribit historias, in quibus Dionis ac Bionis gesta signauerat. eius libros Aristotelem tribus talentis emisse, Phauorinus in secundo commentariorum autor est. Fuit & alter Speusippus medicus Erophileus Alexandrinus.

XENOCRATES Chalcedonius.

XEnocrates Agathenoris filius Chalcedonius à primis fermè annis Platonis auditor fuit, eiq; in Siciliam proficiscenti comes itineris adhæsit. Erat autem hebes ingenio ac tardus, adeò vt cùm illũ Plato Aristoteli conferret, alterũ fræno, alterũ diceret egere calcaribus. illúdque, Cui equo quem asinum iungo? alioquin seuero semper ac serio habitu, & ore perdurabat, ita vt sæpe ad illũ Plato diceret, Xenocrates gratiis sacra facito. Vixit autẽ vt plurimum in Academia. Siquãdo verò ad vrbem profecturus esset, turbas omnes tumultuosorũ, ac impudicorum eius obseruare transitum solitas tradunt, eius inquietandi gratia. Phrynem deniq; nobile scortum illum aliquãdo tentasse, cùm videlicet à quibusdam dedita opera insecta-

retur,

retur, ab eo intra ædiculam admissam humanitatis causa, cumq; solus illic & vnicus lectulus esset, oranti lectuli ipsius partem concessisse; demũ cùm multa nequicquam orasset, infecto opere, profectam esse, ac dixisse percontantibus, se non à viro, sed à statua exire. Quidã verò discipulos Laidem illi iniecisse in lectulum tradunt, illumq; adeò fuisse continentem, vt cùm se ad libidinem incitari præsensisset, & secare & vrere verenda sæpe pateretur. Tanta verò illius verbis fides habebatur, vt cùm iniurati nullius testimoniũ admitteretur, huic soli remiserint Athenienses iusiurãdum. Erat præterea maximè frugi, ita vt cùm illi Alexander magnã pecuniæ summam misisset, sublatis solùm tribus minis Atticis reliquũ remiserit, dicens illi opus esse pluribus, qui plures enutriret. Ab Antipatro quoq; sibi missam pecuniam non suscepisse Myronianus in similibus testatur. Corona quoq; aurea donatũ in præmium largioris compotationis, ab his qui se cõtinebant apud Dionysium, cùm inde esset profectus, eam ante Mercurij statuã deposuisse, vbi floreas etiam coronas ponere solitus erat. Missum illum cum cæteris legatum ad Philippum fama est, ac re-

liquos quidem donis emollitos,& conuiuia celebrasse, & cum illo sæpe in colloquium venisse,eum verò horum neutrum fecisse. Neq; enim illum adeò Philippus admiserat, Quocirca & Athenas reuersos legatos dixisse, Frustra Xenocratē secum iuisse:& cùm illi parata iam esset mulcta, comperto ex illo vt sese res haberet, monente tunc maximè Reipub. curam habēdam. Quippe Philippum cæteros donis corrupisse, se verò nulla ratione inclinari ad suum concensum posse peruidisse. Ea ex re duplici honore honestatum asserūt. Philippum quoque tandem dixisse solum Xenocratem ex omnibus qui ad se venerant, legatis, munera spreuisse. Ad Antipatrū quoq; legatione functus, vt qui ex Atheniēsibus in bello Lamiaco capti fuerant,redderet, ab eo inuitatus ad cœnam, hisce ad illum metro verbis vsus est,

* Odyssea κ.

Ὦ κίρκη τίς γάρ κεν ἀνὴρ ὃς ἐναίσιμος εἴη
Πρὶν τλαίη πάσασθαι ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος
Πρὶν λύσασθ' ἑτάρους καὶ ἐν ὀφθαλμοῖσιν
ἰδέσθαι, id est,

Quis cupiat Circe prudens, vel sanior vnquam
Sustineat bibere, atque cibum gustare, priusquam

Solu

Soluantur ſocij, mihi vel reddantur ad vnum?

Quibus docet non ſe prius cibum guſtaturum, quàm quod petebat impetraſſet, amicóſque ac ciues abſolutos videret. Eius hanc dexteritatẽ ille perlibenter amplexus, omnes continuò abſoluit ac remiſit. Cùm aliquando paſſer accipitri futurus præda ſe in eius ſinum recepiſſet operuit, ac fouit dicens, non oportere ſupplicem prodere. Cùm à Bione obiurgaretur, non tibi, inquit, reſpondebo equidem. Nam neq; tragœdia comœdiã, cùm ab ea laceſſitur, reſponſione dignatur. Ad eũ qui neque muſica, neq; geometria, neq; aſtronomia inſtructus, ludum ſuum frequentare cupiebat, Abi, inquit, anſis enim & adminiculis philoſophiæ cares. Alij ſic dixiſſe ferunt, Apud me enim vellus non * mollitur. * κνάπτεται. Cùm Platoni Dionyſius diceret, caput tibi quiſpiã tollet, aderat hic & ſuum oſtendens, nullus, inquit, id prius, quàm iſtud abſcindet. Aiunt Antipatro Athenas profecto, & ſe ſalutanti non antea reſpõdiſſe, quàm cœptam finiret orationẽ. Porrò gloriæ, & faſtus in primis contemptor fuit, ac ſæpe interdiu meditationi inſeruiebat, atq; vnam ſilentio diſtribuebat horã.

Scripsit autem plurima, cõmentarios nimirum, paræneses, & versus. Ea ferè ista sunt, de natura lib. sex, de philosophia sex, de diuitiis vnum, Arcadem vnũ, de infinito vnum, de puero vnũ, de continentia vnũ, de vtili vnum, de libero vnum, de morte vnũ, de voluntario vnũ, de amicitia duos, de scribendo vnum, de memoria vnum, de modestia vnum, de contrario duo, de felicitate duo, de mendacio vnum, Calliclem vnum, de prudentia duo, Oeconomicum vnum, de frugalitate vnum, de potestate legis vnum, de republica, vnum, de sanctitate vnũ, quòd virtus tradi possit, vnum, de eo quod est, vnum, de fato vnum, de perturbationibus vnum, de vitis vnum, de cõcordia vnum, de discipulis duo, de iustitia vnum, de virtute duo, de speciebus vnũ, de voluptate duo, de anima duo, de scientia vnum, politicum vnum, de vita vnum, de fortitudine vnum, de vno vnum, de ideis vnũ, de arte vnum, de diis duo, de anima duo, de scientia vnũ, ciuilem vnum, de

* ἐπιστημονικῶν. * scientificis vnum, de philosophia vnum, de Parmenide vnum, Archedemus siue de iustitia vnum, de bono vnum, de his quæ circa mentẽ sunt octo. Solutio eorũ quæ accidunt orationi vnũ, de his quæ de physicæ

ficæ ratione audiuntur sex, caput vnũ, de generibus & speciebus vnum, Pythagoria vnum, solutiones duo, diuisiones octo, positionum libros x x x I I I. de ratione dissferendi libros x I I I I. post hęc libros x v. & alios x v I. de disciplinis eorũ quæ circa distinctionẽ versari possunt libros I x. eorum quæ circa mentẽ sunt alios libros I I I I. eorum quę circa disciplinas versantur libros sex, de his quę circa mentem libros duos alios, de geometris lib. quinq;. commentariorum vnum, contrariorum vnum, de numeris vnum, numerorũ speculatio vnum, de interuallis vnum, de his quę in astrologia versantur libros sex, elementa ad Alexandrũ, de regno lib. I I I I. ad Arybam, ad Ephæstionem, de geometria duo, versus c c c x L v. Eum tamẽ cùm tantus ac talis esset, Athenienses aliquãdo vendiderunt, vt eo modò in exilio positus frangeretur. Eum Demetrius Phalereus emit, & vtrique succurrit. Xenocrati enim libertatem restituit, Atheniensibus verò imposito illi viro ab vrbe exilio satisfecit. Hoc ait Myronianus Amastrianus in primo historicorum similium capitulorum. Suscepit autẽ Speusippus scholam, ac præfuit annos x x v. Docere autem cœperat sub

ſub Lyſimacho centeſimæ decimæ olympiadis, anno ſecundo. Moritur noctu, cùm *λεκάνῃ * in Sartaginem fortè offendiſſet ætatis agens annum octogeſimumſecundum. Nos de eo ſic diximus,

Χαλκῇ προσπταίσας λεκάνῃ ποτὲ καὶ τὸ μέτωπον

Πλήξας ἴαχεν ὦ σύντονον, εἶτ᾽ ἔθανεν

Ὁ πάντα πάντῃ Ξενοκράτης ἀνὴρ γεγωνώς.

hoc eſt,

In peluim quondam lapſus malè cautus ahenam
Frontem læſit, & ω̃ vociferatus obit
Xenocrates vir ille, qui vnus omnibus fuit omnia.

Fuerunt & alij quinq; eiuſdem nominis. Primus antiquiſsimus huius philoſophi ciuis ac propinquus. Fertur eius oratio quæ inſcribitur Arſinoëtica, de Arſinoë defuncta. Alter philoſophus Elegiæ ſcriptor nō ſatis probatus. Ita enim ſe habet res, vt poëtæ quidem, ſi proſa oratione ſcribere velint, præſtent. Qui verò pedeſtri oratione ſcribere conſueuerunt, ſi poëticæ ſibi partes vendicare velint, non aſſequantur. Id ex eo liquet, quòd alterū naturæ, artis alterum opus eſt. Alius ſtatuarius fuit. Poſtremus Ariſtoxeno teſte odas conſcripſit.

POL

POLEMO ATHE-NIENSIS.

POlemo Philostrati filius Atheniensis, pago Oectensis oriundus, cùm esset adolescẽs, adeò impudicus ac lubricus fuit, vt pecunias circumferret, quò paratior esset & instructior ad voluptates implendas, eas itidem in viis & angiportis occuleret. In Academia quoq; iuxta columnã quandam reperta est pecunia ab eo illic in vsus similes recondita. Aliquando verò ex cõposito cum sodalibus ebrius, & coronatus in Xenocratis irrupit scholam. Quo ille nihil deterritus, eam quam cœperat orationem, ardentius quoque prouexit. Erat autẽ sermo de temperantia. Ea illius oratione sensim impurus adolescens seipsum collegit, atq; ita, vt industria & studio cæteros vinceret, eiq; in schola regenda succederet, incipiens à centesima decima sexta olympiade. Refert Antigonus Caristius in vitis, patrem eius fuisse primarium ciuitatis, equosq; iugales nutrire solitũ. Fugisséque iudicium Polemonem ab vxore nequitiæ insimulatum, quòd adolescentibus cõgrederetur. Tantam verò inter ipsa philosophandi principia oris atq; habitus assumpsisse constantiam, vt idem semper

perm

permaneret, vocemq́; nunquam immutaret. Quibus ex rebus Crantorem quoque sui in primis studiosum fecit. Quin à cane rabioso impeditus dum suram morsu discerperet, ne expalluit quidem, tumultuq́; in ciuitate excitato percontatus quid nam contigisset, immobilis perstitit. In theatris quoq; nulla miseratione mouebatur. Nicostrato enim, qui cognominabatur Clytemnestra, poëta quiddam sibi Cratiq́; recitante, illoq́; in affectum commiserationis translato, hic ita perseuerauit, ac si non audiuisset. Eiusmodi autem profectò fuit, qualem describit Melantius pictor in libris de pictura. Ait enim oportere contumaciam quandam atq; duritiam operibus & moribus ex æquo moderari. Polemo autem dicebat oportere, in rebus exerceri, non in dialecticis speculationibus, ne breuem quandam artem sorbentes atque meditantes, dum in rogationibus admirationi habentur, affectu sibiipsis repugnarent. Erat igitur vrbanus adiuncta seuera constantia. Idq́; fugiebat quod de Euripide scribit Aristophanes, acidum eum atq; asperum vocans. Neque verò sedens dicebat cum rogaretur, sed ambulans. Itaque propter summum probitatis studium in

ciuitate honorabatur. Maximè autem post deambulationem quiescebat in hortulo, iuxta quem discipuli constructis breuibus tuguriolis prope scholam exedrámq; habitabant. Videtur autem Polemo Xenocratem in cũctis æmulatus, eúmque amasse Aristippus in quarto de antiquis deliciis refert. Semper enim illius innocentiam & siccitatem Polemo in ore habebat: induerat illius quoq; grauitatem, veluti*Doricus quidam in musica modus. Erat autem & Sophoclis in primis studiosus, atque in illis maximè locis, vbi iuxta comicos canis quidam Molosicus secum vna poëmata fecisse videbatur: & vbi iuxta Phrynicum non elatus, aut turbidus, sed*mitis incedit atque placidus. Dicebat enim Homerum quidem epicum esse Sophoclem, Sophoclem verò Homerũ tragicum. Obiit iam vetulus ex ptisi, reliquitq; opuscula nõ sanè pauca. Nostrum est tale de eo carmen,

*δώριός τις οἰκονομία.

*πράμυιος.

Οὐκ ἀΐεις, Πολέμωνα κεκεύθαμεν, ὃν θέτο τῇδε

Ἀρρωστία τὸ δεινὸν ἀνθρώπων πάθος.

Οὐ μᾶλλον Πολέμωνα τὸ σῶμα δὲ τοῦτο γὰρ αὐτὸς

Μέλλων ἐς ἄστρα διαβαίνειν θῆκεν χαμαί.

hoc est,

Heus bone, si nescis, tegimus Polemona viator,
Quem morbus hic iam collocauit pessimus.
Imò non Polemona, sed hoc quod ad astra profectus
Humi reliquit corpus semiputridũ.

CRATES ATHENIENSIS.

CRates Atheniẽsis patre Antigene ortus, pago Thriasius fuit, auditor simul amatórque Polemonis, illiúsque successor scholæ. Ita verò sibi profuere inuicẽ, vt nõ modò viuentes eadem studia sint secuti, verùm ad vltimam ferè respirationem alterutrum similes fuerint, & mortui eodẽ sepulchro sint conditi. Vnde & Antagoras ambos versu laudauit in hanc sententiam,

Μνήματι τῷδε Κράτητα θεουδέα καὶ Πολέμωνα
Ἔννεπε κρύπτεσθαι ξεῖνε παρερχόμενος.
Ἄνδρας, ὁμοφροσύνῃ μεγαλήτορας, ὧν ἄπο μῦθος
Ἱερὸς ἤϊσσεν δαιμονίου στόματος.
Καὶ βίοτος καθαρὸς σοφίας ἐπὶ θεῖον ἐκόσμει
Αἰῶνα, στρεπτοῖς δόγμασι πειθόμενος. i.

Hoc Polemona sitũ tumulo sanctúmq; Cratetem
Qui facis hàc, narra quisquis es hospes, iter.

Mutua

Mutua quos pariter iunxit concordia, quorum

Ambrosius sacro fluxit ab ore lepos.

Et sua, quæ monitis fuerat contracta seueris

Vitæ illustrauit secula mundities.

Hinc & Arcesilaum cùm ad eos à Theophrasto diuerteret, dixisse ferūt, illos deos esse quospiam, aut aurei seculi reliquias. Erant enim ingenio minimè vulgari, aut multitudinis fauoribus dedito, sed quod de Dionysodoro tibicine fertur, illis conuenientissimè aptari potest, quem aliquando dixisse tradunt exultantem atque gloriantem, quòd nihil ex suis pulsibus, neq; in trieris, neq; ad fontem vnquam audiuisset, sicuti Ismenij. Cœnare apud Crantorē solitum refert Antigonus cōcorditer ambobus Arcesilao etiam adiecto viuentibus. Habitasse item Arcesilaum vnà & Crantorem, Polemonemq; vnà cum Cratete, & Lysiclide quodam ex ciuibus. Erat autem, inquit, amator, vt prædictū est, Polemonis quidem Crates, Crantoris autem Arcesilaus. Moriens autem Crates, vt Apollodorus in tertio chronicorū ait, libros reliquit, alios quidē philosophicos, alios de comœdia. Orationes item populares alias

& alias de legationibus. Habuit & discipulos sanè memorabiles. Horũ ex numero fuit Arcesilaus auditor eius, de quo in consequentibus dicemus, & Bion item Borysthenites, ac postremo Theodorus, à quo secta Theodorica dominata est: de quo itẽ dicemus mox post Arcesilaũ. Decem verò fuerunt Cratetes. Primus antiquæ comœdiæ poëta. Secundus orator Trallianus de Isocratis familia. Tertius* vallorũ effosor, qui cum Alexãdo militauit. Quartus Cynicus, de quo postea dicemus. Quintus philosophus Peripateticus. Sextus Academicus quem prædiximus. Septimus Malotes grãmaticus. Octauus qui geometrica scripsit. Nonus poëta epigrammatũ. Decimus Tarsensis Academicus philosophus.

*ταφρώρυχος.

CRANTOR.

Crantor Solensis cùm apud suos haberetur in honore concessit Athenas, ibiq; Xenocrates auditor, Polemonisq; socius in dicendo fuit. Reliquit autem commentaria ad xxx. versuum milia. Ex eis quædam Arcesilao nõ desunt qui applicẽt. Fertur cum interrogatus esset quamobrẽ ita se Polemoni addixisset, respondisse, quia illo nunquã neque acutius neq; grauius audisset loquentẽ. Is cùm incidisset in

morbum,

morbum, in Aſclepianũ ſeceſsit, ibiq; deambulabat. Continuo ad eũ illuc vndique confluxere diſcipuli, exiſtimantes illũ non morbi cauſa, ſed quòd ibi ſcholam vellet inſtituere. Aderat tũ illic & Arceſilaus volens ab illo ſe ad Polemonem commendari, quanquã amatore ſuo, ſicuti cũ ad Arceſilaum venerimus, dicemus. Qua ex re non ſolum nihil ſuccenſuit, ſed ipſe quoq; cum ſanus factus eſſet, ſe ad audiendũ Polemonem contulit, atq; inde multum illi & gloriæ & laudis acceſsit. Fertur & ſubſtantiam Arceſilao reliquiſſe talentorum duodecim. Et cùm ab eo rogaretur, vbi nã ſepeliri vellet, dixiſſe:

Ἐν γῆς φίλοις μυχοῖσι κρυφθῆναι καλόν.

hoc eſt,

Terræ in latebris condi amicis expedit.

Poëmata quoque ſcripſiſſe dicitur, eáque ſignata in Mineruæ fano in patrio ſolo condidiſſe. Theætetus quoq; poëta illum laudans & viris & muſis fuiſſe in primis gratum canit, atq; ſub ipſam ſenectutem cum defeciſſet, homo conditũ, illic trãquillo æuo frui. Ipſius autem carmẽ ſic habet,

Ἥνδανεν ἀνθρώποις, ὅδ' ἐπίπλεον ἥνδανε μούσαις

Κράντωρ, καὶ γήρως ἤλυθεν οὔτι πρόσω.

Γῆ σὺ γὰρ τεθνειῶτα τὸν ἱερὸν ἄνδρ' ὑποδέξῃ
ἦρ' ὅγε καὶ ζώει κᾶθι ἐν οὐθυμίῃ. hoc est,
Gratus erat superis, musis sed gratior ipsis
Crantor,& huic nondum cana senecta aderat,
Exanimẽ sed terra virũ tu suscipe sacrũ,
Vitã vt mollẽ istic ipse quietus agat.

Admirabatur Crantor præ cæteris Homerum & Euripidem dicens, operosum esse & industriæ plenum proprietate seruata tragice simul cum affectu misericordiæ scribere, proferebatq; versiculum ex Bellerophonte:

Οἴμοι,τί δ' οἴμοι, θνητά τοι πεπόνθαμεν. hoc est,
Humana quantũ dij boni passi sumus.

Antagorã quoq; poëtam fertur vt Crantoris versibus in amorem ferri huiusmodi,

Ἐν δοίῃ μοι θυμὸς ὅτοι γένος ἀμφιβόητον
Ἤσε θεῶν, τὸν πρῶτον ἀειγενέων ἔρος ἄπω
Τῶν ὅσους ἔρεβός τε πάλαι, βασίλειά τε παῖδας
Γείνατο νὺξ πελάγεσιν ὑπ' εὐρέος ὠκεανοῖο
Ἢ σέγε κύπριδος υἷα περίφρονος, ἠὲ σὲ γαίης
Ἠὲ ἀνέμων τοῖ ἄισα κακὰ φρονέων ἀλάλησαι

Ἀνθ

Ἀνθρώπων ἠδ' ἔθνεα, τὸ καὶ σεῖο σῶμα διφυές. id est,

Mens foret illa mihi, cecini qua feruidus olim
Progeniem diuûm æternam, celebrare Cupido
Te primum inciperem, & quot natos edidit atra
Nox, erebúsque ſenex, alto ſub gurgite lati,
Oceani, terraq; ſatos, Veneriſq; puellũ
Ventorúmque vagos curſus, humanáq; vota,
Naturámque tuam canerem, corpuſq; gemellum.

Erat autem & in nominibus fingendis acer. Nam Tragœdum dixit * infractam habere vocem, & cortice plenam: & poëtæ cuiuſdam verſus σκίφδης plenos eſſe ait, & Theophraſti * quæſtiones oſtreis conſcriptas eſſe. Laudatur eius maximè liber quẽ de luctu edidit. Obiit ante Polemonem & Cratem aquę intercutis morbo: Eſt noſtrum epigramma in eum huiuſmodi; *ἀπελέκυτον. *θέσεις.

Ἐπέκλυσε καὶ σὲ κράντορ ἡ νόσων κακίστη·
Χ' οὕτως κατῆλθες εἰς μέλαιναν πλουτέως ἄβυσσον
Καὶ σὺ μὲν ἐκεῖθι νῦν χαίρεις, σῶν λόγων δὲ

Χήρη ἔστηκεν ἀκαδημίη καὶ σόλοι πατρὶς σοῦ. hoc eſt,

Inundauit & te Crantor peſsimus mor bus,

Atque ita in atram deſcendiſti Plutonis Abyſſum:

Tu quidẽ illic nunc gaudes, at ſermonũ.

Tuorum vidua eſt Academia & Soli patria.

ARCESILAVS.

ARceſilaus Seuthi ſiue Scythi filius, ſicut Apollodorus in III. chronicorum ait, Pritanæus ex Aeolide. Primus hic mediam inuexit Arcademiam, negationes continens propter ſermonum cõtrarietates: primusq; in vtrãque diſſerere partem aggreſſus eſt. Idq; orationis genus quod Plato tradiderat, per interrogationem, ac reſponſionem, ex vmbra in certamen ac puluerem primus eduxit. Crantori verò in hunc modum congreſſus eſt. Quartus erat ex fratribus, qui illi duo erant ex eodem patre, duoq; eadem ex matre nati. Ex his alter, qui eodem ex patre maior natu erat, Pylades: qui verò ex matre, Mœreas dicebatur, quiq; eius curator erat. Audiuit itaque principio quidem Autolycum mathematicum ciuem ſuum, antequam proficiſ

ficisceretur Athenas, qui cum Sardis quoq; perrexit. Deinde Xanthum Atheniensem musicum, post quem Theophrasti auditor fuit. Tum demũ in Academiã se ad Crantorem contulit. Mœreas enim frater, quẽ prædiximus, ad oratoriam ediscendã hortabatur, sed illum philosophiæ iam amor ceperat. Eo amore flagrantem Crantor in eum affectus, Euripidis ex Andromeda versiculo producto rogat,

Ὦ παρθέν' εἰ σώσαιμί σ' ἕξῃ μοὶ χάριν;
hoc est,

O virgo si te seruem habebis gratias?

Cui ille quod mox sequitur respondit,

Ἄγου με ὦ ξένε εἴτε δμῶτ' ἐθέλεις εἴτ' ἄλοχον. hoc est,

Duc hospes ancillam me, aut si vis coniugem.

Ex hoc iam pariter ambo morabãtur. Aegrè tulisse Theophrastum aiunt illius recessum, ac dixisse, quam ingeniosus promptusq; adolescens è schola discesit. Nanq; cùm esset in dicendo grauissimus, atq; in scribendo satis exexcitatus, poëticæ quoq; operam dedit. Feruntur eius epigrammata in Attalum in hanc sententiam,

Πέργαμος οὐχ ὅπλοις κλεινὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἵπποις

Πολλάκις αὐδᾶται πῖσαν ἀνὰ ζαθέην.
Εἰ δὲ τὸν ἐκ Διόθεν θεμιτὸν θνητῷ νόον εἰπεῖν
Ἔσσεται εἰσαῦθις πολλὸν ἀοιδοτέρη. id est,
Sæpe per egregiam memoratur Pergamus armis
Vrbē & eqs Pisam, & religiōe sacrā.
At si mortali phas præsagire futurum,
Rursus erit multo commemorata magis.

Atq; in Menodorum Eudami filium, vnū ex condiscipulis amantem,

Τηλοῦ μὲν Φρυγίη, τηλοῦ δ' ἱερὴ θυάτειρα
Ὦ μηνόδωρε σὴ πατρὶς Καδανάδη.
Ἀλλὰ γὰρ εἰς ἀχέροντα τὸν οὐ φατὸν ἶσα κέλευθα
Ὡς δεινὸς ἀνδρῶν· πάντοθεν μετρούμενα.
Σῆμα δέ τοι τόδ' ἔρεξεν ἀριφραδὲς εὔδαμος, ᾧ σὺ
Πολλῶν πονέστερος ἦσθα προσφιλέστερος. i.
Sacra quidē procul est Phrygia, & procul est Thyatira
Tua Menedore patria & Cadanade.
Verùm aditus tetrum patet vndiq; liber ad Orcum,
Quem perspicaci mensus ex præsentia.
Eudamus insigni tibi sed dedit arte sepulcrum
Pauperrimo quidē, verùm charissimo.

Amplectabatur Homerum maximè ex omnibus, cuius adeò studiosus erat, vt semper ante somnũ eius aliquid legeret. Mane quoq; cùm surgeret, dicẽs se ad amasiũ ire, cùm se velle legere innueret. Pindarũ quoq; dicebat esse in primis idoneũ imple re vocẽ, verborumq; ac nominũ copiam præbere. Stylum etiã Ionicum expresit, cùm esset iunior. Hipponici itẽ geometræ auditor fuit, in quẽ iocatus ille plerũq; est, quod cùm esset hebes & obtusus & oscitans, artis tamen intelligentiam assequutus videretur, hianti sibi geometriam in os aduolauisse aiebat. eum etiam*demen tem aliquando effectum domi secum habuit, atq; tam diu illius curam egit quoad redderetur sensui. Crate autẽ vita functo scholam tenuit cedẽte sibi Socratide quodam. Nullum verò librũ scripsisse ferunt, quòd æquè de omnibus suspenderet sententiam. Alij deprehẽsum dum quædã emendaret, tradũt. Ea tamẽ ipsa alij nõ edidisse, alij flãmis tradidisse aiũt. In honore summo Platonẽ habuit, librosq; illius studiosè lectitabat. Sunt qui Pyrrhonẽ quoq; imitatũ asseuerẽt, Dialecticæ quoq; fuit nõ imperit⁹, Eretricorũq; sermones ac rõnes calluit. Vnde & de illo ab Aristone dicebatur.

* παρα-
νόψαντα

πρέσ

Πρόσθε Πλάτων, ὄπιθε δ' Πύῤῥων, μέσσος Διόδωρος. id est,

Antè Plato, retrò Pyrrho, medius Diodorus.

Timon etiam ſic de illo locutus eſt,

Τῇ γὰρ ἔχων Μενέδημον ὑπὸ στέρνοισι μόλυβδον

Θεύσεται, ἢ Πύῤῥωνα τὸ πᾶν κρέας, ἢ Διόδωρον. hoc eſt,

Hinc ſequitur Menedemus habens ſub pectore plumbum,

Certè aut Pyrrhonem carnoſum, vel Diodorum.

Erat autē proloquiis abundè vtens, & conſtrictus, atq; in locutione ambiguus. Ac prę terea obiurgator confidens multùm, atque audax, quòd Timon quoq; ſignauit, qui illius vehementiam vno verſiculo expreſsit.

Καὶ νέον ἐκ λήσῃς ἐπιπλήξεσιν ἐγκαταμιγνύς. hoc eſt,

Et te, cùm obiurgas, iuuenē vixiſſe memento.

Vnde & adoleſcente quodā audacius quàm par erat loquente, Nullúsne, inquit, hunc * talo excipiet? Cùm retuliſſet ad eū quidam vitiosè concludens, non videri altero alterum maius: nec decem, inquit, digitorū longitudo ſenorum longitudine. Emone quodā

*ἀστραγάλῳ.

quodam Chio cùm esset deformis, formosum se arbitrante, ac iugiter * chlamydem * χλαμύ-
pretiosam induente ac rogante, num illi δα.
sapiens amaturus videretur, Maximè, ait, nisi ita quispiam fuerit pulcher vt tu, & ita speciosè induatur. Cùm verò ab impudico agitaretur, cui fortè infensa erat eius grauitas, sic, ait,

Ἔξεστιν ἐρωτᾶν πότνι' σε ἢ σιγὴν ἔχειν; id est,
Licet rogem te casta, aut obmutescere?

Respondit,

Γύναι τί μοι τραχεῖα καὶ οὐκ εἰθισμένως λαλεῖς. hoc est,
Quid dura nobis & noua affers fœmina?

Verboso item cuidam ignauo ac molesto,

Ἀκόλαστα, inquit, ὁμιλεῖν γίνεται δούλων τέκνα. id est,
Obscœna nati seruorum loqui solent.

Loquaci itidem obtondenti nimio verborum strepitu, Næ malā quidem, inquit, nutricem nactus es. Quibusdam verò nihil respondebat. Fœneratore quodā, ad discendi studioso, quiddam se ignorare dicente,

Λήθουσι γάρ τοι, inquit καὶ ἀνέμων διέξοδοι τόκος
Θήλειαν ὄρνιν πλὴν ὅταν τόκος παρῇ. i. vtrunq;
Nescit latentes transitus ventorum auis fœtum et
Fœmella, fœtus adsit ni in præsentia. vsurā si.
Sumpta sunt autem ista ex Oenamao gnat.

Sopho

Sophoclis. Alexinum quendam dialecticum, Alexini quædam cõmodè ac pro merito enarrare non valentem, quid Philoxenus aduersus latericios operarios egisset, admonuit. Ille enim cũ hoc carmen ipsius malè cantantes offendisset, lateres illorum conculcare cœpit ac dicere, Vos mea corrumpitis, ego vestra dissipabo. Ferebat grauiter, si quis intempestiuè disciplinas liberales arripuisset. Naturaliter autem nescio quomodo in differendo vtebatur hoc verbo, * arbitror equidem, &, non assentietur istis ille, eum ex nomine appellans: idq; discipulorum quoque plurimi imitabantur, neq; id solùm, verùm & rhetoricen eius, omnemq; dicendi modum ac figuram in se nitebantur exprimere. Erat autem illi inuentionis præcipua felicitas. Rite item ac facilè occurrere obiectis, orationísque ambitum ad id quod erat propositum referre, atque omni se tempori accomodare mirificè callebat. Magna illi præterea vltra omnes cæteros erat persuadendi quæ vellet acrimonia. Quibus ex rebus factum est, vt ad eum audiendum confluerent plurimi, & quidem cùm illius immodico acumine offenderentur. Quod tamen illi ipsi æquo animo, ac libenter tolerabant.

*φημὶ ἐγὼ καὶ οὐ συγκατάθήσεται τούτοις ὁ δεῖνα.

Erat

Erat enim vir egregiè; bonus, suosq; auditores bona spe plenos emittebat. Erat illi summa facilitas in communicandis rebus suis, atque ad ferenda beneficia promptus occurrebat: latere quoq; gratiā omni studio quærebat, fastum eiusmodi maximè exhorrens. Deniq; ingressus aliquando ad Ctesibium ęgrotum, vidensq; cū inopia rerum angustari, plenum nummis sacculū clàm eius puluino subiecit. Quo ille inuēto, Arcesilai, inquit, hic ludus est. Sed & aliàs mille ad eum solidos misit. Archiam verò Arcadem Eumeni commendans, vt magna dignitate fungeretur effecit. Liberalis quoq; admodum fuit, ipsamq; liberalitatem suam argenteis in primis vasis pręferebat. atq; cum Archecratis & Callicratis apparatu contendens, aurea quoq; vasa in studio habuit, plurimisq; ea subministrabat, quibus & conuiuia, & cœnas faciebant. Acceperat ab eo quidam ad suscipiendos amicos argentea vasa, cum verò is egenus esset. non repetiit. Aiunt alij de industria hæc illum vtēda dedisse, & cum ea ille redderet quia pauper erat, illi largitum fuisse. Erat quidem illi & in Pitane substantia, ex qua sibi Pylades frater suppeditabat ad vitæ vsus. Sed & Eumenes Philetæri filius

ipsum.

ipſum largiſsimis frequentibusq; illuſtrabat donis. Quocirca & huic ſoli præter cæteros ſtudebat reges. Cum autem Antigono pleriq; obſequerentur, illiusq; domum ſalutãdi gratia confrequentarent, ipſe abſtinebat, nolẽs in illius notitiam incidere. Hieroclisitem amicitiis in primis fruebatur, qui Munychiã poſsidebat, & Pireum. Itaque diebus feriis ſemper deſcendere ad eum conſueuerat, & cùm ab eo quoque vt Antigonum ſalutatum iret, induceretur, non acquieuit, ſed aduſq; illius ianuas profectus, retrò rediit. Poſt naualem verò Antigoni pugnam plurimis eum adeuntibus, epiſtolasq; pro conſolatione ſcribentibus, tacuit ipſe. Attamen pro patria legatione ad Antigonum in Demetriadem functus abſq; effectu rediit. Omne igitur tempus vixit in Academia, reipu. negotia fugiens, Interdum & Athenis in Pireo morabatur ex tempore dicens. Hierocle enim, vt diximus, vtebatur familiariter, vnde & à pleriſque carpebatur, magnificentia præterea excellens. Quid enim rectius dici poteſt, quàm alter Ariſtippus? Cœnas cum ſui ſimilibus ſæpe celebrabat, ipſæque ad illos proficiſcebatur. Theodotæ item ad Philetę Elienſibus ſcortis palàm congrediebatur.
Detra

Detrahentibus autem, Ariſtippi χρείας recenſebat. Adoleſcentibus item maximè ſtudebat, eratq; in amorem pronus. Vnde illum Ariſtò Chius Stoicus corruptorem iuuenum *diſertumq; impudicum & temerarium appellabat. Nanq; & Demetrium, cùm is Cyrenem nauigaſſet, amaſſe plurimum dicitur, & Myrleanum Leocharem, de quo & ad comeſſantes dixiſſe, ſe quidẽ aperire velle, illũ autem prohibere. Hunc amabant & Dæmochares Lachetis, & Pytocles Bugeli filius. Quos ille cùm deprehendiſſet cedere ſe pro ſua patientia dixit. Præterea carpebant eum, & obiurgabant ij quos diximus, vt vulgò addictum gloriæq; ſtudioſum. Maximè autem illum apud Hieronymum peripateticũ vexabant, cùm amicos cogeret ad natalem diem Alcyonei Antigoni filij, qua die pecunias plurimas in ſumptus quotãnis mittebat Antigonus. Vbi cum deuitaret inter pocula diſſerere. Aridelo proponẽti ſibi quiddã quod ſpeculatione indigeret, orantiq;, vt ſuper illo diſſereret, dixiſſe ferunt, At hoc ipſum in primis philoſophiæ proprium eſt cuiuſq; rei tempus ſcire. In id autem quòd turbæ addictus culpabatur, & Timon itidem ſuo more iocatur,

* κιναιδολόγον.

Ὣς εἰπὼν, ὄχλοιο περίστασιν εἰσκατέδυνεν.
Οἱ δέ μιν ἠΰτε γλαῦκα περὶ σπιζοῦ τερατοῦντο
Ἠλέματον δεικνύντες. ὅθ' οὕνεκεν ὀχλοαρέσκης
Οὐ μέγα πρᾶγμα τάλας, τί πλατύνεαι ἠλίθιος ὥς. id est,

Hæc ait, & turbam dextram læuaq; frequentem
Ingreditur, volucres vlulam vt mirantur ineptæ:
Illa stupet stolidum. sed tu vanissimè plebis
Captator, quid ob hæc tam non præclara superbis?

Cùm tamē alioqui ita moderatus & fastus fugiens erat, vt discipulos moneret & alios audire. Et cum adolescēs quidam Chius ex ludo suo, Hieronymi quem prædiximus scholam plus sibi placere significasset, ipse manu apprehensum ad illum duxit philosophoq́; commendauit, admones seruaret ordinis ac disciplinæ grauitatem. Perlepidum & hoc illius dictū memoratur: Percontanti enim cur ex discipulis aliis plerique ad sectam Epicuream transirent, Ex Epicureis verò nullus se ad cæteras conferret, ait: quia ex viris quidem galli fiunt, ex gallis viri nunquam. Cùm verò iam

γάλλοι. Cybeles sacerdotes execti.

iam esset morti proximus, sua omnia Pyladi fratri legauit, quòd is illum Chium clam Mærea, atque inde Athenas deduxerat. Nunquam verò vxorem duxit, aut filios genuit. Tria testamenta conscripsit. Ex his vnum Eretriæ penes Amphicritum deposuit. Secundum Athenis apud quendam ex amicis. Tertium domini ad Thaumasiam quendam necessarium suum misit, orans vt illud seruaret. Ad quem ita etiam scripsit.

ARCESILAVS THAVmasiæ. S.

TESTAMENTA mea Diogeni tradidi ad te perferenda. Quia enim sæpius ægroto, & corpore non rectè valeo, testamentum conficere placuit, vt si quid contingat inopinatum, sine tua iniuria proficiscar ex vita, qui vnus ex omnibus maximè me affectu prosecutus es: fidißimus autem omnium qui hic sunt, cùm mihi semper fueris, diligenter ea seruare stude, tum propter ætatem, tum propter necessitudinem. Cura igitur, memor quantum tuæ fidei cõmittam, vt quod apud te deponetur quantum in te est, & negotia mea honestè disposita sint. Posita sunt autem ista Athenis apud quendam ex amicis, & Eretriæ

penes Amphicratum. Obiit, vt Hermippus ait, cùm merum immodicè hausisset ac offendisset, septuagesimo, & quinto ætatis anno, susceptusq; est ab Atheniensibus vt nemo alius.

Ἀρκεσίλαε τί μοι, τί τοσοῦτον ἄκρητον ἀφειδῶς
Ἔσπασας ὥστε φρονῶν ἐκτὸς ὄλισθες ἑῶν;
Οἰκτείρω σ' οὐ τόσσον ἐπεὶ θάνες, ἀλλ' ὅτι μούσας
Ὕβρισας, οὐ μετρίῃ χρησάμενος κύλικι

hoc est,

Arcesilaë meri quid tantum prodigus hauris,
Extra sis mentem lapsus vt ipse tuã?
Nec tua me tantùm mors afficit, at mihi musas
Immodica læsas sorbitione dolet,

Fuerunt & tres alij Arcesilai. Primus poeta priscæ comœdiæ. Secundus elegiæ. Tertius sculptor, in quem & Simonides hoc scripsit epigramma,

Ἀρτέμιδος τόδ' ἄγαλμα, διηκόσιαι γὰρ ὁ μισθὸς
Δραχμαὶ ταὶ πάριαι, τῶν ἐπίσημ' ἔρατος.
Ἀσκητὸς δ' ἐποίησεν Ἀθηναίης παλάμῃσιν
Ἄξιος Ἀρκεσίλαος υἱὸς Ἀριστοδίκου. hoc est.

Trec

Trecentum Pariis simulacrum insigne Dianæ

Hoc drachmis constat, signum Aratus quibus est.

Doctus at absoluit cœlo manibúsque Mineruæ

Arcesilas sculptor, natus Aristodici.

Prædictus autẽ philosophus, vt ait Apollodorus in chronicis, floruit circa cẽtesimam & vigesimam olympiadem.

BION BORYSthenites.

Bion genere quidem Boristhenites fuit. Quibus verò sit ortus parentibus, & quibus ex rebus ad philosophiam se contulerit, ipse Antigon aperuit. Cùm enim ille sciscitaretur,

Τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες. hoc est,

Aede tuum nomen patriam, genus, atque parentes.

Sentiens se vituperatum esse apud regem, atque ideo sic locutum, ad illum ait, Pater quidem meus libertus fuit, cubito se tergens (Significabat autem illum * succidam & lardum vendere) Borysthenites genere, non habens faciem, sed in facie scripturam acerbissimi domini mater autẽ ex

* ταριχέμπορον

lupanari, nimirum quam huiusmodi ducere potuit. Deinde pater nescio quid in rem publicanorum cōmittens, cùm tota domo venūdatus est: Me adolescentulum haud ingratū orator quidam emit. Is moriens, mihi omnia reliquit. Ego tabulas ipsius exurens, cunctasq; cōscindens, Athenas concessi, ibiq; philosophatus sum.

Ταύτης τῆς γονῆς, τοῦ πατρὸς εὔχομαι εἶναι. hoc est,

Huius me esse patris. generis me glorior huius.

Ista habui quæ de me dicerem. Desinant igitur Persæus ac Philonides ea historiæ tradere, me autem ex me ipso intuere. Et erat sanè Bion aliàs versatili ingenio, & sophista callidus, puerq; circa philosophiā se exercere volentibus occasionem præbuerat. In quibusdam verò ciuilis, & suauis, fastuq; perfrui valens. Complura item reliquit cōmentaria, sed & sententias vtiles & graues, vt illud: Cùm sibi probro daretur, quòd adolescentem non sibi vendicasset, non enim, inquit, possibile est mollem caseum hamo attrahere. Interrogatus aliquando, quisnam anxietate maiore detinetur, ille, inquit, qui se maximè cupit esse felicem, & quietum. Rogatus an du-

cenda

cenda esset vxor, refertur enim & ad hunc istud, Si quidem, ait, turpem duxeris, pœnam habebis: sinautem formosam, communis erit. Senectutem malorũ omnium portum asserebat, siquidem ad ipsam cuncta confugere. Gloriam annorũ esse matrem, pulchritudinẽ alienum bonum, diuitias neruos rerũ. Ad eum qui agros suos vorauerat, Terra, inquit, Amphiaraũ absorbuit, sed terram tu. Magnũ aiebat malum esse, ferre non posse malum. Arguebat eos qui homines, quasi sine sensu essent, exurerent. Dicebat autem iugiter, optabilius esse speciem alteri largiri suã, quàm alienã petulanter ambire. Corpore quippe atq; animo lædi qui id fecisset. Sed & Socratem in ius vocabat dicens: Nam si quidem Alcibiade vti potuit, & abstinuit, inanis fuit: sin verò non valuit, nihil magnum fecit. Facilem esse dicebat ad infernum viam, clausis enim oculis illuc iri. Alcibiadem culpans, dicebat illum dum esset adolescẽs, viros ab vxoribus, iuuenem verò vxores à viris abduxisse. Rhodi Atheniensibus ad oratoriam se exercentibus, philosophiã ipse docebat. Causante quodam cur ita faceret, Frumenta, inquit, atteli, & hordeum vendo. Dicebat eos, qui

eſſent apud inferos, magis profectò cruciandos, ſi integris, quàm ſi perforatis vaſis aquam ferrent. Orante illum verboſo quodam, vt ſibi opem ferret, Satis, inquit, tibi faciam, ſi internuntios ad me miſeris, ipſe verò non veneris. Nauigãs cum perditis hominibus, in latrones incidit. Dicentibus illis, peribimus ſi agnoſcamur, At ego, inquit, niſi agnoſcamur. Elationem eſſe aſſerebat profectus impedimentum. Ad diuitem auarum, Non, inquit, hic ſubſtantiam poſsidet, ſed ab ea ipſe poſsidetur. Tenaces aiebat opum vt ſuarum habere curam, verùm ex eis vt ex alienis nihil capere vtilitatis. Fortitudine, inquit, cùm ſumus iuuenes, vtimur, at cùm ſeneſcere incipimus, prudentia valemus. Tantùm verò prudentiam à virtutibus cæteris differre aſſerebat, quantùm viſum ab aliis ſenſibus. Dicebat non eſſe exprobrandam ſenectutẽ, ad quam omnes peruenire cupimus. Inuido cuidam ſubtriſti, Neſcio, inquit, vtrum tibi malum, an alteri bonum contigerit. Impietatem peſsimũ eſſe dicebat contubernalem fiduciæ.

Δηλοῖ γὰρ ἄνδρα κἂν θρασύστομός τις ᾖ.

hoc eſt,

Virum domabit quamlibet ferox ſit is.

Amic

Amicos qualeſcunq; ſint oportere ſeruari, ne videamur vel malis vti, vel deuitare bonos. Is in principio Academiæ inſtituta aſpernabatur, quo tempore Cratis auditor erat, deinde Cynicum elegit inſtitutum, ſumpto pallio, & pera. Nam quid illum aliud ad eam animi cõſtantiam traduxit? Demum verò ſe ad Theodoria tranſtulit, Theodori impij auditorium frequentans, qui omni orationis genere vti ſolebat in dicendo. Poſt hunc verò Theophraſtum peripateticum audiuit. Erat autem & ſpectatorum ſtudioſus, riſumq́; mouere auditoribus maximè peritus, grauibus nominibus aduerſum res vtens. Quia verò orationẽ ſuam omni dicendi genere temperauerat, aiunt Aratoſthenem dixiſſe de illo, Primus omnium Bion philoſophiam vario orationis flore veſtiuit. Erat illi itẽ, & faciendis verſibus ingenium præcipuè accommodatum. Eius ſunt illa,

Ὦ πέπον Ἀρχύτα ψαλληγενὲς, ὀλβιότυφε
Τῆς ὑπάτης ἔριδος πάντων ἐμπειρότατ᾽ ἀνδρῶν. hoc eſt,

O tener Archyta, nitidoq́; beatule faſtu
Litibus & cantu ſuperas dicacibus oẽs.

Sed omnino, & muſicam, & geometriam pro ludo habuit. Apparatus quoque magnific

gnifici ac pretiosi erat studiosus, atq; ideo ex vrbe in vrbem sæpe migrabat. Interdum & præstigium aliquod arte moliebatur. Nam Rhodi nautis persuasit, vt sumpta scholari veste se sequerentur, cúmque his ingressus gymnasium conspicuus fuit. Consueuit & adolescentes sibi adoptare, vt eis & ad voluptatem abuteretur, & ab eorum beneuolentia protegeretur. Sed & sui vehementer amans fuit, semperq; illi in ore erat, amicorum cuncta communia. Idcirco & nemo illius discipulus inscribitur, cùm tot habuerit sui auditores. Quosdam verò ad impudentiam prouexit. Vnde & Butio quidam ex familiaribus suis aliquādo ad Menedemum dixisse fertur, Equidem ô Menedeme noctu Bioni coniungor, nihilq; indignum mihi passus videor. Multa etiam scelestius congredientibus colloquebatur. Hæc autem ex impij Theodori disciplina hauserat. Postremò incidens in malam valetudinem, vt dixerunt qui erant in Chalcide, illic enim & vitam finiuit, * ligaturas suscipere inductus est, & pœnitentiam agere super his quæ peccarat in deum. Eorum verò inopia quibus infirmorū cura erat, dirè cruciatus est, quoad Antigonus duos illi famulos

*περίαπτα λαβεῖν.

mulos misit, secutúsq; est eum in * sella, * φορᾶῳ.
vt Phauorinus tradit in omnimoda histo-
ria. Sed hic quoq; vita excesit. Illum nos
ita perstrinximus: Biona Borysthenitem *Hic de-*
Scythica tellus produxit, quem dixisse au- *sunt ver-*
dimus deos, quòd reuera sint nihil. Ac si *sus Græ-*
quidem id dogma tueri perstitisset, meri- *ci.*
tò dicendus esset sensisse vt visum fuisset,
etsi malè visum esset. At nunc tamen lon-
go morbo tabescens, ac mori pertimescēs,
qui deos non esse dixerat, fanum non vi-
derat, mortalibus qui illudebat veris dum
diis immolarent, non popinæ quidem ad
aras ac mensæ nidori, deorum hostiis ad-
mouit nares. Nec peccaui dixit delictis
parcite, sed & anui collum facilè porrexit
excantandum, brachiáque loris persuasus
deuinxit, rhamnumq; & lauriramum ia-
nuæ imposuit, cuncta perpeti magis quàm
mori paratus. Stultus qui mercede volue-
rit deos esse, quasi tunc dij essent, cùm il-
los Bion demum esse arbitraretur. Ergo
nequicquā sapiens cùm lembus erat car-
bo totus, tendensq; manum, Salue, inquit,
Pluto salue. Decem verò Biones fuere.
Primus qui Pherecydi Syro contempo-
raneus fuit, cuius duo feruntur libri. Est
autem Proconesius, Secūdus Syracusanus,
qui

qui artes rhetoricas cōſcripſit. Tertius hic ipſe. Quartus ex Democriti familia, & mathematicus Abderites, qui Atticè ſcripſit, & Ionicè. Hic primus eſſe dixit regiones quaſdam, vbi eſſet ſex menſium nox, & totidem dies. Quintus Solenſis, qui conſcripſit Aethiopica. Sextus rhetoricus, cuius feruntur libri nouem, muſarum inſcripti. Septimus lyricus poëta. Octauus Mileſius ſculptor, cuius & Polemo meminit. Nonus poëta tragicus ex his qui Tarſici dicuntur. Decimus itidem ſculptor Clazomenius, ſiue Chius, cuius & Hipponax meminit.

LACYDES CYRENAEVS.

LAcydes Alexādri filius Cyrenæus, nouæ Academiæ princeps, Arceſilaíque ſucceſſor fuit, vir eximiæ ſeueritatis, qui inſtituti ſui non paucos habuerit æmulos. Fuit ab adoleſcentia ſummè ſtudioſus, & pauper quidem, ſed gratus admodum atq; in ſermone iucundus. Aiunt eum & circa rem familiarem feliciſsimè ſe habuiſſe. Cùm ex penu promere quicquam voluiſſet obſignato aditu, rurſus anulum per foramen intrò iaculabatur, vt nihil inde ex

recond

reconditis rebus tolleretur. Id cùm animaduertiſſent famuli, reſignabant quæ ſignata erant,& quæ voluiſſent. inde tollebant, ac deinde anulum in porticum per rimam immittebant. Idq; cùm ſæpe facerent, nunquam deprehendi potuerũt. Lacydes igitur Academiæ ſcholam habebat in horto, quem Attalus rex fieri curauerat, Lacydiumq́; ab ipſo appellatus eſt, ſolusq́; ex omni memoria iuuenis Phocenſibus Telecli,& Euãdro ſcholam tradidit. Porrò Euandro ſucceſsit Hegeſinus Pergamenus, à quo Carneades. Lepidum verò illud ad Lacydẽ refertur: Attalo enim illum ad ſe accerſente, dixiſſe fertur, imagines procul eſſe intuendas. Serò autem geometriæ danti operã ait quiſpiam: Num verò nunc tempus? An ne nunc quidem? Obiit autem cùm ſcholam adminiſtrare cœpiſſet, quarto anno CXXXIIII. olympiadis, XX. & VI. annis in ſchola conſumptis. Mortuus eſt autem ex paralyſi, quam ex immodica potatione contraxerat. Et nos ita de illo cecinimus,

Καὶ σέο Λακύδη φάτιν ἔκλυον, ὡς ἄρα καὶ σὺ
Βάκχον ἑλὼν ἀΐδην ποσὶν ἔσυρες ἄκροις.
Ἦ σαφὲς ἦν διόνυσος ὅταν πολὺς ἐς δέμας
ἔλθοι

Λῦσαι μέλη· διὸ λύτι λυαῖος ἔφυμήν.

hoc eſt,

Fama eſt Lacyde pedibus quòd traxeris atras

Exceptũ Bacchũ Ditis aduſq; fores.

Scilicet hoc verum eſt, penetrat cùm corpora, Bacchum

Soluere membra, ideo non ſatus ille fuit.

CARNEADES.

CArneades Epicomi, ſiue, vt Alexãder in ſucceſsionibus tradit, Philocomi filius Cyrenæus. Hic Stoicorum, & Chryſippi libris diligẽtiſsimè perlectis, eis modicè reluctabatur, adeoq; id verecundè faciebat, vt ſæpius diceret, niſi Chryſippus eſſet, non eſſem ego. Fuit autem vehemẽter ſtudioſus. Porrò phyſicæ minus curam habuit, ethicæ ſe magis deuouit. Quocirca & cæſariem & vngues nutriebat, tanta erat in literas intentione. Adeò autem in philoſophia valuit, tantúmque ſibi in ea neruorum comparauit, vt oratores quoque in ipſius ſcholis ad eum audiendum conuenirent. Erat autem illi & vox maxima, & præcipuè ſonora, adeò vt gymnaſij princeps ad illum mitteret, ac ne ita clamaret,

maret, admoneret ad quem ille, Da vocis modum, inquit. Et ille ſapientiſsimè ſanè, congruéque reſpondit. Nam modum habes, ait, auditores. Acriter autem inuehebatur, atque in quæſtionibus erat inſuperabilis. Cœnas autem ob cauſas prædictas declinabat. Hic aliquando cùm Mentor Bithynus diſcipulus atque auditor pellicem ſuam adamaret, vt Phauorinus refert in omnimoda hiſtoria, inter dicendum ita in illum iocatus eſt,

Πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων ἅλιος, νημερτὴς
Μέντορι εἰδόμενος ἠ μὲν δέμας, ἠδὲ καὶ αὐδὴν
Τοῦτον σχολῆς τῆς δ' ἐκκεκηρῦχθαι λέγω.

hoc eſt,

Tetricus hic quidam verſatur homuncio, & idem
Vanus inerſq; ſenex, par Mentori mēbraq; vocemq;
Exterminari quem ſchola ex noſtra volo.

At ille continuo exurgens, intulit,

Οἱ μὲν ἐκήρυξαν, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.

hoc eſt,

Hi dixere quidem, ſurgunt ſed protinus illi.

Durius autem videtur circa finem verſe-
tus

tus esse, cùm sæpius diceret, quæ constituit natura & compegit, ea & dissoluet. Cùm autem didicisset Antipatrum veneno hausto defunctum, & ipse incitatus est ad audendum contra mortem: aítque suis, date igitur & mihi. Qui cùm dicerent, quid? ait mulsum. Defuncto autem illo defectionem lunæ factam aiunt; vt compati sibi videri posit pulcherrimũ post solem sydus. Refert Apollodorus in chronicis humanis cùm excesisset rebus, olympiadis centesimę sexagesimæ secũdæ, anno quarto, cùm vixisset annos octoginta quinque. Feruntur eius epistolæ ad Ariathem Cappadociæ Regem. Reliqua ipsius conscripsere discipuli, ipse enim nihil reliquit. Est autem, & in hunc nostrum epigramma logadico, & archabudæo metro.

Τί με Καρνεάδη, τί με μοῦσα θέλεις ἐλέγχειν

Ἀμαθὴς ὃς οὐ κάτοιδεν ὅπως δεδοίκει

Τὸ θανεῖν, ὅτε καὶ φθισικὴν ποτ' ἔχων κακίστην

Νόσον, οὐκ ἔθελε λύσιν ἰσχέμεν, ἀλλ' ἀκούσας

Ὅτι φάρμακον Ἀντίπατρος πιὼν ἀπέσβη

Δότε τοίνυν ἔφησε καμοί, πιεῖν τί μέν τοι, τί,

Δότ'

Δότ' οἰνόμελι σφόδρα τ' εἶχε πρόχειρα ταύτῃ
φύσις ἡ συνέχουσά με, καὶ διαλύσεται δή.
Καὶ ὁ μὲν οὐδὲν ἔλασσον ἔβη κατὰ γῆς. ἐνῆν δὲ
Τὰ πλέα κακὰ κέρδε' ἔχοντα μολεῖν εἰς ἄδην. hoc est,

Quid Carneadem vis musa vt arguam
Qui rudis adhuc, non videbat cur metueret
Mortem, vnde cùm phthisi olim laboraret, pessimo
Morbo, curam noluit admittere, sed audiens
Antipatrũ hausto extinctũ pharmaco,
Date igitur, inquit, & mihi quod bibã. quid nam quid?
Date mulsum mihi, nam grauiter habet hæc facilis
Natura, quæ me continet, dissolueturq; ilico.
At ille nihilo minus sub terram cessit, licebatq;
Plura mala lucra habentem migrare ad Orcum.

Fertur ei lumina caligine offendi solita, ipso nihil aduertente, iuberéque solitum puero lucernam accẽdere, quam ille cùm intulisset, ac diceret, attuli, respondere consuesse, lege igitur. Huiusce alij complures

fuere diſcipuli,ſed excelluit omnes Clitomachus, de quo etiam ſubſequenter dicendum. Fuit & alius Carneades elegiæ Poëta,ſed frigidus & obſcurus.

CLITOMACHVS.

Clitomachus Carthaginienſis, patria lingua Aſdrubal appellabatur, in qua etiam apud ſuos philoſophari cõſueuerat. Athenas autem cõtendit quadraginta annos natus, audiuitq; Carneadem. Eius ille induſtriam animaduertens literas doceri fecit,ac ſtudioſè imbuit virum. Ad tantum autem*peritiæ perueſtus eſt,vt vltra quadraginta volumina ſcripſerit, ſucceſſeritq; Carneadi, cuius etiam dicta maximè illuſtrauit literis. Verſatus eſt autem in tribus maximè ſectis, Academicorum ſcilicet, Peripateticorum,atque Stoicorum. Porrò Academicos ita ferè inſectatur Timon:

* ἐπιμελείας.

Οὐδ' Ἀκαδημαϊκῶν πλατυρημοσύνης ἀναλύστου. hoc eſt,


Sed neq; garrulitas Academi ĩcõdita ludi.

Hactenus de Academicis qui à Platone fluxere diximus, veniendum iam ad Peripateticos,& eos à Platone veniẽtes, quorum fuit princeps Ariſtoteles, de quo primùm dicendum.

DIOG

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHORVM VITA, LIBER V.

ARISTOTELES.



RISTOTELES Nicomachi Phæstiadísque filius Stagyrites fuit. Porrò Nicomachus à Nicomacho Machaonis filio Aesculapiiq; nepote originem duxit, vt Hermippus in eo libro quē de Aristotele scripsit, tradit. Conuixit autem Amyntæ Macedonum Regi medicinæ & amicitiæ gratia. Hic inter omnes Platonis discipulos maximè excelluit, voceq; gracili, vt Timotheus Atheniensis in libro de vitis refert, & * exilibus cruribus paruisq; oculis fuit, veste insigni & anulis, ac tonsura vtens. Natus est autem illi & filius Nicomachus ex Herpylide concubina, vt Timotheus ait. Recessit à Platone dum adhuc superuiueret. Vnde dixisse illum tradunt, Aristoteles in nos recalcitrauit, non secus atque in matrem pulli geniti. Refert Hermippus in vitis, cùm Atheniensium legatus

* ἰσχνοσκελής.

tus ad Philippum profectus esset Aristoteles, Academicæ scholæ præfectum fuisse Xenocratem. Cùm verò reuersus esset, scholamq; sub alio vidisset, elegisse in Lyceo περίπατον, illicq; vsque ad vnctionem deambulando cum discipulis philosophari solitum, atque inde peripateticum appellatum esse. Alij idcirco sic vocatum asserunt, quòd ex ægritudine conualescenti, ac deābulanti Alexandro adsistens quædam differere soleret. Vbi verò iam plures esse cœperant, sedens docebat, dicens:

Αἰσχρὸν σιωπᾶν Ξενοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν.

hoc est,

Silere turpe me, & Xenocratem loqui. Ad propositā quæstionem discipulos vnà exercebat simul & oratoriam docens. Deinde ad Hermiam eunuchum profectus est, Atarnēsium tyrannum, quem alij quidem delicias ac lusus ipsius fuisse tradunt. alij verò sibi affinitate iunctum tradita ei filia siue nepte, vt refert Demetrius Magnesius in libris de Poëtis ac scriptoribus æquiuocis, qui & Eubuli seruum Hermiā fuisse ait, Bithynium genere, quem & dominum suum enecasse. Porrò Aristippus in primo de antiquis deliciis libro, Aristo telem ait Hermiæ concubinam adamasse,

quam

quam ille cùm sibi permisisset, duxisse eam, & gaudio elatum immolasse mulieri, vt Athenienses Eleusinæ Cereri, Hermiæq; pæana scripsisse, qui ἔνδον, hoc est, intus scriptus est. Hinc in Macedonia apud Philippum vixisse, atque ab eo Alexandrum filium erudiendum accepisse, petisseq; instaurari solum patrium à Philippo euersum. Id vbi impetrasset, dedisse illis leges. In schola quoque leges tulit imitando Xenocratem, vt decēdialem principem facerent. Vbi verò Alexandro instituendo satis visus est nauasse operam, eumq; sibi deuinxisse, commendato illi cognato Callisthene Olynthio Athenas concessit. Eum audacius quàm par erat alloquentem, Regem, & minimè illi obsequentem, ab ipso increpitum asserunt versu, admonente, ni talia loqui desisteret, maturè periturum, quod & factum est: versus autem sic habet:

ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι, οἷ᾽ ἀγορεύεις.

hoc est,

Qualia mi loqueris, vereor sis nate superstes.

Nanque Hermolao in Alexandrum insidiarum socius fuisse deprehensus, cauea ferrea circunduci, pædore atque squalore oblitus, leoni postremò obiectus est, sicq;

excefsit è vita. Enimuero Ariſtoteles Athenas profectus, cùm illic tredecim annis docuiſſet, clàm in Chalcidem concefsit, quòd ab Eurymedonte hierophanta impietatis accuſatus eſſet ſiue, vt Phauorinus ait in omnimoda hiſtoria, à Demophilo, quòd hymnum in eum quem prædiximus Hermiam ſcripſerit, quódque hoc epigramma ſtatuæ quæ in Delphis eſt, incidi curauerit:

Τὸν δέ ποτ' οὐχ' ὁσίως παραβὰς μακάρων θέμιν ἁγνὴν
Ἔκτεινεν περσῶν τοξοφόρων βασιλεύς.
Οὐ φανερῶς λόγχῃ φονίοις ἐν ἀγῶσι κρατήσας
Ἀλλ' ἀνδρὸς πίστει χρησάμενος δολίως.

hoc eſt,

Impius hunc quondam Perſarum morte tyrannus
Mulctauit violans iusq; nefasq; virũ.
Nam neque collato oppreſsit certamine, verum
Inſidiosè hominis vſus amicitia.

*Aliàs Hermippus. Hic verò, vt ait *Eumolus in quinto hiſtoriarum, aconitum bibens, mortuus eſt ſeptuageſimo ætatis anno. In quem eſt noſtrum hoc epigramma:

Εὐρυμέδων ποτὲ μέλλεν Ἀριστοτέλην ἀσεβείας γράψ

Γράψασθαι δηοῦς μυστίδος ὤν πρόπολος

Ἀλλὰ πιὼν ἀκόνιτον ὑπέκφυγε. τοῦτ' ἀκονιτὶ

Ἦν ἄρα νικῆσαι συκοφάσεις ἀδίκους.

hoc est,

Nuper Aristotelem, læsa vt pietate nocentem

Detulit Eurimedō sacrificus Cereris.

Ille aconita bibens subterfugit: certè aconiti

Hoc erat iniustū vincere sacrificum.

Idem verò refert ipsum Platoni trigenarium se in disciplinam dedisse, sed profectò fallitur. Nanq; septimo decimo ætatis anno Platonem audire cœpit. Est autem hymnus huiusmodi:

Ἀρετὰ πολύμοχθε γένει βροτείῳ, θήραμα κάλλιστον βίῳ. σᾶς πέρι παρθένε μορφᾶς, καὶ θανεῖν ζηλωτὸς ἐν ἑλλάδι πότμος, καὶ πόνους τλῆναι μαλεροὺς καὶ ἀκάμαντας. τοῖον ἐπὶ φρένα βάλλεις καρπὸν ἀθάνατον χρυσοῦ τε κρείσσονα, καὶ γονέων, μαλακαυγήτοιο ὕπνου. σοῦ δ' ἕνεκ' ἐκ θεοῦ ἡρακλέης, λήδας τε κοῦροι πολλ' ἀνέτλασαν, ἔργοις ἀναγορεύοντες δύναμιν· σοῖς τε πόθοις ἀχιλεὺς αἴας τε ἀΐδαο δόμους ἦλθον, σᾶς δ' ἕνεκεν φιλίου μόρφας, ἀταρνέος ἔντροφον ἀελίου χήρωσεν αὐγάς. τοὶ γὰρ ἀοίδιμος ἔργοις; ἀθάνατοί τε μιν αὐξήσουσι μοῦσαι μναμοσύνας θύγατρες διὸς ξενίου σέβας αὔξουσαι. hoc est,

Virtus laboriosa generi mortalium, honestissimum vitæ humanæ incitamentum. Pro tua siquidem forma ô virgo, expetenda est in Græcia mortis conditio, & grauium assiduorúmque laborum tolerantia. Talem nimirum inseris hominum animis fructum planè immortalem, & auro præstantiorem, parentibúsque ipsis, somnóque dulcissimo. Nam in gratiam tuam Iouis Hercules, & Ledæ filij multa perpessi sunt, qui quid possent, opere declararũt. Quin & tui desiderio Achilles, & Aiax ad inferos penetrarunt, tuæq; formæ luculentissimæ gratia Atarneæ ciuem Solis priuauit lumine. Quò enim clarus spectatúsque rebus gestis? Hunc immortales meæ auctiorem reddent musæ, quæ Iouis hospitali decus augere solent.

Primam hunc orationem iudicialem pro seipso scripsisse, cùm huius criminis argueretur, Phauorinus in omnimoda historia autor est, ac dixisse Athenis:

odissea η. Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ. hoc est,

Et pyra nata pyris, ficúsque in ficubus extant.

Ait autem Apollodorus in chronicis natum illum anno primo, nonagesimænonæ olymp

olympiadis, perrexiſséque ad Platonem decimoſeptimo ætatis anno, annósque viginti apud eũ fuiſſe commoratum. Tum verò veniſſe Mitylenem principe Eubulo, quarto anno centeſimæ octauæ olympiadis. Verùm Platone primo anno functo vita, ſub Theophilo profectum eſſe ad Hermiam, manſiſséque annos tres. ſub Pythodoto autem ſe contuliſſe ad Philippum ſecundo anno centeſimænonæ olympiadis, Alexandro quintumdecimum iam annum ætatis agente. Athenas verò conceſsiſſe ſecundo anno centeſimæ vndecimæ olympiadis, atque in Lyceo tredecim annos docuiſſe, ac demũ perrexiſſe Chalcidem, tertio anno centeſimæ quartædecimæ olympiadis, morbóque periſſe, cùm eſſet annorũ fermè ſexaginta trium. Quo etiam tempore Demoſthenes in Calabris defunctus ſit ſub Philocle. Fertur autem ob Calliſthenis inſidias in Alexandrum, infenſum fuiſſe Regi, illúmque ad eum contriſtandum Anaximenem extuliſſe, ac miſiſſe Xenocrati dona. Luſit in eum epigrammate Theocritus Chius, vt ait Ambrion in libro de Theocriti vita, in hunc ſenſum:

Ἑρμίου εὐνούχου ἠδ' εὐβούλου ἅμα δούλου

Σῆμα κενὸν κενόφρων τοῦξεν Ἀριστοτέλης.

hoc est,

Hermiæ eunuchi simul Eubulíque sepulcrum

Mēte vacās vacuū struxit Aristoteles.

Timon quoq; sic illum agit:

Οὐδ᾽ ἄρ Ἀριστοτέλους ἐκκαιοσύνης ἀγεγρενῆς. i.

Sed neque Aristotelis leuitas miseranda loquacis:

Hæc vita philosophi fuit. Cæterùm nos ipsius quoq; testamenta legimus in hunc fermè modum. Bene quidem ac rite erit, Quòd si quid cōtigerit ita legauit Aristoteles. Curatorem quidem omniū & per omnia iussit esse Antipatrum. Quoad verò Nicanor adolescat, curatores ac tutores instituit Aristomenē, Timarchum, Hipparchum, Cliotelē & Theophrastum si voluerit, ac si curā suscipere velit filiorū & Herpylidis, rerumq; omniū. Cumq; puella fuerit matura viro tradi illā Nicanori. Sin verò puellæ quippiā contigerit, quod absit, vitaq; prius quàm cōnubio iungatur, siue etiā postquā nupserit antequā filios procreet, excesserit, Nicanor dominus esto, vt & de puero & de cęteris dignè nobis ac sese disponat. Curet aūt Nicanor & de puella & de puero. Nicomacho, nihil vt illis desit,

desit, patris ac fratris vnà implens munus. Quòd si Nicanori quidpiam contigerit, quod absit, siue priusquam puellam duxerit, siue postquam duxerit, nondum filiis natis, quæ quidem ille instituerit, ea rata sunto. Sin autem voluerit, & Theophrastus puellæ curam habeat. Sin aliâs, curatores habito cum Antipatro consilio & de puella & de puero disponant, vt eis videbitur optimum. Curam autem habeant tutores & Nicanoris mei, & Herpylidis memores. Nanq; erga me studiosa plurimum fuit, cæterorumq; omnium, & si virum accipere voluerit, curent, ne indignè nobis locetur. Denīq; illi præter ea quæ antea acceperat, de nostra substantia; talentum argenti, tresq;, si voluerit, famulas & ancillam quam habet & Pyrrhæum puerum. At si quidem in Chalcide habitare voluerit, hospitium quod ad ortum est: sin autē in Stagyris, paternam domum. Vtrum verò horum maluerit studeant procuratores domum ita necessaria suppellectile instruere, vt & sibi honestè, & Herpylidi sufficienter instructa videatur. Curæ sit autem Nicanori & Myrmecem puerum nō indignè nobis ad suos referri, cùm eius, quas cepimus, facultatibus. Si autem &

Amb

Ambracis libera,cumq́; puella viro tradetur, quingentas illi drachmas, ancillamq́; quam habeat, dari iubeo. Sed & Thaleti præter ancillam quam habet emptã,drachmas mille,& ancillulam.Simo quoq; absq; priore pecunia,in puerum alium,siue puerum emi, siue pecuniam dari.Tychonem esse liberum cùm puella nupserit, Philonemq́; & olympium eiusq́; filiolum. Porrò eorum qui mihi famulãtur puerorum nullum vendi volo, sed hæredes eis vti. Cùm verò adulti erunt,pro merito dimitti liberos volo .Curent item vt cõsummentur quæ Grillyoni sunt traditæ exculpendæ imagines.Vbi verò perfectè erunt, suis imponãtur locis.Nicanoris quoq; ac Proxeni quam sculpẽdam cogitabam, matrísque Nicanoris, Arimnestri verò quæ perfecta est,suo statuatur loco,vt sit ipsius monumentum,quia sine liberis defunctus est. Matris quoq; nostræ Cererem in Nemea locet,aut vbicunq; videbitur. Vbi verò tumultum fecerit,ibi & Pytiadis sublata ossa condat, sicut ipsa præcepit, sistat & seruari Nicanoris votum quod pro illo vouimus. Animalia lapidea cubitorum quatuor Ioui seruatori,ac Mineruæ seruatrici in Stagyris.Hæ testamentorum ipsius series fuit.

Fert

Fertur autem ollas plurimas repertas esse, Lyconemq; dicere, illum in * pelui calentis olei lauari solitum, oleumq; venundare. Quidam vtrem calentis olei stomacho illum imponere consueuisse tradunt, & cùm se ad quiescendum componeret, æreã sphæram tenere in manu pelui subiecta, eo consilio, vt cùm dormientis manu excussa sphæra in subditum æreum vas incidisset, sono illius excitus exurgeret. Eius esse præclaras istas sententias legimus. Interrogatus quidnam mendaces lucrarentur, vt cum vera, inquit, dixerint, non illis credatur. Cũ sibi probro daretur, quòd flagitioso homini misericorditer tulisset opẽ, non, inquit, mores miseratus sum, sed hominem. Amicis ac discipulis ista consueuerat dicere, vbicunque moraretur, Aspectus quidem à circunfuso aëre lumen accipit, animus autem à disciplinis liberalibus. Sæpenumero cùm in Athenienses inueheretur, aiebat illos frumenta & leges inuenisse, verum frumentis quidem vti, non autem legibus.* Studiorum liberalium amaras radices, fructus autem dulces esse asserebat. Rogatus quidnam cito cõsenesceret, gratia, inquit. Quid sit spes, vigilantis, ait, insomnium. Diogene caricam porrigẽte, cogit

* πυέλῳ

* παιδείας.

χρέαν. cogitans nisi acciperet, * vsum esse, meditatus sumens, Diogenem ait caricam simul cum vsu perdidisse. Rursus ab eo porrectā accipiens, atq; puerili more in sublime eleuans cùm dixisset, magnus Diogenes, eam illi reddidit. Tria dicebat pueris esse necessaria, ingenium, exercitationem, disciplinam. Audierat aliquando se à quodam maledictis esse lacessitum. Tum ille, absentē, inquit, etiam verberet. Dicebat pulchritudinem plus, quàm epistolas omnes valere ad commendationem. Pleriq; Diogenem ita statuisse asserunt, ipsum autem donum formæ dixisse: Socratem verò modici temporis tyrannidem, Platonem naturæ priuilegium, Theophrastum tacitā deceptionem, Theocritum verò eburneum detrimentum, Carneadem regnum * solitariū.

* ἀδορυφόρητον. Rogatus quo differrent docti ab indoctis, quo, inquit, viuentes à mortuis. Eruditionem dicebat inter prospera esse ornamentum, inter aduersa refugium. Parentes qui liberos erudiendos curassent, longè honorabiliores esse his qui solum genuissent. Eos enim viuendi tantum, illos etiam bene beateq; viuendi autores esse.Glorianti cuidam quòd magnæ esset vrbis ciuis, noli, inquit, hoc attendere, sed an dignus

sis

ſis magna & illuſtri patria. Rogatus quid ſit amicus, vna, inquit, anima in duobus corporibus habitans. Homines pleroſq; dicebat ita eſſe parcos, ac ſi ſemper victuri eſſent: alios tam prodigos, ac ſi continuò morituri. Percontanti cur honeſta forma præſtantibus diutius cõgredimur, cæci, inquit, huiuſce interrogatio eſt. Rogatus quid ex philoſophia lucratus fuiſſet, hoc inquit, vt iniuſſus ea faciam, quæ pleriq; per legum metum faciant. Interrogatus quo pacto diſcipuli egregiè proficerent: Si excellentiores, ait, proſequentes tardiores non morentur. Loquaci homini cum illum improbè probris multis obtudiſſet, dicenti, num te ſatis obtudi? Hercle, inquit, non tibi animum aduerti. Cauſanti cur * ſtipem non bono homini dediſſet, nam & ita contigiſſe ferunt: Non, inquit, homini dedi, ſed humanitati. Rogatus erga amicos quales eſſe debeamus, quales, inquit, eos erga nos eſſe optamus. Iuſtitiam dicebat virtutem animi vnicuiq; ſecundum dignitatem diſtribuentem. Diſciplinam optimum eſſe dicebat viaticum ad ſenectutem. Refert Phauorinus in ſecundo commentariorum illum crebro dicere ſolitum: O amici, amicus nemo. Et iſta quidem ad illum referũtur.

* ἔρανον.

Con

Conſcripſit autem & complura volumina, quæ vt ſumma ingenij illius vis, ac præcipua circa omne orationis genus exercitatio clarius eluceat, ſubnectenda neceſſario exiſtimaui. De iuſtitia libros quatuor, de poëtis tres, de philoſophia tres, de republica duo, de rhetorica Gryllus vnum, Nerinthus vnum, Sophiſta vnum, Menexenus vnum, Amatorius vnum, Conuiuium vnum, de diuitiis vnum, Exhortationum vnum, de anima vnum, de precatione vnũ, de nobilitate vnum, de voluptate vnum, Alexander ſeu de colonis vnum, de regno vnum, de doctrina vnum, de bono tres, de Platonis legibus tres, de eiuſdem Repub. duos. Oeconomicus vnum, de amicitia vnum, Quid ſit tolerare ſiue tolerantia vnum, de diſciplinis vnum, de his quæ in cõtentionem cadunt duos, Solutiones eorum quæ in contentionem veniunt, quatuor, Diuiſiones ſophiſticæ quatuor, de cõtrariis vnum, de ſpeciebus & generibus vnum, de propriis vnum, Commentaria, ἐπιχειρηματικὰ tres, Propoſitiones de virtute tres, Obiectiones vnum, de his quæ quot modis dicuntur, ſiue ſecundum propoſitum vnum, de elementis tres, de ſcientia vnum, de perturbationibus iræ vnum,
Mora

Moralium quatuor, de principio vnum, Diuisiones XVII. Diuisibilium vnum, de interrogatione & responsione duo, de motu vnum, Propositiones vnum, propositiones contentiosæ quatuor, Syllogismi vnũ, Priorum analyticorum nouem, Posteriorum analyticorum maiorum duo, de quæstionibus ad disciplinã pertinentibus octo, de meliore vnum, de idea vnum, Termini topicorum septem, Syllogismorum duo, συλλογιστικὸν & diffinitiones vnum, de eligibili & accidenti vnum, de iis quæ ante locos sunt vnum, Topicorum ad diffinitiones duo, Perturbationum vnum, Diuisibilium vnum, Mathematicus vnum, Diffinitiones XIII. Epicherematum duo, de voluptate vnum, Propositionum vnum, de volũtario vnum, de pulchro vnũ, Quæstiones epicherematicæ XXV. Quæstiones de amicitia duo. Quæstiones de anima vnum, Politicorum duo, Politicæ auditionis, sicut Theophrasti, octo, de iustis duo, Artium introductio duo, Artis retoricæ duo, ars vnum, alia ars duo, Methodicum vnũ, Artis Theodecti introductionis vnũ, Artis poëticæ libros duos, Enthymemata rhetorica, de magnitudine vnum, Enthymematum diuisiones vnum, de dictione

u duo,

*συμβουλῆς. duo, de * consilio vnum, Collectionis duo, de natura tres, Physicon vnum, de Archytæ philosophia tres, de Speusippi Xenocratísque philosophia vnum, ex Timæi Archytæq; disciplinis sumpta, vnum, Aduersus Melissi dicta vnum, Aduersus Alcimæonis dicta vnum, Aduersus Pythagoricos vnum, Aduersus Gorgiam vnum, Aduersus Xeno cratem vnum, Aduersus Zenonis scita vnũ, de Pythagoricis vnum, de animalibus nouem, Anatomorum octo, Electio anatomorum vnum, de compositis animalibus vnum, de fabulosis animalibus vnum, de non gignendo vnum, de plantis duo, Physiognomicon vnum, Medicinalia duos, de monade vnum, Signa tempestatum vnum, astronomicon speculatiuus vnũ, de motu vnum, de musica vnũ, Memoriale vnum, Homericarum ambiguitatum sex, Poëtica vnum, Naturalium secundum elementa, triginta octo, Inspectorum problematum duos. Liberalium disciplinarum duos, Mechanicus vnum, Problematum ex Democrito sex, de lapide vnũ, Parabolę vnũ, Inordinata XII. Exposita generatim XIIII. Iura vnum, Olympionicæ vnum, Pythionicæ musices vnum, Pythicus vnum, Pythionicorum * argumenta vnum, Dionysiacæ

*ἔλεγχοι

ſiacæ victoriæ vnum, de tragœdiis vnum, Doctrinæ vnum, Prouerbia vnum, Lex cō mendatitia vnum, Legum quatuor, Prædicamentorum vnū, de interpretatione vnū, Reſpublicæ vrbium, CLVIII. Seorſumq; ad Philippum de populari, paucorúmq; & optimarum & tyrannorum Rep. epiſtolę, Selymbriorum epiſtolæ, ad Alexandrum quatuor, ad Antipatrum nouem, ad Mentorem vnam, ad Ariſtonem vnā, ad Olympiadem vnam, ad Hephæſtionem vnam, ad Themiſtagoram vnam, ad Philoxenum vnam, ad Democritum verſus, quorum initium eſt Sanctæ deum. Elegiæ, quarum eſt initium, Formoſæ matris filia. Sunt in ſumma verſus omnes plus minus quadrageſies quinquies mille, trecēti & triginta. Hæc librorum illius ſeries, hic numerus, in quibus quid agat ſummatim exponendum eſt. Duplicem eſſe philoſophiæ rationem, alteram verſari circa actus, appellarique πρακτικὴν, alteram in intelligentia & ſpeculatione conſiſtere, & θεωρητικὴν dici. Ad actionem pertinere ethicen & politicen, qua in parte tum de publica, tū de familiari re agi. Ad intelligentiam Phyſicen logicénque referri. Porrò logicen inſtrumentum eſſe exactiſsimū. Eius cùm

geminam destinationem ac scopum subiecisset, verisimile ac verum, ad vtranque duarum maximè rerum viribus nititur. Namq; ad verisimile seu probabile, oratoria & dialectica, ad verum autem analytica & philosophia vsus est, nihil omnino omittens eorum quæ vel ad inuentionem, vel ad iudicium, vel etiam ad vsum pertinerent. Enimuero ad inuentionis adminicula, atque ad eas res quæ speculationi & arti inseruiunt, propositionum multitudinem tradidit, ex quibns quæstiones probabilium epicherematum elicere affatim licet. Porrò ad iudicandum analytica priora & posteriora conscripsisse, prioribus assumptionum iudicia permittens posterioribus collectionis examen tradēs. Cæterùm ad iudicandum ea quæ sub certamen cadunt, quæque in interrogatione versantur & contentione sophisticorum argumentorum, atque syllogismis atque his similibus. Veritatis verò iudicium earum quidem quæ secundum imaginationem sunt actionum sensum definiuit. Moralium verò, vbi de re publica, ac domestica, vbi de legibus igitur mentem. Finem autem vnum exposuit, virtutis vsum in vita perfecta. Felicitatem ait
plen

plenitudinem ex tribus maximè bonis cõ-
stantem . iis nimirum quæ in animo sunt,
quæ & * priora viribus appellat, iis quæ * πρῶτα
ad corpus attinent, vt sunt bona valetudo, τῶ δυνά-
fortitudo, pulchritudo, cæteraq; his simi- μεων.
lia, atque iis quæ extrinsecus veniunt, diui-
tiis nobilitate, & claritudine, atq; in hunc
modũ cæteris, quibus tertium locũ assigna
uit. Virtutem ad beatam vitã sibi minimè
sufficere dixit, quippe corporis bonis exte-
rioribusq; indigere. Miserum atq; infeli-
cem fore sapientem, siue doloribus affi-
ciatur, siue inopia, & cæteris eiusmodi in-
cõmodis prematur. Vitium autem ad mi-
seriam atq; infelicem vitam sufficere, quã-
tumlibet corporis affluat bonis. Virtutes
ait non se inuicem sequi. Fieri enim posse,
vt prudens quispiam ac iustus, idemq; in-
temperans atq; incontinens sit. Sapientem
quidem non omnino perturbationibus va
care, verùm perturbari modicè dixit. Ami-
citiam æquitatem esse definiuit reciprocæ
beneuolẽtiæ. Eius tres species esse tradidit.
Esse quippe aliam cognationis, aliã amato
riam, tertiam hospitalem. Amorem nõ mo
dò congressionis, verùm & philosophiæ
esse amaturum quoq; sapientem, neq; ac-
cessurum ad Rempublicam, ducturumq;

vxorem, & cum rege vnà victurum. Tribus autem generibus vitæ constitutis, primò quod in speculatione, sequenti quod in actu, & tertio quod in voluptate consistit. Speculatiuum genus semper prætulit. Liberales disciplinas ad apprehensionem virtutis multum conferre sensit. In descriptione rerum naturalium præter cæteros rationem maximè secutus est, adeò vt minimarũ quarumq; rerum reddiderit causas. Vnde & naturalium cõmentariorum complura scripsit volumina. Deum sicut, & Plato incorporalem definiuit, eiúsque prouidentiam ad cœlestia vsq; pertingere, ipsum verò immobilem esse. Porrò terrena omnia ad cœlestiũ congruentiam ordinemq; disponit. Præter elementa ista quatuor esse, & quintũ aliud, ex quo cœlestia consistant, eiusq; motũ orbicularem esse varium. Animam item incorpoream, primamq; esse ἐντελέχειαν, corporis nempe naturalis, & organici potentia vitã habentis. Est autem ea iuxta illum duplex. Entelechiam verò appellat, cuius sit species quædã incorporea. Altera ex his quidem secundum potentiam, vt est Mercurius in cera, informis quidem, sed idoneus ad percipienda lineamenta, sicut item in

ære ſtatua. Secundum verò habitum Entelechia dicitur, ea quæ eſt conſummatæ, ac perfectę Mercurij ſtatuæ. Naturalis autem corporis dixit, nam ſunt corpora alia quidem manu, & arte elaborata, vt ſunt quæ ab artificibus fiunt, puta turris atque nauis. Alia verò ſic à natura prodeunt vt arbores, & animalium corpora. Porrò organici dixit, hoc eſt, ad aliquid parati & conditi, vt eſt ad videndum oculus, aurisq; ad audiendum. Virtute autem vitam habentis, vtputa in ſeipſo. Virtute autem vel potentia minus eſt ſecundum efficaciam. Secundum actionẽ autem, vt vigilans habere animam dicitur. Secundum habitum autẽ, vt dormiens. Vt igitur & hic intelligatur, adiecit potentia. Multa igitur eiuſmodi & alia, & de aliis multis in hũc modum philoſophatus eſt, quæ perlongũ eſſet numerare. Cunctis enim in rebus ſummo ſtudio atq; induſtria fuit, inuẽtionisq; incredibili copia viguit, vt ex his quæ ſuprà annotauimus voluminibus cõſtat, quæ ad quadringentorum numerum ferè perueniunt, de quibus nihil ambigitur. Nam ſunt & alia complura quæ ipſi adſcribuntur volumina atq; ſententiæ. Verũenimuerò octo fuere Ariſtoteles. Primus hic

ipſe. Secundus qui Athenis Rempub. adminiſtrauit; cuius etiam iudiciales leguntur orationes ſanè quàm elegantes. Tertius qui Iliadem Homeri ſcripſit. Quartus Siculus orator, qui ad Panegyricum Iſocratis reſcripſit. Quintus qui cognominatus eſt Mythus, Aeſchinis Socratici neceſſarius. Sextus Cyrenaicus, qui de poëtica ſcripſit. Septimus pædotriba cuius meminit Ariſtoxenus in Platonis vita. Octauus grammaticus obſcurus & ignobilis, cuius de pleonaſmo ars legitur. Huius autem Stagyritæ philoſophi complures quidem fuere diſcipuli, ſed omnibus maximè præcelluit Theophraſtus, de quo modo dicendum eſt.

THEOPHRASTVS ERESIVS.

THeophraſtus Ereſius Melanti, vt Athenodorus in octauo deambulationum lib. ait, fullonis filius, primo quidem in patria Leucippi ciuis ſui auditor fuit, inde cum Platonem audiſſet, ſe ad Ariſtotelem cōtulit. Eo item in Chalcidem profecto illi in ſcholæ regimine ſucceſsit, olympiade CXIII. Fertur ipſius quoque ſeruus Pōpylus nomine philoſophus fuiſſe, vt refert Myronianus Amaſtrianus in

primo

primo ſimilium hiſtoricorum capitum. Fuit autem Theophraſtus vir ſummæ prudentiæ, ſtudiiq; ſingularis, atque vt ſcribit Pamphila trigeſimo commentariorũ libro, Menandrũ ipſum comicum inſtituit. Erat item beneficus in primis, & maximè affabilis. Eum Caſſander ſuſcepit, Ptolemæusq; ad illum miſit. Adeò autẽ Athenienſibus acceptus fuit, vt cùm illũ Agnonides impietatis accuſare auſus eſſet parũ abfuerit, quin ipſe ob eam rem crimen ipſum in ſe retorqueret. Accurrebant ad illum audiendum diſcipuli ad duo millia. Hic in epiſtola ad Phaniam peripateticũ inter cætera, de iudicio quoq; ita locutus eſt. Tantùm abeſt, inquit, vt populi frequentiam conuocẽ, vt ne conſeſſum quidem eiuſmodi admittã, qualem abiectiſſimus quiſque. Porrò recitationes emendationis autores ſunt. Protelare autem omnia, atq; negligere non iam ferunt ætates. In ea epiſtola ſcholaſticum nominat. Cùm tamen eſſet huiuſmodi, ſeceſsit ad tẽpus & ipſe & philoſophi reliqui. Quippe Sophocles Amphiclidæ filius legẽ tulerat, vti ne quis philoſophorum præeſſet ſcholæ, niſi id ſenatus ac plebs decreuiſſet: qui ſecus faceret capitale eſſet. Verùm

ſequenti anno denuo reuerſi ſunt, cum à Philone Sophocli dies dictus eſſet. Quo tēpore Athenienſes ea lege abrogata Sophoclem talentis quinque multarunt, decreuerúntque philoſophis reditum, vt & Theophraſtus remaneret, ſcholámque vt antea regeret. Eum, cùm antea Tyrtamo illi nomen eſſet, ob diuinam elocutionē, Ariſtoteles Theophraſtū appellauit. Cuius & filium Nicomachum tametſi is præceptor eſſet, amauit, vt Ariſtippus in IIII. de antiquis deliciis meminit. Fertur Ariſtoteles de Theophraſto, & Calliſthene idem quod de ſe, & Xenocrate Plato, vt prædiximus, dixerat. Dixiſſe enim quòd hic pro excellenti acumine ingenij cuncta facillimè aſſequeretur & exponeret, ille tardus & obtuſus eſſet ingenio, hunc fræno, illum egere calcaribus. Dicitur & priuatim hortum poſt Ariſtotelis diſceſſum poſſediſſe, Demetrio Phalereo familiari ſuo in hoc ſibi cooperante. Nobiles ſunt & huius illę ſententiæ: Citius credendum dicebat in fræni equo, quàm verbo incompoſito. Ad illum qui in cōuiuio penitus tacebat, ſi quidem, ait, imperitus es, prudenter facis: ſin verò peritus, imprudenter. Habebat & illud ſemper in ore,

Sump

Sumptus pretiosissimus tempus est. Obiit senex ætatis anno LXXV. cùm modicè à labore quieuisset. In quem etiam est nostrum epigramma:

Οὐκ ἄρα τοῦτο μάταιον ἔπος μερόπων τινὶ λέχθη

Ῥήγνυσθαι σοφίης τόξον ἀνιέμενον.

Δὴ γὰρ καὶ Θεόφραστος ἕως ἐπόνει μὲν, ἄπηρος

ἦν δέμας, εἶτ' ἀνεθεὶς κάτθανε πηρομελής. hoc est,

Haud vanè quidā, studij, si fortè relaxes,

Rumpi arcum dixit, quisquis homo ille fuit.

Nam vegetus Theophrastus erat firmusq; labore.

Laxauit postquam membra labore, obiit.

Aiunt illum, cùm rogaretur à discipulis, num quippiam illis mandare vellet, dixisse, nihil quidem quod imperaret se habere, nisi quòd multa dulcia gloriæ obtentu vita mentitur. Nos verò cum viuere incipimus, tunc morimur. Nihil enim est inanius amore gloriæ. Sed este felices, verbumq; istud aut omittite, grādis enim labor est: aut illi intendite, magna enim illi gloria prouenit. Porrò vitæ vanitas amplior

plior quàm vtilitas eſt. Verùm mihi quidem non iam quid agendum ſit conſulere ſuppetit, vos autem quid faciendum erit, deliberabitis. Iſta dicentem exhalaſſe animam tradunt. Eum verò, vt fama eſt, Athenienſes pedibus omnes proſecuti, publicè honorauerunt. Refert Phauorinus illum iam vetulum lectica circunferri ſolitum, idq; dicere Hermippum, eumq; id ex Arceſilai Pitanæi hiſtoria ſumpſiſſe inter ea verba quæ ad Lacydem Cyrenenſem habuit. Reliquit autem, & ipſe ingenij ſui cõplura monumenta, & ipſa dignißima ſum arbitratus quæ adnotarẽ. Sunt autem iſta, Priorum analyticorum tres, poſteriorum analyticorum ſeptem, de ſolutione ſyllogiſmorum vnum, analyticorũ epitome vnum, Deductorũ locorum duo, Speculationes eorum quę circa contentioſam orationem verſantur, de ſenſibus vnum, ad Anaxagoram vnum, de Anaxagora vnum, de Anaximene vnum, de Archelao vnum, de ſale nitro aluminis vnũ, de his quæ durantur in lapides duo, de indiuiſibilibus lineis vnum, auditionis duo, de ventis vnũ, virtutũ differentiæ vnum, de regno vnum, de regis inſtituto vnum, de vitis tres, de ſenectute vnum, de Democriti aſtrologia vnum,

vnum, de his quæ in sublimi fiunt vnum, de imaginibus vnum, de succis, cute, & carnibus vnum, διακόσμου vnũ, de hominibus vnum, dictorũ Diogenis collectio vnum, definitionum tres, Amatorius vnum, alius de amore vnũ, de felicitate vnum, de speciebus duo, de caducis vnũ, de * afflatione dei vnum, de Empedocle vnũ, de epicheremátis XVIII. Controuersiarũ tres, de voluntario vnum, Abbreuiatio Reip. Platonis duo, de diuersitate vocis animalium eiusdem generis vnum, de his quæ subitò apparent vnum, de his quæ morsui & vulneri patent vnũ, de animalibus quæ sapere dicuntur vnum, de his quæ in sicco morantur duo, de his quæ colores immutant vnum, de his quæ latibula & fossas faciunt vnum, de animalibus septẽ, de voluptate, sicut Aristoteles, vnum, alius de voluptate vnum. Quæstiones XXIIII. de calido & frigido vnum, de vertigine & obtenebratione vnum, de sudore vnum, de affirmatione & negatione vnũ, Callisthenes, siue de luctu vnũ, de laboribus vnum, de motu tres, de lapidibus vnum, de pestilentiis vnum, de * examinatione vnum, Megaricus vnum, de atra bile vnum, de metallis duo, de melle vnũ, de Metrodori collectis vnum,

* ἐνθουσιασμοῦ.

* λειποψυχίας.

vnum,de æreis duo, de ebrietate vnũ,Legum secundũ elementa XXIIII.Legum epitome decem, ad definitiones vnum, de odoribus vnũ, de vino & oleo primarum propositionum XVIII. Legiferorũ tres, Politicorum tres, Politicon ad tempera quatuor,Ciuilium consuetudinũ quatuor, de optima Republica vnũ,Problematum collectionis quinq;, de prouerbiis vnum, de cõcretionibus & liquefactionibus vnũ, de igne duo, de spiritibus vnũ,de paralysi vnum,de suffocatione vnũ, de * amentia vnum,de pasionibus vnũ,de signis vnum, Sophismatum duo,de syllogismorum solutione vnum, Topicorum duo,de * cruciatu duo,de pilisvnũ,de tyrannide vnum, de aqua tres, de somno & insomniis vnũ, de amicitia tres, de * liberalitate duo, de natura tres,de naturalibus XVIII.de naturalium abbreuiatione duo,Naturalium octo, aduersus Physicos vnum, de naturalibus historiis decẽ,Naturalium causarum octo,de * humoribus quinque,de mendacio voluptatis vnũ,de anima quæstio vna, de indubitata fide vnũ, de simplicibus dubitationibus vnum, Harmoniacon vnum, de virtute vnum, Occasiones, siue contradictiones vnum, de negatione vnum, de senten

* παραφρονοῦνης.
*τιμωρίας.
*φιλοτιμίας.
* χυλῶν.

ſententia vnum, de ridiculo vnum, * Meridianorum duo, diuiſiones duæ, de differentiis vnum, de iniuriis vnum, de laude vnum, de experientia vnum, Epiſtolarum tres, de * fortuitis animalibus vnum, de ſelectione vnum, Laudes deorum vnum, de ſolennitatibus vnũ, de felicitate vnum, de enthymematis vnum, de inuentis duo, Scholarum moralium vnum, Morales figuræ vnum, de tumultu vnum, de hiſtoria vnum, de iudicio ſyllogiſmorum vnum, de mari vnum, de aſſentatione vnum, ad Caſſandrum de regno vnum, de comœdia vnum, de meteoris vnũ, de dictione vnum, Verborum collectio vnum, Solutiones vnũ, de muſica tres, Naturalium opinionum XVII. Naturalium epitome vnum, de gratia vnum, Morales figuræ vnum, de falſo & vero vnum, Hiſtoria eorum quæ de deo dicuntur, ſex, de diis tres, de menſuris vnum, Megacles vnum, de legibus vnum, de iniquis legibus vnum, Xenocraticorũ collectanea vnum, Confabulationes vnum, de iuramento vnum, Oratoria præcepta vnum, de diuitiis vnum, de poëtica vnum, Problemata ciuilia, naturalia, amatoria, moralia vnum, Prouerbiorum vnum, Problematum collectio vnum, de prob

* Λεπτινῶν.

* αὐτομάτων.

problematibus naturalibus vnũ,de exemplari vnum,de propoſitione & narratione vnum,de poëtica alius,vnum, de ſapientibus vnum,de cõcilio vnum,de ſolœciſmis vnum, de arte oratoria vnum , de artibus oratoriis ſpecies ſeptem , de ſimulatione vnum, Commentariorũ Ariſtotelicorum ſiue Theophraſticorum ſeptem , Hiſtoricorum geometricorum quatuor , Epitome Ariſtotelis de animalibus ſex , de diis epicherematum duo , Quæſtiones tres,de regno duo,de cauſis vnum,de Democrito vnum,de calumnia vnum,de generatione vnum,de animalium prudentia, & moribus vnum, de motu duo, de viſu quatuor, ad terminos duo, de eo quod eſt dari vnũ, de maiore , & minore vnum , de muſicis vnum,de diuina felicitate vnũ, ad eos qui erant ex academia vnum , Exhortatorius vnum, Quo pacto ciuitates optimè inhabitentur vnum, Commentaria vnum , de *riuo qui erat in Sicilia vnum,de conceſſis vnum, Qui ſint modi ſciendi vnum, de falſo tres,Ante topica vnum, Aſtrologicæ hiſtoriȩ ſex,Arithmeticarum hiſtoriarum argumentum vnum, Achicarus, vnum de iudicialibus orationibus vnum , Epiſtolæ ad Aſtricreontẽ Phaniam , & Nicanorem de plet

*ῥύακος.

de pietate vnum, Euiadis vnum, de*temporibus vnũ, de propriis orationibus vnũ, de liberis educandis vnum, alius differens de eadẽ re vnum, de disciplina, seu de virtutibus, siue de frugalitate vnum, Exhortatorius vnum, de numeris vnum, deffinitiones de dictione syllogismorum vnum, de cœlo vnũ, Politici duo, de natura vnũ, de fructibus & animalibus, quæ in summa complexa sunt versibus mille supra centũ octoginta duobus. Tot ab eo volumina elaborata sunt. Legi autem & ipsius testamentum in hæc verba: Bene quidẽ, vt spero erit. Cæterùm & si quid secus contigerit, ista statuo: Domesticam omnem suppellectilem Melanti & Pancreonti Leontis filiis trado. Porrò ex his quæ ab Hipparcho suppeditata sunt, ista mihi fieri volo: quæ circa scholam sunt, atque spectacula perfici, vel si quid circa ea in melius possit ornari. Dehinc Aristotelis imaginem eo in templo collocari, ac donaria reliqua, quæq; antea in templo erãt. Deinde*porticum, quæ secundum scholam erat, exædificari priore non deteriorem, tabulásque in quibus orbis situs sunt in inferiore porticu reponi, aram quoque construi, ita vt neque perfectio neque honestas desidere-

*καιρῶν.

*στοίδιον

 tur.

tur. Volo autem & Nicomachi imaginem absolutè perfici. Opus quidem Praxiteli iniunctum est. Reliquam verò impensam ab eo fieri. Statui autem illam iubeo vbicunque illis visum fuerit, quibus cura erit rerum cæterarum, quiq; testamento inscripti sunt. Ac de templo quidem ac donariis in hunc modum statuo. Fundum verò quē Stagyris habemus, Callino lego, librósque omnes Neleo. Hortum autem & deambulationem, ædesq; omnes horto adiacentes amicis inscriptis lego, quiq; voluerit in eo vnà vacare literis, atque simul philosophari, quandoquidem fieri non potest, vt quiuis semper peregrinetur, ea tamen lege, vt neque illum alienent, neque vt propriū quisquā possideat, sed veluti sacrum quiddam communiter ab hominibus possideatur, quique se inuicem amicè ac familiariter vtantur, sicuti congruum ac iustum est. Sin autem qui illo communiter vtentur, Hipparchus, Neleus, Strato, Callinus, Demoricus, Demaratus, Callisthenes, Melantis, Pancreon, & Nicippus. Licere autem si philosophari velit, & Aristoteli Midię Pythiadísque filio, horum esse participem, ipsiusq; curam diligentissimè habere maiores natu, vt quammaxime ad philoso-

phiam

phiam instituātur, nósque sepelire in horti parte, quæ eis maximè commoda videbitur, nihil superfluum circa funus tumulumúe faciendo. Vt autē dictum est, postea quàm nobis rectè curata sunt omnia, cùm fanum & monumentum & hortus & ambulatorium reparata & refecta erunt, vnà & Pompylum hunc, qui inhabitat, ea curare volo, aliarumq; rerum quemadmodum prius, curam habere, illiusq; cōmodis prospicere qui ista habent. Popylo autem & Threpte dudum liberis, qui magno nobis vsui fuerunt, si quid antea à nobis præstitum est, & quæ illi acquisierunt, & quæ nunc illis ac Hipparcho dari cōstitui, drachmas bis mille, tutò ac firmiter hæc illis posidenda censeo, sicut & ipsis Melanti & Pancreonti sæpius dixi, cunctaq; mihi annuerunt. Do autem illis & Somatalem, & ancillam. Ex pueris autem Molonem quidem & Cimonem, & Parmentē iam nunc liberos dimitto. Manem verò & Calliam cùm annos quatuor in horto perseuerauerint, in cultu & labore se ita gerentes, vt culpari iustè non posint, liberos dimitti iubeo. Domesticæ verò supellectilis cum Pompylo quantum visum fuerit curatoribus sufficere datum fuerit, quod reliquū

 eris,

erit, cõflare. Demotimo Cariona do, Donacemq; Neleo. Eubium venundari placet. Dabit autem Hipparchus Callino drachmas ter mille. Melãti verò & Pancreonti, nisi Hipparchum intueremur & antea nobis fuisse perutilem, & nunc in suis rebus magnum pertulisse naufragium, mandaremus profectò ea cum Melanto, & Pancreonte educere. Quoniam verò non illis facilè fore animaduerti, cum illo vnà dispensare ac exequi, commodiúsque illis arbitratus sum, siquid ab Hipparcho constitutũ acceperint, Dabit Hipparchus Melanto & Pancreonti vtrique talentum, daturus & curatoribus ad ea quæ in testamẽto scripta sunt perficienda sumptus necessarios, suo quæque tempore. Quæ cum impleuerit omnia, absolutus erit, ac liber à debito omni, & omnibus quæ contraxerat mecum * instrumentis. Quòd si quid meo nomine Hipparcho in Chalcide prouenit emolumenti, hoc totum eius erit. Curatores autem earum rerum quę testamento inscriptæ sunt, hi erunt, Hipparchus, Neleus, Strato, Callinus, Demotimus, Callisthenes, Ctesarchus. Porrò testamenti exemplaria Theophrasti anulo signata apud Hegesiam condita sunt Hip-

* συμβολαίων

parc

parchi. teſtes Calippus, Pellaneus Philomelus, Euonymeus, Lyſander, Hybees, Philon Alopecenſis. Teſtamentum alterum accepit Olympiodorus. Teſtes iidem fuere.alterum accepit Adimanthus. Tulit autem Androſthenes filius. Teſtes Aimneſtus Cleobuli filius Lyſiſtratus, Phidonus Thaſius, Strato Arceſilai filius Lampſacenus,Theſippus,Theſippi filius è figulis, Dioſcorides Dionyſij Epicephiſius. Hæc ſeries teſtamentorum illius fuit.Sunt qui dicant Eraſiſtratum medicum huius fuiſſe auditorem, & fieri poteſt. Succeſsit autem illius ſcholæ Strato.

STRATO LAMPSACENVS.

STrato Arceſilai filius Lampſacenus,cuius in teſtamento mentionẽ fecit Theophraſtus, vir eloquentiſsimus fuit. Phyſicus autem idcirco appellatus eſt, quòd in ea ſpeculatione præ cæteris diligentiſsimè verſatus eſt.Fuit autẽ & præceptor Ptolemæi Philadelphi, à quo talentis L X X X. donatum aiunt. Enimuerò ſcholæ præfici cœpit, vt Apollodorus in Chronicis refert, Olym.C X X I I I.eãq; annos X V I I I. tenuit. Feruntur eius de regno libri tres, de iuſtitia tres, de bono tres, de diis tres, de magiſtratibus tres, ſeu duo, de vitis, de

felicitate, de regia philoſophia, de fortitudine, de inani, de cœlo, de ſpiritu, de natura humana, de generatione animalium, de concubitu, de ſomno, de inſomniis, de viſu, de ſenſu, de voluptate, de coloribus, de morbis, de iudiciis, de viribus, de metallicis machinis, de fame, de obtenebrationibus, de leui & graui, de afflatione, de tempore, de cibo & incremēto, de animalibus, de quibus dubitatur, de fabuloſis animalibus, de cauſis, ambiguorum ſolutio, locorum principia, de accidenti, de deffinitione, quid ſit magis & minus, de iniuſto, de priore & poſteriore. Inuentorum elenchi duo, de commentariis ambigitur. Epiſtolæ quarum eſt initium, Strabo Arſinoë ſalutem, quadringentæ quinquaginta. Hunc aiunt adeo fuiſſe tenuem, vt ſine ſenſu moreretur. In quem hoc ſcripſimus, epigramma,

Λεπτὸς ἀνὴρ δὲ προσεχρήσατο χρησμοῖς
Στράτωνα τοῦτόν φημι τὸν Λαμψακηνόν.
Λάμψακος ὅν ποτ' ἔφυσεν, ἀεὶ δὲ νόσοισι
παλαίων
Θνήσκει λαθὼν, οὐδ' ᾔσθετο θανάτου. hoc eſt,

Corpus erat tenuis ſi non oracla fuiſſent,
Stratonā dico, ſi neſcis, Lampſacenum.

Qui

Qui morbis ſemper fuerat luctatus acerbis
Tandem ſine vllo ſenſu mortis occidit.

Fuerunt autem Stratones octo. Primus Iſocratis auditor. Secundus hic ipſe. Tertius medicus, Eraſiſtrati diſcipulus, ſiue, vt quidam aiunt, alumnus. Quartus hiſtoricus, Philippi & Perſei qui aduerſus Romanos pugnauerunt, geſtorum ſcriptor. Sextus poeta epigrammatum. Septimus antiquus medicus, vt ait Ariſtoteles. Octauus peripateticus, qui vixit Alexandriæ. Porrò Phyſici iſtius feruntur teſtamenta in hunc modum. Iſta ſi quid ſiniſtre accidat diſpono. Ea quidem quæ domi ſunt Lampyrioni, & Arceſilao relinquo omnia. Porrò ex pecunia quam Athenis habeo, primum quidem curatores iuſta, & quæ poſt funus fieri ſolenne eſt, diligenter curabunt, nihil neque ſuperfluè, neque illiberaliter agentes. Erunt autem teſtamenti curatores, Olympicus, Ariſtides, Mneſigenes, Hippocrates, Epicrates, Gorgylus, Diocles, Lycō, Athanes. *Scholam quidem Lyconi relinquo. Nanq; alij ſunt vel ſeniores vel occupati. Rectè autem facient reliqui, ſi hoc ipſum ſuo iudicio firmauerint. Libros illi omnes, præterquam quos ipſi ſcripſimus, *Διατρίβην.

relinquo, vasa etiam omnia conuiuij stramentaq;,& pocula. Dent autem Epicrati curatores drachmas quingentas, & vnum ex pueris quemcunque Arcesilaus iudicabit. Primùm quidem Lampyrion & Arcesilaus pacta tollant. quę pro Hyræo Daippus statuit, nihilq; debeat, neque Lampyrioni neq; Lampyrionis hæredibus, sed liber sit ab omni *chirographo. Dent illi curatores drachmas quingentas, & ex pueris vnum quemcunq; probarit Arcesilaus, vt is qui nobiscum multū laborauit, magnoq; nobis vsui fuit, habeat vnde viuere honestè posśit. Diophantum præterea dimitto liberum, & Dioclem, & Album. Simiam autem Arcesilao reddo. Sed & Dromonem liberum relinquo. Vbi verò Arcesilaus aduenerit, computet Hyræus cùm Olympico & Epicrate cæterisq; curatoribus funeris, aliorúmque solennium sumptus. Quod autem pecunię reliquum erit, accipiat Arcesilaus ab Olympico, nihil ei molestiæ exhibens per tempora & annos. Tollat autem & pacta Arcesilaus quæ cōposuit Strato cum Olympico, & Amenia, condita penes Philocratem Tisameni filium. Monumentum verò faciant, vt videbitur Arcesilao & Olympico & Lyconi.

*συμβολαίου.

Atque

Atque hic quidem, vt fertur, testamenti illius summa fuit, sicut ipsum collegit Aristo eius necessarius. Cæterùm Strato ipse, sicut & supra declaratum est, vir insignis, & summa admiratione dignus fuit, in omni orationis genere versatus, sed physicæ maxime studiis excellens, quod genus & antiquius est, & multorum præclara ingenia exercuit. Succeßit in eius locum Lycon.

LYCON TROADENSIS.

Lycon Astyanactis filius Troadensis, vir eloquens, educãdis, instituendisq; pueris maximè idoneus fuit. Aiebat enim adiungi necessariò pueris pudorem, & laudis studium, velut equæ *calcar atque frænum. Porrò ipsius locutio & interpretationis copia hinc apparet. Ait enim in virginem pauperem hoc modo, Graue onus est patri puella, præ dotis inopia, excurrẽs in flore ætatis. Vnde & Antigonem de illo hoc dixisse ferunt, poßibile non esse suaueolentiam mali atque gratiam aliorsum transferri, sed in ipso homine veluti in arbore singula quæ dicerentur oportere inspici. Cæterùm quia in dicendo erat suauißimus, idcirco quidam etiam ipsius nomini g, literam adiiciebant, vt esset Gly-

*μύωπα

con, quod dulcedinem sonat. Porrò in describendo sui dissimilis erat. In hos verò qui quoniam dum tempus esset non didicerant, pœnitentia ducerentur, idq; reuocare cupiebant, in hunc modum iocabatur. Dicebat enim eos qui ignauiæ suæ seram pœnitentiam voto sarcire quærerent, impossibili seipsos arguere. Qui autem vellent, planè eos aiebat excidisse ratione, veluti distorta regula naturam recti explorantes, seu faciem perturbata aqua vel speculo peruerso. Quin & ad forensem quidẽ coronam complures proficisci, verùm ad olympiacam, aut paucos aut neminẽ. Sæpe Atheniensibus consulens magno illis emolumento fuit. Erat verò mundissimus cultu, adeò vt vestium incredibili mollitie ac nitore vteretur, vt Hermippus refert, sed exercitatissimus ac valido sanoq; corpore effectus est, omnemq; athletarum habitũ præferebat, cùm, autore Antigono Carystio, antea* fractiori, & graciliori esset corpore. Quocirca & in patria luctatus fertur, more patrio, atque pilæ ludo exercuisse. Erat autem Attalo & Eumeni in primis charus atq; inter paucos amicissimus, qui & illum sæpenumero regia magnificentia donabant. Tentauit & Antiochus illum

*ἀτεθλαδίας καὶ ἐμπινής.

illum habere apud se, sed spe sua frustratus est. Adeò autem inimicus erat Hieronymo peripatetico, vt solus * aniuersario die ad illum nō proficisceretur, de quo in Arcesilai vita diximus. Porrò scholæ principatum tenuit annos duos supra quadraginta, cùm illum sibi successorem in testamēto Strato reliquisset, olymp. c x x v i i. Quin & Panthœdi quoq; dialectici auditor fuit. Obiit autem annos natus septuaginta quatuor, afflictus podagræ morbo. In quem nostrum est epigramma, *ἐτήσιον

Οὐ μὰ τὸν, οὐδὲ λύκωνα παρήσομεν, ὅττι ποδαλγὴς
Κάτθανε θαυμάζω τοῦτο μάλιστα δ' ἐγὼ
Τὴν οὕτως ἀΐδαο μακρὴν ὁδὸν, ἂν πρὶν ὁ ποσσὶν
Ἀλλοτρίοις βαδίσας, ἔδραμε νυκτὶ μιῇ.

hoc est,

Prætereunda mihi non sunt & fata Lyconis,
Fecerat infirmū quem valetudo pedis.
Nanque pede alterius semper cùm nixus adiret,
Tam longā miror nocte volasse viā.

Fuerūt & alij Lycones, Primus Pythagoricus, Secūdus hic ipse, Tertius versificator, Quartus epigrāmatū poëta. Huius quoq; philos-

philoſophi teſtamentum huiuſce reperimus. Iſta equidem ſtatuo de rebus meis, ſi quidem hunc morbum ferre nequiuero. Ea quidem quæ domi ſunt, omnia Aſtyanacti & Lyconi fratribus do, atque ex his reddendum cenſeo; quæ Athenis poſſedi à quouis ſumpta, ſiue exacta, quæque in funus cæteráque ſolennia impenſa fuerint. Quæ verò in vrbe & Aegina habeo, Lyconi præcipuè do, quòd is nomen ferat noſtrum, mecúmque diutiſsimè, atque cum ſummo amore ſit commoratus, ſicut dignum erat, quippe qui filij tenebat locum. Porrò Peripatum amicis ac neceſſariis relinquo, Buloni, Callino, Ariſtoni, Amphioni, Lyconi, Pythoni, Ariſtomacho, Heraclio, Lycomedi, Lyconi fratrueli. Præficiant autem ipſi quemcunque permanſerum in ſchola, maximeq; vtilem futurum, exiſtimauerint. Eis verò conſentiant & reliqui familiares, & mei & loci gratia. Cæterùm funus & crematio curæ erit Buloni & Callino & amicis cæteris, vti ne illiberalis, neu ſuperflua ſit. Eas verò quæ mihi erant in Aegina partes, poſt diſceſſum meum diuidat Lycon adoleſcentibus, in vſum olei, vt ex eo mei & eius qui me honorauerit vtilitate paretur iuſta
memo

memoria, ſtatuamq; noſtram locet eo loco vbi conuenienter ſtare eam perſpexerit. Cooperetur autem vna & Diophantus & Heraclides Demetrij filius. Ex his autem quæ in vrbe ſunt, reddat Lycon omnibus quæ prædixi præſens poſt ipſius diſceſſum, ſequanturq; Bulon & Callinus, & quæcunque in funere ac ſolennibus cæteris impenſa fuerint. Tollat autem ea ex his rebus domeſticis, quæ ambobus communiter à me relicta ſunt. Honoret item & medicos Paſithemin & Midam dignos profectò magno & honore & pretio, ob ſummam in me diligentiam, & artem. Lego & Callini filio * pateras duas, vxoriq; illius gemmas duas, tapetaſq; alterum villoſum, alterum purum, & ſagũ & duo puluinaria ex omnibus quæ reliqua ſunt optima, vt quantum ad honoris rationem attinet, ne iſtorum obliti videamur. De his autem qui mihi ſeruierunt, ſic ſtatuo. Demetrio quidem iam diu libero redemptionis pretium remitto, & quinque minas do; & pallium & tunicam, vt poſtquàm mecum diu & multum laborauit, honeſtè vitam exigat. Critoni autem Chalcedonenſi ſimiliter redemptionis pretia relaxo, & minas quatuor itidem dari iubeo. Micrum liberum dimit

*ϛειά-κωρ.

dimitto, ac eum Lyco nutriat, & annos sex ab hoc tempore deinceps erudiat. Charetem itidem dimitto liberum, nutriàtque illum Lyco, duásque illi minas do, & libros meos relictos. Eos verò qui necdum editi sunt, Callino, vt illos edat diligenter. Sed & Syro libero minas quatuor lego, & Menodoram do, & si quid mihi debet, relaxo. Hylaræ item quinque minas & * tapetem villosum, & duos puluinos, & peristroma, & lectum quencunq; voluerit. Liberam item dimitto Micri matrem, & Noëmonem, & Dionem, & Theonem, & Euphranorem, & Hermiam, Et Agathonem, vbi biennij tempus impleuerit, dimitti liberum iubeo, & lecticarios. Ophelionem quoque & Posidonium cùm annos quatuor peregerit, itidem liberari volo. Demetrio præterea & Critoni, & Syro singulis lectum & stragulam vestem ex residuis relinquo, vt Lyconi conuenire videbitur. Ista illis donabuntur, qui profectò ostenderunt quàm solicitè sibi commissa peregerint. De sepultura verò videbit Lycon, siue me hic, siue domi sepelire maluerit. Certò enim mihi persuasum est, illum conueniat, honestúmque sit, nil segnius cernere quàm nos.

*ἀμφίτα πετ.

nos. Cùm verò pro dignitate præstiterit hæc omnia, rata sit illi eorū quæ hic sunt omnium largitio. Testes Callinus, Hermioneus, Ariston Chius, Euphronius Pæaniensis. Adeò autem sapienter ille gessit omnia quæ pertinent ad eruditionem & studia humanitatis, vt ad testamenta quoque sua nihilominus diligentiam prudentiamq; pertenderit, ita vt in ea quoq; parte sit studiosè imitandus.

DEMETRIVS Phalereus.

DEmetrius Phanostrati filius Phalereus, auditor quidem fuit Theophrasti, cæterùm cùm apud Athenienses conciohāretur, vrbi præfuit annos decē, æreísque statuis honoratus est trecentis sexaginta, quarum plures equestres erant, & in curribus ac bigis stabant, summoq; studio intra trecentos dies consummatæ erant. Cœpisse autem Rempub. administrare eo tempore quo Harpalus Alexandrum fugiens Athenas venit, Demetrius Magnesius in æquiuocis testatur. Diu autem atq; præclarè rem administrauit. Namque & reditibus, & ædificiis ciuitatem auxit, & quidem cùm adhuc satis illustris non esset. Erat enim, vt Phauorinus in primo com-

mentariorum ait, ex Canonis familia, verùm vrbana ac nobili Lamia amica, vt idē ait in primo, vtebatur. Sed & à Cleone sese perpessum esse in secundo tradit. Porrò Didymus in sympofiacis ipsum, & χαριτοβλέφαρον, & λαμπιτὼ à meretrice quadam appellatum ait. Fertur cum Alexandriæ amisisset oculos, à Serapide illos rursus accepisse. Quocirca & pæanas qui nunc etiam canuntur, fecisse. Verùm cùm apud Athenienses clarissimus esset, & ipse tamen ab ea quæ cuncta consumit inuidia tentatus est. Quippe insidias passus à quibusdam mortis sententiam absens excepit. Non tamen eius corpore potiti sunt, verùm ipsius deiicientes imagines, ærugine ex industria fœdatas, alias quidem vendiderunt, aliàs summerserunt, aliasq; in *frustra conciderunt. Quippe & hoc fertur. Vna autem sola in arce seruata est. Fecisse autem hoc Athenienses Demetrio iubente rege, Phauorinus autor est in Omnimoda historia. Sed & imperij ipsius administrationem, vt Phauorinus idem ait, impietatis accusarunt. Enimuero Hermippus eum tradit post Cassandri necem Antigoni metu se ad Ptolemæum Soterem contulisse, multumq; illic temporis mora-

*ἀμίδας matulas.

tum

tum inter cætera conſuluiſſe regi, vt filiis quos ex Eurydice, ſuſceperat, impartiretur regnum. Illo non obtemperante, ſed ei quem ex Beronice genuerat diadema tradente, ab hoc ipſo poſt patris mortem fuiſſe aſſeruatum in prouincia, quoad aliquid de illo ſtatuiſſet. Hic ille mœſtior vixit, ac veluti dormitãs ab aſpide manũ morſus ex vita migrauit, ſepultusq; eſt in Burſirite regione prope Dioſpolin. Ei quoq; nos fecimus epigramma in hunc modum:

Παρ᾽ ἡμῶν ἀνεῖλεν ἀσπὶς τὸν σοφὸν Δημήτριον.
Ἰὸν ἔχουσα πολὺν ἄσμηκτόν
Οὐ στίλβουσα φῶς ἀπ᾽ ὀμμάτων, ἀλλ᾽ ἀΐδην μέλαινα. hoc eſt,

Occidit aſpis ſapientẽ noſtrũ Demetriũ
Virus habens tetri plurimum.
Non flammam ex oculis coruſcans, ſed atros inferos.

Porrò Heraclides in epitome ſucceſsionum Sotionis, Ptolemæum ait Philadelpho concedere voluiſſe regnum, illumque prohibuiſſe dicendo, ſi alteri dederis, ipſe non habebis. Cùm verò accuſaretur Athenis Menander comicus (nam & hoc audio) parum abfuit quin capitis exciperet ſententiam, ob aliud nihil niſi quòd

amicus huius esset. Purgauit autem eum Telesphorus Demetrij gener. Verùm & librorum multitudine, ac versuum numero omnes fermè sui temporis peripateticos superauit, doctissimus atque peritissimus omnium. Sunt autem ipsius monumenta, partim historica, partim politica, poëtica alia, alia rhetorica, concionum ac legationum, sed & orationum Aesopiarum collectiones, & complura alia. Sunt autem de legibus Atheniensium libri quinque, de ciuibus Atheniensibus duo, de ratione ducẽdi populum duo, de rep. duo, de legibus vnum; de rhetorica duo, de re militari duo, de Iliade duo, de Odyssea quatuor, Ptolemæus vnum, Amatorius vnum, Phœdondas vnum, Mædum vnum, Cleon vnum, Socrates vnum, Aristomachus vnũ, Artaxerxes vnum, Homericus vnum, Aristides vnum, Aristomachus, Exhortatorius vnum, Pro rep. vnum, de decennio vnum, de Ionibus vnum, de legatione vnum, de fide vnum, de gratia vnum, de fortuna vnum, de magnificentia vnum, de legibus vnum, de nuptiis vnum, de trabe vnum, de pace vnum, de studiis vnum, de *tempore vnum, Dionysius vnum, Chalcidicus vnum, Atheniensium incursio vnum, de

*καιρῶ.

Anti

Antiphane vnum, procemium historicum vnum, Epistolæ vnum, concio iurata vnũ, de senectute vnum, Iura vnum, Aesopiarũ vnum, de * vsu vnum. Porrò stylus ipse Philosophicus, oratorio robore viribusq; permixtus. Hic vbi comperit Athenienses imagines suas euertisse: At, inquit, virtutem illi non euerterunt, cuius gratia illas erexerant. Aiebat nõ esse paruum, aut negligendum membrum supercilia, posse enim vitam omnem obscurare. Non modò diuitias cæcas asserebat, verùm & illarum autorem fortunam. Quantum in bello posset ferrum tantum in Repub. eloquentiam valere. Cùm vidisset aliquando iuuenem luxuriosum, ecce, inquit, * quadrata statua, habens syrma, ventrem, pudenda, barbam. Hominum fastu turgidorum aiebat circumcidi oportere altitudinem, sensumq; relinquere. Iuuenes asserebat oportere domi quidem parentes, in itineribus autem obuios, in solitudine verò seipsos reuereri. Amicos dicebat secundis in rebus adesse aduocatos; in calamitatibus autem sua sponte atque inuocatos. Fuerunt autem Demetrij memorabiles viginti. Primus Chalcedonius orator Thrasymacho antiquior. Secundus hic ipse. Tertius Byzantius

*χρείας.

*τετράγωνος ἑρμῆς

peripateticus. Quartus qui cognominatus est γραφικὸς, apertus atque ad differendum facilis, idemq; ipse pictor. Quintus Aspendius, Apollonij Solensis discipulus. Sextus Calantianus qui de Asia & Europa scripsit libros viginti. Septimus Byzantius qui tredecim libris Gallorum ex Europa in Asiam transitum, & octo aliis Antiochi & Ptolemaei gesta, Libyaeq; sub ipsis administrationem conscripsit. Octauus sophista qui moratus Alexandriae artes oratorias scripsit. Nonus Adramytinus grammaticus, Ixion appellatus, quòd Iunonem in aliquo iniuriis affecisse videretur. Decimus Cyrenaeus grammaticus cognomento Stannus, vir sanè memorabilis. Vndecimus Sceptius vir diues ac nobilis, & in primis studiosus. Hic etiam Metrodorum ciuem promouit. Duodecimus grammaticus Erythraeus, ciuis adscriptus in Mno. Decimus tertius Bithynius Diphyli Stoici filius, discipulúsque Panaetij Rhodij. Decimus quartus orator Smyrnaeus. Atque isti quidem prosa oratione scripserunt, poëtę autem hi. primus qui comoediam scripsit. Secundus Epicus poëta, cuius illa sola habentur, quae aduersus inuidos scripsit:

Ζωὸν ἀτιμήσαντες, ἀποφθίμενον ποθέουσι.

Καὶ

Καὶ ποθ' ὑπὲρ τύμβοιο, καὶ ἀπνόου εἰδώλοιο
Ἄστεα νεῖκος ἐπῆλθεν, ἔριν δ' ἐστήσατο λαοῖς.

hoc est,

Oderunt viuum quem mox post funera quærent.
Et super exanimi nonnunquam vmbra,atq; sepulcro
Cōtēdere vrbes amplę,populiq; potētes.

Tertius ex Tharso Satyricus. Quartus Iambicus vir, amarulentus. Quintus sculptor, cuius Polemo meminit. Sextus Erythræus, varius scriptor, qui historicos & oraticos conscripsit libros.

HERACLIDES PONTICVS.

Heraclides Eutyphronis filius, Heracleotes è Ponto vir diues Athenas concessit. Vbi primum quidem Speusippo se in disciplinā dedit, Pythagoreorúmque auditor fuit. Platonemq; imitari nitebatur. Postremò, vt Sotion in successionibus ait, Aristotelem audiuit. Hic molliculа veste vtebatur,tumētiq; fuit corpore, adeò vt illum Attici non iam Ponticum,sed pōpicum vocarent. Porrò incessu mitis erat, & verendus. Feruntur ingenij illius monumenta præclara atq; optima. Dialogi, quorum quæ ad mores instituendos faciunt, sunt hæc: de iustitia tres, vnum de tempera

perantia, de pietate, de fortitudine, communitérque de virtute vnum; de felicitate vnum, de principio vnum, de legibus vnum, déque his affinibus, de nominibus vnum, pacta vnum, Inuitus amatorius, & Clinias vnum. Naturales verò, de mente, de anima, seorsumque de anima, & de natura, &* imaginibus, seu simulacris. Aduersus Democritum, de cœlis vnũ, de his quæ sunt apud inferos, de vitis duo, de causis morborum vnum, de bono vnum, aduersus Zenonem vnum, aduersus Metronem vnum. Grammatici verò, de Homeri & Hesiodi ætate duo, de Archiloco & Homero duo. Musici verò de his qui apud Euripidem & Sophoclem reperiuntur, duo, de musica duo. Solutionum Homericarum duo. Theorematicus vnum, de tribus tragicis vnum, figuræ vnum, de poëtica & poëticis vnum, de cõiectura vnum, de præscientia vnum, Heracliti enarrationes quatuor, in Democritum enarrationes vnum, Solutionum quæ in contentionem veniunt duo, proloquium vnum, de speciebus vnum, Solutiones vnum, monita ad Dionysium vnũ. Rhetorici duo; de oratoris officio, siue Protagoras. Historici, de Pythagoreis; & de inuentis, Ex his alia quidẽ

*εἰδώλων.

comi

comicè finxit, ficuti de voluptate, & pudicitia. Alia tragicè, ficut de his quæ funt apud inferos. & de pietate, & de poteftate. Obferuat autem fæpenumero, & mediocritatem in dicendo quandam veluti philofophis, & ducibus ciuibusq; viris adinuicem loquentibus. Extant illius fcripta, & de geometria, & de dialectica. Eft autem in omni genere orationis varius, & dictione diftinctus, maximamq; habet capiendi animos, atq; oblectandi vim. Sunt qui affetant illum, & patriam à tyrãno liberaffe, eo necato, vt ait Demetrius Magnefius in ὁμωνύμοις, qui de illo tale aliquid tradit. Nutriffe eum à puero draconem, & cùm iam moriturus effet, iufsiffe cuidam ex neceffariis, vt eius corpus occuleret, draconemq; fupponeret lectulo, vt putaretur ad deos migraffe, factumq; eft, vt ille mãdauerat. Interea cùm Heraclidem efferrent ciues, atq; laudibus profequerentur, audito clàm ore draco ex veftibus prodiit, perturbauítque plurimos. Tandem verò aperta funt omnia, vifusq; eft Heraclides, non qualis putari voluit, fed qualis erat. Eft & in hunc noftrum epigramma:

Ἤθελες ἀνθρώποισι λιπεῖν φάτιν ἡρακλείδη,
Ὥς ῥα θανὼν ἐγένου ζωὸς ἅπασι δράκων.

Ἀλλὰ Δαψόνδης σεσοφισμένε. Δὲ γὰρ ὁ θὴρ

Ἦε δράκων, σὺ δ' ἦ θὴρ, ὃ σοφὸς ὢν ἕαλως.

hoc eſt,

Mirum Heraclides quid tantum optaueris amens
Poſt mortẽ nobis vt viderere draco.
Falſus at es, mihi crede, fuit nam bellua verè
Ille draco, ſed eras bellua non ſapiens.

Hæc Hippobotus quoque ait. Cæterùm Hermippus Heracleotas tradit, cùm fames vaſtaret prouinciam, incommodi abſolutionẽ ex Pythia quæſiſſe. Porrò Heraclidem Theoros, & quam memorauimus Pythiam quoq; corrupiſſe pecuniis, vt dicerent tunc demum eos leuandos incommodis, ſi & viuum Heraclidem Euthyphronis filium, aurea corona honorarent, & vita functum, vt heroëm venerarentur. At vbi oraculum delatũ eſt, nihil eos qui hanc ſcenam finxerant, inde eſſe lucratos. Continuò enim coronatũ in theatro Heraclidem ſtupidum atque tactum ſydere eſſe, Theoros verò * deuolutos interiſſe, Pythiámque ipſa hora cùm aſcendiſſet, in adytum draconis morſu continuò efflaſſe

* κατακρημνισθέντες.

anim

animam, atq; iſta quidem de ipſius morte. Tradit autem Ariſtoxenus muſicus illum tragœdias etiam ſcripſiſſe, Theſpidiſq; illas prænotaſſe titulo. Climacleon quoque ait illa ſua furatum de Homero, & Heſiodo ſcripſiſſe. Autodorus quoque Epicureus illum arguit, contradicens iis, quæ ille de iuſtitia ſcripſit. Inſuper & Dionyſius Metathemenus, ſeu vt alij volunt Spintharus Parthenopæum ſcribens, Sophocli inſcripſit. Ille ita credens, in quibuſdam commentariis ſuis eius teſtimoniis veluti Sophoclis vtitur. Id ſentiens Dionyſius, illo negante & diffitente miſit ex * exemplari videndos verſus, & ita per omnia habebat. Amabat autem iſte Dionyſium, verùm ille neq; ita fidem accommodans, fortè aiebat & fieri poſſe, vt ita ſe haberet, rurſus ad illum ſcripſit Dionyſius, Hæc profectò comperies:

* παρα-ϛιχίδα.

Γέρων πίθηκος ὀυχ ἁλίσκεται πάγη,
Αλίσκεται μὲν, κατὰ χρόνον δ' ἁλίσκεται.

hoc eſt,

Laqueo vetuſtā non prehendes ſimiam.
Prendes quidem illam, quamuis ægrè
id denique.

Et hæc, Heraclides literas ignorat, nec erubeſcit. Fuerunt autem XIIII. Hera-

clides. Primus hic ipse. Secundus conterraneus huius qui pyrrhichas, nugasq; cõposuit. Tertius Cumanus qui Persica quinque libris absoluit. Quartus Cumanus orator qui artes rhetoricas scripsit. Quintus Callicianus siue Alexandrinus, qui sex libris successionem explicuit, orationémque Lembeuticam; vnde & Lembus vocabatur. Sextus Alexandrinus Persicarum proprietatum scriptor. Septimus dialecticus Bargyleites qui contra Epicurum scribit. Octauus medicus Hicesius. Nonus medicus Tarentinus empiricus. Decimus poëticus qui * præcepta conscripsit. Vndecimus sculptor Phocensis. Duodecimus argutus epigrammatum poëta. Decimustertius Magnesius, qui scripsit Mithridatica. Decimusquartus qui conscripsit de astrologia.

* παραινέσεις.

*

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHORUM VITA,

LIBER VI.

ANTISTHENES ATHENIENSIS.



NTISTHENES Antisthenis filius, Atheniensis fuit. Dicebatur autem non esse indigena. Quod cùm sibi probro daretur, dixisse fertur, & Deûm mater Phrygia est. videbatur enim illius mater ex Thracia. Vnde cùm in Tanagrensi pugna fortiter se gessisset, autor fuit Socrati, vt dicerẽt: Ex duobus Atheniensibus ita fortem nunquam natũ esse. Ipse quoq; Atheniensibus quòd indigenæ essent gloriantibus exprobrans dicebat, illos * brucis & cocleis nihilo nobiliores. Hic initio quidem Gorgiam audiuit oratorem. Vnde & in dialogis oratorium dicendi genus exprimit, maximeq; in veritate, & exhortatione. Hermippus autem ait illum in celebritate Isthmia vituperare, ac laudibus efferre solitum Athenienses, Thebanos, & Laced

* ἀττελά βων.

Lacedæmonios, deinde id vitasse intuentem plurimos ex vrbe cōfluere. Postremò Socrati sese addixit, tantūq; cum illo profecit, vt moneret discipulos, vt sui sub Socrate essent cōdiscipuli. Commoransq; in Pireo quotidie, quadraginta stadiis emensis audiebat Socratem, à quo & tolerantiam addiscens tranquillitatis illius imitator effectus, cynicam primus sectam instituit, princepsq; in ea fuit. Quódque labor bonū esset, magni Herculis, ac Cyri exemplo persuadebat, id à Græcis, hoc à Barbaris mutuatus, primusq; definiuit sermonē, dicens: Sermo est quicquid sit aut fuerit, exprimit. Dicebat autem identidem, Insania potius, quàm voluptate afficiar. & illud: Cùm eiusmodi mulieribus consuetudinem habendam, quæ beneficio beneficium retalient. Ponticò adolescenti cùm se illi in disciplinam dare vellet, rogarétque, quánam re sibi opus esset: Libro, inquit, nouo, & stylo nouo, nouaq; tabella, animū significans. Interrogati cuiusmodi vxorem duceret: Si, inquit, formosam duxeris, * communem habiturus es, si deformem, pœnam. Cùm audisset Platonē aliquando sibi maledicere: Regium, inquit, est malè audire, cùm bene feceris. Cumq; aliquan

* Græcè iucūdior παρονομασία in κοινὴν et ποινήν.

aliquando Orphicis mysteriis initiaretur, diceretq; sacerdos, eiusmodi initiatos bonis plurimis apud inferos perfrui, Cur igitur, ait, ipse non moreris? Probro ei dabatur aliquando, quòd non esset ex duobus liberis genitus: Neque, inquit, ex duobus luctatoribus, & tamen luctator sum. Interrogatus cur paucos haberet discipulos quòd, inquit, argentea illos virga eiicio. Rogatus item cur in discipulos acriter inueheretur, & medici, inquit, in languidos. Cùm vidisset aliquando fugientem mœchum, Ò inquit, infelix quantum periculi vno obolo vitare potuisti. Præstare dicebat, vt Hecatō ait, necessitate vrgente * in coruos, quàm assentatores incidere: illos quippe mortuos, istos viuentes deuorare.

* κόρακας ἢ κόλακας.

Rogatus quid nam apud homines esset beatissimum: Felicem, inquit, mori. Familiari quodam apud se deplorante, quòd perdidisset cōmentaria, oportebat, inquit, ista animo potius, quàm chartis inscribere. Sicuti rubigo ferrum, ita inuidiam inuidos consumere aiebat. Eos qui cuperent immortales esse, oportere dicebat piè viuere ac iustè. Ciuitates tunc interire aiebat, cùm bonos discernere nequeūt à malis. Cùm aliquādo à malis laudaretur: Mi-

ſerè, inquit, metuo, ne fortè mali quippiam fecerim. Fratrum qui eſſent cõcordes conuictum omni muro dixit eſſe fortiorem. Ea dicebat paranda viatica, quæ cum naufragio ſimul enatarent. Probro illi dabatur aliquando quòd congrederetur malis: At medici, inquit, inter ægrotos verſantur, neque tamen febricitant. Ab-
* αἴρας. ſurdum eſſe dicebat triticũ purgare * lolio, bellúmque inutili milite, Rem verò publicam inuidis non exhaurire. Rogatus quidnã ex philoſophia lucratus eſſet, mecum, ait, colloqui poſſe. Cuidam ſibi in
* αὐλη- cõuiuio dicenti, cane, tu mihi, inquit, * ti-
σον. bias infla. Diogeni tunicam petenti, pallium explicari iuſsit. Interrogatus quænã eſſet diſciplina magis neceſſaria, mala, inquit, dediſcere. Eos hortabatur qui maledictis inceſſerentur tolerare, magis quàm ſi lapidibus ſe quiſpiam ageret. Platonem inſimulabat, vt faſtu turgidum. Cùm ergo fieret pompa, inſpiciens hinnientem frementemq; equum, ad Platonem conuerſus: Tu, inquit, iudicio meo præclarus fuiſſes equus. Venerat aliquando ad eum ma-
* λεκά- la valetudine affectum, & cùm * vas cer-
νην. neret vbi Plato vomerat: Bilem, inquit, video, faſtum verò non video. Athenien-

ſibus

ſibus conſulebat, aſinos vt equos diligerent. Quod cùm illi ab aratione alienum dicerent, at; inquit, apud vos duces erunt qui nihil didicerunt, ſolúmque deſignati ſunt. Dicenti ſibi cuidam, multi te laudāt, quid enim, ait, mali feci? Cùm pallij diſciſſam partem cōuerſam in conſpectum dediſſet, intuitus Socratres, video, inquit, per pallium tuam vanitatem. Interrogatus à quodam, vt ait Phanias in libro de Socraticis, quidnam faciendo bonus, & honeſtus euaderet: Si mala, inquit, quę habes, ab iis qui nouerunt didiceris eſſe fugienda. Cuidam delicias laudanti,* inimici, ait, delicatè viuant. Adoleſcenti qui ſe fictori ſuo conformabat, dic ait; ſi vocem æs acciperet, quánam in re gloriaretur, illo dicente, in pulchritudine: Non igitur, inquit, erubeſcis qui cum inanimi groriaris? Pontico adoleſcente pollicente illum ſibi fore curæ, ſi nauis applicaret qua ſalſamenta vehebantur; ſumpto illo & vaſe nouo, abiit ad eam quæ farinam vendebat; & oneratus abibat. Illa verò pretium petente, hic, inquit, adoleſcens dabit, ſi ſalſamentorum ipſius nauis applicuerit. Ipſe Anyto exilij, & Melito mortis autor fuiſſe videtur. Námque Ponticis

* ἐχθρῶν παῖδες.

iuuen

iuuenibus ob Socratis gloriam ſolicitatis cum incidiſſet, eos ad Anytum abduxit, dicens illum moribus ſapientiorem eſſe quàm Socratem, qua ex re indignatos circunſtantes effugaſſe illum. Sicubi verò ornatam offendiſſet mulierem, ad domum illius proficiſcebatur, iubebátque virum eius equū proferre & arma, vt ſi quidem hæc illi eſſent, deliciis vacare ſineret, his enim iniurias propelleret: ſin aliàs, cultum amoueret. Quæ autem illi placuere, iſta ſunt: Docibilem eſſe virtutem. Eoſdem eſſe nobiles, ac ſtudioſos. Sufficere virtutem ad beatam vitam nullo indigentem, niſi Socratis viribus. Virtutem quoque operum eſſe, neque verbis multis, neque diſciplinis indigentem, ſapientemq; ſibi ipſi ſufficere: Ipſius enim eſſe quæ aliorum ſunt omnia. * Gloriæ priuationem bonū eſſe labori ſimile. Sapientem non ſecūdum conſtitutas leges victurum, ſed iuxta virtutis normam, ducturúmque vxorem procreandorum liberorum cauſa, formoſiſsimis quibuſq; congreſſurum mulieribus, atq; amaturum. Solum quippe ſcire ſapientē qúænam ſit amanda. Inſcribit illi Diocles, & iſta, Sapienti peregrinum aut nouum, nihil, neq; indignus eſt qui

* ἀδοξίαν.

est qui ametur vir bonus. Studiosi amici propugnatores faciunt, qui animosi & iusti sunt. Virtutem arma esse quæ tolli non posint. Præstat cum paucis bonis aduersus malos omnes, quàm cum multis malis aduersus paucos pugnare. Solicitè obseruādos inimicos, primi enim peccata sentiūt. Iustum virum pluris faciendū quàm propinquum. Viri ac mulieris virtus eadem. Bona pulchra, mala esse turpia. Iniqua omnia aliena puta atque peregrina. Murū tutissimum prudentiam esse, neq; enim decidere, neque prodi. Mœnia struenda in nostris animis quæ capi non possunt. Disserebat autem in gymnasio quod κυνόσαργες appellatur, non longe à portis ciuitatis. Vnde quidam cynicam sectam appellatam voluit, ipseq; cognominabatur ἁπλοκύων, ac primus pallium, vt ait Diocles, duplicauit, ipsoq; solo vtebatur, baculumq; sumpsit ac peram. Primus autem, vt Neanthes tradit, simplicis quoque pallij vsum habuit. Porrò Sosicrates in successionum tertio, Diodorum Aspendium & barbam demisisse, & baculo, & pera vsum esse ait. Hunc solum ex omnibus Socraticis Theopompus laudat, dicens fuisse acutissimum, & ex suauitate colloquij quem-
 libet

libet capere ac ducere quò vellet. Liquet id autem ex libris suis, atque ex illo Xenophontis symposio: videturq; & grauioris sectæ Stoicæ princeps fuisse. Quocirca & Athenæus poëta epigrammatum sic de illis ait,

Ὦ Στωϊκῶν μύθων εἰδήμονες, ὦ πανάριστα
Δόγματα ταῖς ἱεραῖς ἐνθέμενοι σελίσι
Τὰν ἀρετὰν ψυχᾶς ἀγαθὸν μόνον, ἅδε γὰρ ἀνδρῶν
Μούνα καὶ βιοτὰν ῥύσατο καὶ πόλιας.
Σαρκὸς δ' ἡδυπάθημα φίλον τέλος ἀνδράσιν ἄλλοις
Ἡ μία τῶν μνήμης ἤνυσε θυγατέρων. id est,

Stoicidæ spectata à cohors, quē insignia sacris
Mandatis melius dogmata vestra libris.
Vnam animi summum virtutem culmen habere
Vrbes quod seruet sola quod ipsa homines.
Carnis at illecebras aliis, sibi finis vt esset
Vnica perfecit filia Mnemosynes.

Hic & Diogeni trãquillitatis, & Crati continentiæ, & Zenoni tolerantiæ dux & autor fuit. Ipse qui ciuitati fundamenta subiecit. Enimuero Xenophon suauissimum
in coll

in colloquio fuisse ait,atque in rebus aliis continentissimum.Feruntur & ipsius scripta tomi x. Primus in quo de dictione siue de figuris.Aiax siue aiacis oratio. Vlysses siue de Vlysse.Orestis defensio, de causidicis. Isographe siue Desias siue Isocrates,aduersus Isocratis ἀμάρτυρον. In secundo tomo de animalium natura,de procreatione filiorum, siue de nuptiis amatorius, de Sophistis φυσιογνωμικός. Exhortatorius primus,secũdus, tertius,de Teognide quinto.Tomus tertius,in quo de bono, de iustitia,de fortitudine,de lege siue de Republica,de lege siue honesto & iusto, de libertate & seruitute.de fide & curatore, de interrogatione, de victoria.Oeconomicus. In quarto tomo Cyrus, Hercules maior siue de fortitudine. In quinto tomo Cyrus siue de regno.Aspasia.In sexto tomo in quo veritas, de disserendo ἀντιλογικός. Sathon de contradictione tres,de locutione.In septimo tomo, de disciplina siue de nominibus quinque,de moriendo, de vita & morte,de his quæ sunt apud inferos,de vsu nominum siue contentiosus, de interrogatione & responsione,de opinione & scientia quatuor, de natura duo. Interrogatio de natura duo, Opiniones siue contentio-
 sus,

ſus,de addiſcendo problemata. In octauo tomo de muſica,de expoſitoribus, de Homero, de*iniuſtitia, & impietate, de Calchante, de exploratore, de voluptate. In nono tomo de Odyſſea. de virga Mineruæ,ſiue de Telemacho,Helena, & Penelope,de Protheo,Cyclops,ſiue de Vlyſſe, de vini vſu, ſiue de ebrietate, ſiue de Cyclope.de Circe, de Amphiarao, de Vlyſſe, & Penelope.de cane.In x.tomo Hercules,ſiue Midas,Hercules,ſiue de prudentia, ſiue de fortitudine. Dominus, ſiue amans.Dominus,ſiue exploratores.Menexenus,ſiue de imperio.Arcibiades, Archelaus, ſiue de regno. Atque ita quidem ſcripſit. Timon autem ob multitudinem eorum quæ ſcripſit increpans illum, * ingenioſum nugatorem eum dixit.Obiit morbo, quo tempore Diogenes ingreſſus ad illum dixit, Num amico opus eſt? aliquando item intrauerat ſicam habens, ad quem ille cùm diceret, quis me doloribus abſoluet? ille oſtenſa ſica, hæc ait: & ille, doloribus dixi, non vita. Videbatur enim ferme mollius præferre morbum præ amore vitæ.Eſt autem noſtrum epigramma in Antiſthenem ita ſe habens:

*ἀδικίας

* παντοφυῆ φλέδονα.

Τὸν

Τὸν βίον οἶδα κύων Ἀντίσθενες, ὧδε πεφυκὼς
Ὥστε δακεῖν κραδίην ῥήμασιν οὐ στόμασιν.
Ἀλλ' ἔθανες φθισικός, τάχ' ἐρεῖ τις ἴσως. τί τοῦτο;
Πάντως εἰς ἀΐδην δεῖ τιν' ὁδηγὸν ἔχειν;

hoc est,

In vita canis acer erat Antisthenes, vt tu
Morderes verbis, haud tamen ore homines.
Mortuus es phthisicus. verùm quis fortè rogabit,
Nónne ducem ad manes prorsus habere opus est?

Fuerunt autē & alij Antisthenes tres. Vnus è schola Heracliti. Alius Ephesius. Tertius Rhodius quidam historicus. Quoniam verò eos qui ab Aristippo fluxere, ac Phædone transegimus, age nunc illos qui ab Antisthene venerunt Cynicos, Stoicos hoc ordine adiiciamus.

DIOGENES.

Diogenes Icesij mensarij filius, Synopeus fuit. Fugisse illum, cùm pater eius publicè mensam haberet, ac pecuniā adulteraret, Diocles autor est. Porrò Eubulides in libro de Diogene, Diogenem ipsum hoc fecisse ait, & cū patre vnà pul-

ſum fuiſſe. Ipſe quoq; in Podalo de ſeipſo ait, falſo ſignare monetam. Quidam verò eũ cùm curator effectus eſſet, perſuaſum ab opificibus aiunt veniſſe Delphos, atq; Delum, in patriã Apollinis, percõtatumq́; eſſe an id ageret quod ei ſuaderetur, quod cùm ſibi permiſſum eſſet, euentũ rei non intelligens, de ciuili moneta æs adulteraſſe, deprehenſumq́;, vt quidã volunt, exilio damnatum eſſe, vt autem alij putant, metu perterritum ſponte patriam liquiſſe. Sunt qui dicunt illum à patre acceptam pecuniam * adulteraſſe, neq; illum quidem in carcere diem obiiſſe, hũc autem effugiſſe, profectumq́; Delphos ſciſcitatũ eſſe, vtrũ pecuniã falsò ſignaret, & quid faciens clariſsimus futurus eſſet, atq; ita hoc oraculũ cepiſſe. Cùm verò Athenas conceſsiſſet, conuenit Antiſthenem. Eum ille cùm repelleret, quippe ex conſtituto ſuo neminẽ recipiebat, vicit perſeuerantia ſua, illo ſiquidem aliquando intentante baculum, ſubiecto capite, cæde, inquit, non enim ita durum baculum reperies, qui me abs te, quandiu aliquid dixeris, arcere poſsit. Hic iam auditor illius factus eſt, ac veluti profugus ex patria ſe ad victum ſimplicẽ contulit. Conſpecto, vt Theophraſtus ait, in

* παραχαράξαι quod variè veriti interpres.

aliàs, τῇ προσεδρίᾳ ἐξεβιάσατο.

Megar

Megarico mure discurrente, qui neq; cubiculum inquireret, neq; tenebras reueretur, neq; aliquid eorũ, quæ ad vescendum idonea viderentur, appetere, & ipse casus suos consolatus est. Pallium, vt quidã volunt, primus duplicatum in vsu habuit, ob necessarium vsum, vtq; illo se dormiẽs obuolueret, peramq; tulit, in qua & cibos ferebat, omniq; ad omnia vtebatur loco, & prandens & dormiẽs & loquens. Quocirca & Atheniẽses aiebat Iouis porticum ostendẽs, sibi condidisse*palatium vbi vesceretur. At baculo quidem primũ innitebatur cùm infirmus esset, deinceps autẽ eũ semper ferebat, non quidẽ in vrbe, sed iter agens, vnà cũ pera, vt refert*Athenodorus Atheniensiũ princeps, & Polyeuctus rhetor, & Lysinias Aeschrionis filius. Cũ autẽ ad quendam scripsisset vt sibi pararet cellulam, & ille tardius id exequeretur, dolium, quod in Metroo erat, pro domo habuit, sicut & ipse in epistolis testatur. Atq; estate quidem sese in feruida harena volutabat, hyeme verò statuas niue perfusas complectebatur, omni ex parte seipsum ad laborum tolerantiam exercens. Acer item erat in despiciẽdis aliis. Vnde & Euclidis scholam, alludens ad nomen χολὴν,

*πομπεῖον.

*ὀλυμπιόδωρος. Olympiodorus & princeps. προστάτης, ἄρχων.

*διατρι- id est,bilem appellabat,& Platonis*audi-
βὴν, κα- torum,cõſumptionem. Dionyſiaca certa-
ταΤριβὴν. mina,magna miracula ſtultorum dicebat. Oratores,turbæ miniſtros.Dicebat autem cùm intueretur,in vita gubernatores,medicos,atque philoſophos,animaliũ omniũ ſapientiſsimum hominem eſſe. Cum autẽ contrà inſpiceret ſomniorum interpretes, coniectores,vates, vel huiuſmodi cæteros, vel qui gloriæ aut diuitiis addicti eſſent, tunc demũ nihil ſe ſtultius exiſtimare homine. Aiebat arbitrari ſe, in vita ſæpius
*λόγον,ἢ parandum*verbum quàm laqueum.Intui
βρόχον. tus aliquando Platonem in conuiuio magnifico guſtantẽ oleas,quid,inquit,ſapiens vir in Siciliam huiuſmodi menſarum gratia profectus, appoſitis modo non frueris? Et ille,at Hercle,inquit,Diogenes, & illic oleis & reliquis eiuſmodi vt plurimum veſcebar.Et ille,quid,inquit,Syracuſas nauigare oportebat, an tunc Attica oleas nõ ferebat? Phauorinus in omnimoda hiſtoria Ariſtippum hoc dixiſſe tradit. Et præterea aliquando caricas comedens obuiauit illi,dixitq;,licet tibi deguſtare,qui cùm acceptas ediſſet,deguſtare dixi, non deuorare.Calcans ipſius aliquãdo ſtratum,præſentibus Dionyſij amicis quos ille inuitarat,

rat, dixit, Calco Platonis inane ſtudium: ad quem Plato, quanto, inquit, ò Diogenes faſtu tumes dum ſuperbiam te calcare putas. Alij Diogenem hoc dixiſſe ferunt, calco Platonis faſtum, illumq; reſpondiſſe, at faſtu alio Diogenes. Porró Sotion in quarto refert hoc illi dixiſſe Platonem cinicũ. Vinum aliquando poſtularat ab eo Diogenes atque caricas, at ille legenam integram miſit: ad quem Diogenes inquit, ſi quidem rogatus fueris, duo & duo quot ſunt, reſpondes viginti, ita neque ſecundum ea quæ poſceris das, neque ad quæ rogaris reſpondes: notabat autem illum vt * verboſum. Interrogatus vbinam Græciæ viros vidiſſet bonos: viros quidẽ, ait, nuſquam, ſed Lacedæmone pueros vidi. Cùm ſerio quandoque loqueretur, nemoq; ſibi intenderet, *ſeſe ad ſonum muſicum contulit. Congregatis autem ad ſe plurimis exprobrauit quòd ad inepta ſtudiosè concurrerent, ad ea verò quæ grauia eſſent & vtilia negligenter conuenirent. Dicebatq; *de fodiendo & calcitrando certare homines, vt autem boni & probi fierent, curare neminem. Grammaticos admirabatur, quòd cum Vlyſsis mala requirerent, ſua ignorarent. Muſicos itidem in

* ἀπεραντολόγον.

* ἐπέβαλε περετίζειν.

τοῦ παρορύττειν.

ius vocabat, quòd cum lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. Sed & mathematicos carpebat, quòd solem & lunam & sydera intuentes, quæ ante pedes essent negligerent. Oratores item, quòd studerent iusta dicere, nō autem & facere. Auaros quoque quòd pecuniam vituperarent, ac summè diligerēt. Reprehendebat eos, qui iustos quidem, quòd pecunias contemnerent, laudabant, pecuniosos verò imitari satagebant. Stomachabatur eis qui pro bona valetudine sacra facerent, inter sacrificia contra sanitatem cœnarent. Seruos mirabatur, qui cum edaces dominos cernerent, nihil diriperent ciborum. Laudabat eos, qui vxores ducturi fuissent & non ducerent, & qui nauigaturi non nauigarent, quiq; accessuri ad rempub. minimè accederent, & qui pueros habituri in deliciis se continerent, & qui se componerent ad conuiuendum regibus, neque tamen accederent. Dicebat manus ad amicos non complicatis digitis extendi oportere. Refert * Hermippus in auctione Diogenis, quod captus ac venditus, cùm rogaretur quid sciret agere, responderit scire se viris imperare, atque ad præconem, prædica, inq

* *Aliàs, Menippus.*

ca, inquit, quisnam dominum sibi emere vult? Sedere prohibitus, nihil, inquit, refert, nam & pisces quomodolibet iaceant emi. Mirari dicebat, cùm ollam quidem ac operculũ non sine tactu ac tinnitu emamus, solo in homine emẽdo aspectu contẽti sumus. Dicebat Xeniadæ emptori suo, ipsum sibi, quãuis esset seruus, obtẽperare oportere, nam & medicus & gubernator, si seruus, vtique sibi pareretur. Eubulus verò in libro qui inscribitur Diogenis auctio, ita filios Xeniadæ instituisse ait, post disciplinas reliquas equitare, arcus intendere, fundas rotare, atque iaculari. Deinde in palæstra non permittebat pædotribæ eos in morem athletarum exercere, sed id roboris tantum, & bonæ valetudinis gratia. Tenebant verò pueri, poëtarum, ac scriptorum aliorum ipsiúsque Diogenis plura memoriter, omnemq; illis doctrinæ rationem vt facilè memoria teneretur, breuiter collectam insinuabat. Domi quoque ministrare docebat cibo leui, ac vili contentos & aqua. Tonderi ad * cutem iubebat, incompositosq; ducebat, ac sine tunicis, & calceis tacitos, ac se tantum in via induentes. Educabátque eos & ad venationes. Contrà illi Diogenis curam habebant,

* ἐν χρῷ.

bant, parentibúsque commendabant. Senuisse ipsum apud Xenoniadem, idē ipse autor est, ac vita functum à filiis eius fuisse sepultum. Vbi percontante Xeniade quomodo se sepeliri mallet, in faciem inquit. Illo causam interrogante, quoniam, inquit, post paulum inferiora conuertenda sunt. Dixit autem hoc quia Macedones iam obtinerent, atque ex humilibus sublimes fierent. Cùm se quispiam in domum magnifico instructam apparatu induxisset, & spuere vetaret, posteaquam excreauit in illius faciem sputa coniecit, deteriorem locum vbi spueret se non inuenisse dicens. Alij Aristippo id applicant. Cùm clamasset aliquando, heus homines, conuenissentq; plurimi, baculo illos agebat dicens, homines non purgamenta vocaui. Ait hoc Hecato in primo de vsu. Alexandrum dixisse ferunt, quòd nisi Alexander esset, Diogenē se esse voluisset. * Debiles dicebat non surdos aut cæcos, sed qui peram non haberent. Ingressus aliquando semitonso capite conuiuium iuuenum, quemadmodum scribit Metrocles in vsibus, plagas retulit. Postea nomina illorum qui se cæciderant inscribens circuibat in Leucone, ea præse ferens. Ita illis vicem

* ἀναπήρους.

vicem contumeliæ reddidit, dum reprehendendos & obiurgandos omnibus exposuit. Dicebat se canem esse laudatorum, verùm laudantium neminem secum ad venandum exire audere. Dicente quodam se in Pythia vincere viros, equidem, inquit, mancipia. Cùm diceretur sibi, senex es, iam quiesce à labore, quid enim, ait, si in stadio currerem, ad finem oporteret cursum remittere, & non magis intendere? Vocatus ad cœnam, affuturum se negauit, neque enim sibi priore die gratiam habitam. Nudis pedibus calcabat niuem, & alia quæ prædicta sunt, crudas itē carnes edere conatus est, sed in eo non perstitit. Offendit aliquando Demosthenem oratorem in diuersorio prandentem. Illo autem cedente, tanto, inquit magis in diuersorio futurus es. Peregrinis aliquando Demosthenem videre cupiētibus, medium intendens digitum, hic, ait, vobis est ille Atheniensium orator. Panem eiiciente quodam & resumere erubescente, castigare illum volens, vrcei collum per figuli trahebat officinam. Imitari se dicebat chori magistros. Illos enim tonum excedere, vt reliqui congruum tonum arriperent. Plurimos aiebat insanire præter

digitum. Si quis igitur medium digitum prætendens pergat, insanire videbitur, sin autem * indicem, non ita. Quæ sunt pretiosissima, ea minimo venire, & contrà. Nam statuam tribus millibus emi, farinæ verò chœnicem duobus æreis. Et qui se emerat Xeniadæ dixit, vide, vt quod præcipitur facias, dicente illo,

*λιχανὸν.

Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί,

hoc est,

Sursum sacrorũ fluminũ fluunt fontes. At si medicum, ait, æger emisses, non illi obtemperasses, sed diceres ἄνω ποταμῶν; volebat quispiam apud eum philosophari, cui ille * pernam dedit, ac sequi se iussit. Vt autem ille præ verecũdia abiecto quod ferebat abscessit, post aliquantulum occurrens illi ridens ait: Tuam & meam amicitiam perna dissoluit. Enimuerò Diocles eam rem ita describit. Dixerat illi quidam, impera nobis Diogenes. At ille abducto casei frustum ferendum dedit. Illo renuente, meam, inquit, ac tuam amicitiam modicum casei dissoluit. Intuitus aliquando puerum concaua bibentem manu, cotylam pera productam abiecit dicens, puer me vtilitate superauit. Proiecit & cantinum eodem studio, cum vidisset puerum

*σαπέρδην.

vascu

vasculo fracto, *concauo pane lenticu- *κοίλῳ τῷ ψω-
lam suscipientem. Ratiocinabatur autem μίῳ.
in hunc modum: Omnia deorum sunt.
Diis autem amici sapientes sunt. Sunt autem amicorum cuncta communia, omnia igitur sapientum sunt. Inspexerat mulierem inhonestius diis procidentem, eius superstitionem auferre volens, vt Zoilus Pergæus ait, accurrit dicens, Non vereris mulier ne forte stante post tergum deo, cuncta enim plena ipso sunt, inhoneste te habeas? Asclepio percussorem sacrauit, qui procumbentes in faciem accurrens contereret. Solebat enim dicere imprecationes tragicas sibi occurrisse, esse enim sine domo, sine ciuitate, priuatum patria pauperem, palantem, vitam in dies habentem. Aiebat se obiicere fortunæ quidem confidentiam, naturam legi, perturbationi rationem. Ad solem sedenti in Craneo sibi assistens Alexander ait, pete à me quod vis: at ille inquit, noli * mihi vmbram facere. Legerat quidem diutissimè, *ἀποσκό- τησόν μου.
cumq; ad finem libri nihil vltra scriptum esse ostenderet, bono, inquit, este animo viri, terram intueor. Ratiocinanti cuidã & concludenti illum habere cornua, manu frontem palpans, equidem, inquit, illa
non

non video. Itidem & dicente sibi quodam non esse motum, exurgens ambulabat. Ad eum qui de cœlestibus disserebat, quando, inquit, de cœlo venisti? Spadone quodam scelerato domui suæ inscribente, nihil ingrediatur mali: dominus, ait, domus quonam ingredietur? Vnguento inungens pedes dixit, à capite quidem in aërem ascendere vnguentum, sed à pedibus in olfactum. Rogantibus Atheniensibus, vt initiaretur, atque dicentibus, quòd apud inferos hi qui initiati sunt præsident, Perridiculum est, inquit, si quidem Agesilaus & Epaminundas in cœno degent, viles autem quique initiati in beatorum insulis erunt. Muribus ad ipsius mensam subrepentibus, ecce, inquit, Diogenes parasitos nutrit. Platone canem ipsum appelante, sanè, inquit, nam equidem ad venditores remeaui. E balneis exiens percontanti an multi homines lauarent, negauit. At roganti num turba multa, confessus est. Platone item definiente, Homo est animal bipes sine pennis, cùm placeret ista eius definitio, nudatum pennis ac pluma gallum gallinaceum, in eius inuexit scholam dicens, Hic Platonis homo est, vnde adiectum est definitioni, latis

vng

vnguibus. Interroganti quanam hora prandere oportet, si diues, inquit, est, quando vult, si pauper, cùm potest. Apud Megarenses intuitus oues pellibus tectas, illorum autem filios nudos, ait, præstat Megarensis arietem esse quàm filium. Ad eũ qui se trabe concusserat, ac posteà dicebat, caue: num, inquit, iterum me ferire vis? Aiebat oratores quidem plebis ministros, coronas autem gloriæ * bullas. *ἐξανθήματα.
Lucernam interdiu accendens, hominem aiebat quæro. Stabat aliquando manantibus perfusus vndis, his verò qui circunstabant illum miserantibus, Plato (nam & is aderat) si vultis, inquit, illum miserari, abite, gloriæ illius cupiditatem significans. Colaphum à quopiam accipiens, Hercle, ait, nesciebam me galea armato capite ambulare. Midia quoque ipsum colaphis cædente ac dicente, tria milia tibi in mensa posita sunt, postridie sumpto pugilum cestu, cæsoque sese illi dixit, tria milia tibi in mensa sunt posita. Lysia pharmacopola sciscitante, an deos esse crederet, Quomodo, inquit, non credo qui te diis inimicum puto? Alij Theodorum hoc dixisse ferunt. Quendam intuitus se vndis spargentem, ait:

O infelix an ignoras quoniam vt in grammatica erratis aſperſus non abſolueris, ita nec vitæ criminibus euades liber? Culpabat maximè ſi qui fortunam cauſarentur, dicens homines quæ ſibi bona viderentur, non quæ re vera bona eſſent poſtulare. Eis verò qui terrerentur ad ſomnia dicebat, ea quidem quæ vigilantes agitis. non moramini, quæ verò dormientes imaginamini, ea curioſè diſquiritis. In Olympia pronuntiante præcone, Dioxippus viros vicit, Hic, ait, mancipia, ſed ego viros. Amabatur autem & ab Athenienſibus. Nam adoleſcenti, cùm dolium illius contriuiſſet, plagas intulerunt, illíq; aliud dederunt. Refert Dionyſius Stoicus, illum poſt Cheroniam deprehenſum abductum eſſe ad Philippum, à quo, quid eſſet, interrogatus explorator, inquit, inſatiabilis auiditatis tuæ. Ex quo admirationi habitus, liber dimiſſus eſt. Miſerat aliquando Alexander epiſtolam Athenas ad Antipatrum per Athliam quendam cùm adeſſet Diogenes. Athlias, inquit, per Athlium ad Athlium. Perdica comminante niſi ad ſe veniret, illum ſe occiſurum, nihil, inquit, magni facies. Nam & cantharus & phalangium id facerent. Illud autem

non

non dubitabat contrà minari ac dicere, quòd si & absque se viueret, feliciter victurus esset. Clamabat autem sæpius hominum vitam facilè à diis dari, verùm occultari illam quærentibus * mulsum vnguenta, & his similia. Vnde & ei qui à famulo calciabatur, nondum, ait, beatus es, nisi te etiam abstergat: hoc autem erit, si manchus fueris. Cùm vidisset aliquando magistratus qui ἱερομνήμονες dicebantur, quendam ex ærario phialam furatum abducentes, magni, inquit, fures paruum ducunt. Intuens aliquando adolescentem lapides in crucem iacientem, euge, inquit, scopo potieris. Circunstantibus se adolescentibus, atque dicentibus, cauebimus, ne mordeas nos, bono, inquit, estote animo filioli, canis betis non vescitur. Glorianti cuidam quòd leonis pelle tegeretur, desine, inquit, virtutis stramenta pudefacere. Beatus dicebatur Callisthenes, quòd magnificis ab Alexandro apparatibus exciperetur: at ille, infelix, inquit, est, quòd prandeat ac cœnat cùm Alexandro videtur. Cùm pecuniis egeret, eas se ab amicis repetere non petere dicebat. Quandoque in foro manibus operans, vtinam aiebat, liceret sic perfricato

* μελίπηκτα.

ventre non esurire. Adolescentem intuitus cum satrapis ad cœnam abeuntem, abductum ad suos reuocauit, obseruarique iussit. Composito adolescenti quippiam roganti non prius se affirmauit responsurum, quàm apertè exploraret, vtrne esset
* κοττα-βίζον. an mulier. * Plaudenti lasciuius in balneo adolescenti, quanto, inquit, melius, tanto deterius. Inter cœnandum ossa illi quidam vt cani iactabant, at ille proprius accedens permingebat vt canis. Oratores atque omnes in dicendo gloriam quærentes, ter homines, pro eo quòd est ter infelices appellabat. Diuitem indoctum ouē
* χρυσό-μαλλον * aureo vellere dicebat. Cùm vidisset prodigi cuiusdam domui inscriptum, venalis, sciebam, inquit, quòd præ nimia crapula facilè dominum euomeres. Causanti adolescenti perturbantium se multitudinem, desiste, inquit, & tu perturbationis indicia proferre. Ingressus sordidum balneum, qui hic se lauant, ait, vbi lauantur? Cùm rudem pinguemq; citharœdum omnes causarentur, solus ipse laudabat. Rogatus quamobrem, ait, quòd talis cùm sit, cithara se, non latrociniis exerceret. Citharœdum qui semper ab auditoribus deserebatur, ita salutabat. Salue galle.

Illo

Illo autem dicente, cur ita, quia, inquit, canens omnes excitas. Cùm adolescentem plurimi inspicerent, ille * sinum lupinis complens se incuruabat. Multitudine in eum conuersa, mirari se dixit quomodo illo dimisso se intuerentur. Dicente quodam vehementer supercilioso, vno ictu caput tibi perfringam, at ego, inquit, à sinistris adstans te tremere faciam. Hegesia se deprecante, vt sibi librorum aliquid exponeret, stultus, inquit, es Hegesia, qui caricas quidem non scriptas eligis, sed veras: vera autem exercitatione neglecta te ad scriptam confers. Ei qui sibi exilium exprobrabat, at huius, inquit, miser causa, philosophatus sum. Alio rursus dicente, Sinopei te exilij, condemnant, & ego illos, inquit, mansione. Intuitus aliquando Olympionicem oues pascentem, quam citò, inquit, ò præclare, ab Olympiis ad * Nemea te contulisti. Rogatus cuius rei gratia athletæ nihil sentiunt, quia, inquit, suillis ac bubulis carnibus extructi sunt. Petebat aliquando statuam, rogatus cur hoc faceret, vt me, inquit, nõ potiri assuefaciam. Cùm postularet quempiam, quippe & hoc primum propter inopiam, dicebat, si quidem & alij dedisti,

* προκόλπιον.

* ἐπὶ τὰ νέμεα

mihi da, si verò nemini, à me incipe. Interrogatus aliquando à tyranno cuiusmodi ære præstaret statuam sculpere, quo, inquit, Harmodius & Aristogiton fusi sunt. Rogatus quomodo Dionysius amicis vteretur, vt * vasculis, ait, dum plena sunt suspendit, & abiicit vacua. Inscripserat quidam domui suæ, vxore nuper ducta, Iouis filius Callinicus Hercules hic habitat, nihil ingrediatur mali, inscripsit ipse, post bellum auxilium. Cupiditatem arcem omnium malorum dixit. Prodigum quendam intuitus oleas in diuersorio edentē, si sic prandisses, ait, non ita cœnares. Bonos viros imagines deorū esse. Amorem vacantium occupationē. Rogatus quidnam esset in vita miserum, senex ait, egenus. Quænam pernicissimè morderet bellua, ex feris, inquit, obtrectator, ex cicuribus autem adulator. Intuitus aliquando Centauros duos pessimè pictos, ait, vter horum * deterior est? Sermonem ad gratiam instructum melleum esse laqueum dixit. Ventrē vitæ Charybdim appellabat. Audiens Didymonem mœchum fuisse conprehensum, dignus est, inquit, ex ipso nomine suspendi. Rogatus cur pallens esset aurum, quia, inquit, multos habet insidiatores.

* θυλάκοις.

* χείρων ἐστι.

tores.

tores. Mulierem in lectica intuēs non secundum feram ait esse caueā. Fugitiuum seruum ad puteum sedentem cum vidisset, caue, inquit, adolescēs, ne excidas. Cernens vestimentorū furem in balneis, num, inquit, * ad vnguentulū, an verò ad aliud vestimentū? Cùm vidisset aliquando mulieres ex oliuæ arbore pendere suffocatas; vtinam, inquit, arbores cæteræ fructum huiusmodi tulissent. Intuitus * sepulcrorum violatorem, ait,

*ἐπ' ἀλειμμάτιον ἢ ἐπ' ἄλλο ἱμάτιον.

Τίπ]ε σὺ ὧδε φέρισε,

Η τινα συλήσων νεκύων κα]ατεθνειώτων;

-Sed hic quid vir bone quæris?

An aliquam è vita functis spoliare laboras?

*λωποδύτην.

Rogatus num seruulum aut ancillam haberet, negauit, dicenti si ergo mortem obieris, quisnam te ad sepulcrum efferet? qui domo, inquit, indiget. Cùm animaduerteret formosum adolescentem incustodite obdormientem, manu pungens, surge, inquit,

Μήτις σοι εὕδον]ι μέ]αφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.

hoc est,

Ne quis te à tergo stertentem cuspide figat.

Ad eum qui pretiosa parabat obsonia,

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι.

Nate mihi haud longæuus eris.

Platone de ideis differente, & nominante mensalitatem & cyathitatem, Equidem, inquit, ò Plato mensam & cyathũ video, * mensalitatem verò, & cyathitatem non video. Et ille, rectè, inquit, quibus enim cyathus mensaq; cõspicitur oculos habes, quo autem mensalitas, & cyathitas intelligitur, animum non habes. Interroganti cuidam qualis sibi videretur Socrates, furens respondit. Rogatus à quodam quo tempore ducenda sit vxor, iuuenibus, inquit, nondum, senibus verò nunquàm. Interrogatus quidnam vellet, vt colaphum acciperet, galeam, inquit. Adolescentẽ intuens se componentem, si quidem, inquit, ad viros, * frustra, sin autem ad mulieres, nequiter. Videns adolescentulum rubore perfusum, confide, ait, fili, huiusmodi est virtutis color. Cùm duos aliquando audisset legisperitos, ambos damnauit, dicens alterum quidem furatum esse, alterũ verò non perisse. Rogatus cuiusmodi vinum libentius biberet, alienum inquit. Dicente sibi quodam, plures te irrident, at ego, inquit, non irrideor. Dicenti malum esse viuere, non, inquit, viuere malum est, sed malè

* τραπεζότητα κυαθότητα.

* ἀτυχῶς ἀδικῶς.

malè viuere. Consulentibus vt fugitiuum quæreret seruum, ridiculum, inquit, est, si Manes absque Diogene viuat, Diogenes absq; Mane non possit. Prandebat oleas, inuectam verò inter prandendum placẽtam proiecit dicens:

ὦ ξένε τυράννοις ἐκποδὼν καθίστασο. &,
-Ἄλλοτε μάστιξεν δ' ἐλάαν. hoc est,
Lõgè à tyrãnis temet hospes auferas. &,
-Nunc celeres agitabat equos.

Rogatus qualis esset canis, esuriẽs, inquit, Melitæus, satiatus verò Molossicus. Quosdam permulti laudant, neq; tamen ob laborem audent cum eis vnà ad venationẽ egredi, ita ne mihi quidem ob dolorum metum congredi atq; vnà viuere potestis. Rogatus an sapientes placentis vescerentur, omnibus, inquit, sicut & homines cæteri. Interrogatus cur mẽdicis largirentur homines, non autẽ philosophis, quia claudi, inquit, ac cæci fieri potius quàm philosophos euadere sperãt. Poscebat quiddam ab auaro, atq; illo tergiuersante,* ad cibũ, inquit, homo te postulo, non ad sepulcrũ. Exprobranti quòd aliquando falsò pecuniam signasset, tempus, inquit, fuit cùm talis eram, qualis tu modò, qualis autem ego modò sum, nunquam tu eris. Alteri

*ἐπὶ τροφὴν οὐκ εἰς ταφήν

sibi idem exprobrāti, atqui, inquit, emingebam tum celerius, modo non ita. Myndum profectus cùm videret magnificas portas, & vrbem modicā, viri, inquit, Myndij portas claudite, ne vrbs vestra egrediatur. Cùm vidisset aliquando hominem in purpuræ furto deprehensum,

ἔλλαβε inquit, τὸ πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή. id est,

Purpureū cepit fatum, violentaq; parca. Cratero precante vt ad se ille proficisceretur, at malo, inquit, sal Athenis lingere, quàm apud Craterum frui magnificè instructa mensa. Anaximenem conueniens pingui aqualiculo rhetorem, impartire, inquit, & nobis pauperibus ventrē, quippe & ipse ab onere leuaberis, & nobis emolumento eris. Disserente illo aliquando * pernam prætendens auditores in se conuertit. Indignante illo, disputationem, inquit, Anaximenis oboli pretiū dissoluit.

* ταρίχιον.

Cùm illi probro daretur, quòd in foro mādūcaret, in foro enim, ait, esurio. Quidam & illud huius esse aiunt, quòd intuitus illum Plato lauantem olera: accedens tacitè illi dixerit. Si Dionysio obsecutus esses, olera profectò non lauisses: illumq; ad aurem item respondisse, Et si lauares olera,

olera, Dionysio non esses obsequutus. Dicenti cuidam, multi te irrident, & illos, inquit, fortè asini. Sed non illi asinos curant, neq; ego illos, respondit. Conspecto adolescentulo philosophāte, eia, inquit, amatores corporis ad animæ pulchritudinē traducis. Admirante quodam ea quæ in Samothracia sunt donaria, longè, ait, plura essent, si & qui seruati non sunt, ea dedicassent. Alij Diagoræ Medo hoc assignāt. Formoso adolescenti ad conuiuium eunti, deterior, inquit, remeabis. Illo redeunte & postridie sibi dicente, & abij, & deterior effectus non sum, deterior inquit. Postulabat ab Eurytio difficilè quiddā, illo dicente, si mihi persuaseris, equidem, inquit, si persuadere possim, suasissē vti te suffocares. Reuertebatur ex Lacedęmone Athenas, interrogabatur quò & vnde veniret, A viris, inquit, ad mulieres. Rediens ab Olympiis cū rogaretur, an multa ibi turba fuerit, turba, inquit, multa, sed homines pauci. Luxuriosos dicebat similes ficubus quæ per præcipitia nascuntur, quarū fructus homo nō gustat, corui autem & vultures comedunt. Phryne scortū Venerem auream Delphis obtulit, quam ille ita inscripsit: Ex Græcorū intemperantia Alexandro

xandro quoq; illi aſsiſtente & dicente, Ego ſum Alexāder magnus ille rex, at ego, inquit, Diogenes canis. Rogatus quidnā faciens canis vocaretur, quòd eis, inquit, blādior qui dant, in eos verò qui non dant oblatro, malos autē mordeo. Ex ficu quadam poma legebat, * cuſtode dicēte, huic ante paucos dies homo ſuſpenſus eſt, ego, inquit, illam purgabo. Olympionicen intuens in ſcortum frequenter intendentē, Ecce, inquit, vt aries Martius à puella vulgari per collum captus abducitur. Formoſa ſcorta letali mulſo non diſsimilia dicebat. Prandenti in platea qui circunſtabant identidem acclamabant, canis. At ille vos, ait, canes eſtis, qui prādentem circunſtatis. Cùm duo molles ſe ab eo ſubducerēt, nolite, inquit, vereri, canis betas non comedit. De puero ſtuprato cuias eſſet rogatus, Tegeates inquit. Cùm vidiſſet ignauū luctatorem medicinam profitentem, quid hoc, inquit, num & eos qui te aliquādo vicerunt, nunc ipſe deiicies? Cùm ſcorti filiū in turbas iactantē lapides cerneret, caue, ait, ne patrem ferias. Puero oſtentanti ſibi gladium quem ab amatore acceperat, gladius, inquit, pulcher eſt, ſed capulus fœdus. Laudantibus quibuſdā eum qui illi erogauer

*ἀπάγχεσθε.

gauerat, me autem, inquit, nô laudatis qui accipere merui? Cùm à quodam pallium exigeretur, si quid ait, donasti habeo, sin autem eguisti, vtor. Supposititio quodam dicente, aurum habet in pallio, ita sanè, inquit, idcirco illo supposito obdormio.

Rogatus quid ex philosophia lucratus fuisset: etsi nihil aliud, inquit, vel hoc ipsum quòd ad omnem fortunam paratus sum. Interrogatus vnde esset, * mundanus ait. Sacrificantibus quibusdam vt filium à diis impetrarent, vt, inquit, bonum impetretis non immolatis. Cùm stipem aliquando posceret * ægrotanti, ait: * κοσμοπολίτης.

Τοὺς δ᾽ ἄλλους ἐνάρυζ᾽ ἀπὸ δ᾽ Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας. hoc est, * πρὸς τὸν ἐγχάρχην.

Tu reliquos spolia sed ab Hectore cõtine dextras.

Scorta dicebat regum esse reginas, petere enim quodcunq; eis videretur. Atheniensibus Alexandrum Liberum patrem decernentibus, & me, inquit, Seraphin facite. Exprobranti quòd loca immunda introiret, & sol, inquit, in secessus abit, neq; inquinatur. In fano cœnans inter panes sordidos appositos, sublatos abiecit dicẽs, in sacrũ nihil oportere sordidum ingredi. Dicente quodam, cur nihil sciens philosoph

losopharetur, & si, inquit, philosophiam simulo, hoc ipsum philosophari est. Laudabatur puer ad illum adductus, quòd ingenio excelleret, essetq; optimis moribus, quid ergo, inquit, me indiget? Qui recta dicerent nec facerent, eos cythare similes aiebat, hanc enim nihil audire, neq; sentire. Theatrum ingrediebatur ex aduerso exeuntium. Rogatus cur ita faceret, hoc, ait, in omni vita facere studeo. Videns aliquando adolescentulum effœminari, non pudet, ait, deterius, quàm naturam ipsam, de teipso statuere? Illa enim te virũ fecit, tu te cogis mulierem fieri. Intuens quendam parum cordatum aptare psalterium, nõ erubescis, inquit, qui sonos ligno aptes, animum ad vitam nõ componas? Dicenti cuidam, idoneus ad philosophiã non sum, quid ergo, inquit, viuis, si vt bene viuas nulla tibi cura est? Contemnente quodam patrem, non pudet, ait, eum contemnere, qui tibi vt magnũ sapias est autor? Videns decorum adolescentem indecore loquentem, non erubescis, ait, ex eburnea vagina plumbeũ educens gladium? Cùm illi probro daretur, quòd in caupona biberet, & in tonstrina tondeor, inquit. Vitio vertebatur illi quòd ab Antipatro accepisset

pallio

palliolum, tum ille inquit:

Οὔτοι ἀπόβλητά ἐστι θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. Iliad. γ.

hoc eſt,

Reiiciēda deûm nō ſunt inſignia dona.

Cùm illi quidam trabem impegiſſet, ac diceret, caue, virga illum cadens ait, caue. Supplicante quodam meretrici, quid, ait, vis miſer, ab illa cū præſtet fruſtraris. Vnguentis delibuto vide, ait, ne * fragrantia capitis fœtorem vitæ præſtet. Seruos quidem dominis, malos autem cupiditatibus ſeruire dicebat. Rogatus cur mancipia ἀνδράποδα ſint appellata, quia pedes, inquit, habent virorum, animum autem quem tu nunc habes qui hoc interrogas. À prodigo petebat minam, à quo cùm rogaretur cur ab aliis obolum, ab ſe peteret minam, quia, inquit, ab aliis omnibus denuo me accepturū ſpero, abs te verò an rurſus accepturus ſim θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, hoc eſt, In genibus diuûm poſitum eſt. Cùm probro daretur, quòd Platone non petente ipſe peteret, & ille inquit, petit, * εὐωδία δυσωδίαν.

Ἄγχι σχὼν κεφαλήν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι. hoc eſt,

Sed caput admouens, reliqui ne fortè reſciſcant.

Sagittarium intuitus imperitū iuxta ſco-

pum consedit dicens, ne fortè me feriat. Eos qui ad voluptatem aspicerent falli, ac frustrari dixit. Interrogatus an mala esset mors, quónam, inquit, modo mala, quam præsentem non sentimus? Alexãdro stante atq; interrogante num me times? Quid enim, inquit, es, bonum, an malum? dicente bonum, quis ergo, ait, bonũ timet? Disciplinam iuuenibus quidem sobrietatẽ, senioribus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornatum esse dixit. Didymoni mœcho curanti aliquãdo puellæ oculum, vale, inquit, ne virginis oculum curans, puellam corrũpas. Dicente quodam amicos illi insidiari, & quid, ait, agere oportet, si amicis, & inimicis æquè vtendum erit? Rogatus quid esset inter homines optimum, libertas, inquit. Ingressus aliquando scholam cùm videret musas multas, paucosq; discipulos, cùm diis, inquit, præceptor multos habes discipulos. Solebat autem omnia palàm facere, & quæ ad Cererem, & quæ ad Venerem pertinent, neq; huiusmodi conclusiunculis vtebatur: Si prandere nihil mali est, neque in foro prandere malum est. Non est autẽ malum prandere, nec in foro quidẽ prandere malum est. Cumq; ante ora omnium obnixè

operatur, vtinam liceret, aiebat, perfricato ventre à fame conquiescere. Referuntur in eum & alia, quæ cùm sint multa, prolixum esset & omnia prosequi. Dicebat autem duplicem esse exercitationem, alterã esse animi, alteram corporis. hanc secundum quã in exercitio perpetuæ quæ fiunt imaginationes præstant ad virtutis opera quædam adminicula. Porrò alterã sine altera esse imperfectam, nihilominus bona habitudine & robore inter ea quæ compe tunt adnumerato, quippe quæ veluti circa corpus, ita & circa animam sint. Adiiciebatq; argumenta, quòd ad virtutem facilè exercitio proficiatur. Cernere enim se in artibus mechanicis & aliis opifices ex consuetudine operis non minimam* operandi celeritatem fuisse consecutos. Athletas item & tibicines inter sese eminere tanto interuallo, quanto maiore studio & labore versati fuerunt. Atque si quidem ita isti exercitationem ad animum trãstulissent, nequaquam inutiliter aut imperfectè laborarent. Nihil dicebat in vita omnino absque exercitatione perfici. eam verò omnia exuperare posse. Cùm igitur repudiatis inutilibus laboribus naturales insequi, ac viuere beatè debeamus, per sum-

* ὀξυχειρίαν.

mam dementiam infelices ſumus. Nanq; ipſius quoq; contemptus voluptatis ſi nos aſſuefecerimus iucundiſsimus fit. Et ſicut hi qui cõſueuerũt voluptuosè viuere, molestè inde ſe auelli patiuntur, ita qui aliter exercitati ſunt, facilimè ipſas contemnunt voluptates. Talia docebat, atq; etiamnum re ipſa præſtabat, monetas reuera adulterans, quòd nihil minus naturalibus, quàm legitimis deferret, eandem vitæ formam, quam Hercules, ſe viuere affirmans nihil libertati præferens, omniaq; ſapientũ eſſe dicens, eiuſmodi rationibus, quas ſuprà allegauimus vſus, Omnia, inquiens, deorum ſunt. Amici autem ſunt ſapientibus dij. Sunt autem amicorum omnia communia, omnia igitur ſapientum ſunt. Ac de lege, quòd ſine ipſa geri reſpu. non poſsit. Nam ſine ciuitate nihil cõferre quod vrbanum eſt, vrbs verò ciuitas eſt, lex verò abſq; ciuitate ad nihilum vtilis, eſt igitur vrbana lex. Nobilitatem verò & gloriam, & huiuſmodi cætera ridebat, dicens malitiæ eſſe velamenta. Solã rectam eſſe rempub. quæ eſſet habẽda in honore. Dicebat & mulieres communes eſſe oportere, nuptias nihil eſſe arbitratus, ſed vt quiſque cuique perſuaſiſſet, ita illi coiret, commu-

nesq;

nesq; idcirco filios fieri. Nihil esse iniquũ duxit ex templo quippiam accipere, aut quoduis gustare animal, ne iniustum quidem esse humanis vesci carnibus, idq; ex aliorum gentium consuetudine liquere, atque hac recta ratione omnia in omnibus & per omnia esse dicens. Nanq; & in pane carnes esse, & in olere panem, cùm panis & corpora reliqua, in omnibus per occultos quosdam meatus ac tumores ingerantur, atque vnà euaporent, sicut & in Thyeste manifestum est, siquidem ipsius sunt tragœdiæ, & non Philisci Aeginitæ ipsius familiaris, siue Pasiphontis Luciani, quem scribit Phauorinus in omnimoda historia post obitum eius scripsisse, Musicæ verò & geometriæ, & astrologiæ, cæterorumq; similium fuisse negligentẽ, veluti inutiliũ & quæ minimè essent necessaria. Fuit autem promptissimus ad obuiandum iis, quæ dicerentur, vt ex superioribus liquet. Quin & sui auctionẽ fortissimè pertulit. Nam cùm in Aeginam nauigaret, atq; à piratis fuisset comprehẽsus, quorũ princeps erat Scirpalus, in Cretam deductus, venditus esset, præcone interrogante, quid sciret facere, respondit, scire se hominibus dominari. Vnde quum

indicasset digito Corinthium quendã, habitu ingenuo prætereuntem Xeniadem quem prædiximus,huic inquit, me vende, hic enim domino indiget.Emit igitur illũ Xeniades, Corinthumq; secum adducens filiis præceptorẽ dedit, & toti domui præfecit.Is verò ita se gessit in omnibus vt sursum ac deorsum cursitans ille diceret, bonus genius domum meã ingressus est.Refert Cleomenes in libro qui pædagogus inscribitur,necessarios suos illum redimere voluisse, illum verò eos fatuos dixisse. Neque enim leones seruos esse nutrientium,sed econuerso illos seruire leonibus. Nam serui timere est, feras verò hominibus terrori esse.Erat autem viro mirabilis persuadendi vis,adeo vt quemlibet oratione facilè caperet. Fertur denique Onesicratus quidam Aeginẽsis Athenas misisse, alterum ex duobus liberis suis, Androsthenem nomine,eumq; cum audisset Diogenem,illic perstitisse, misisse itidem quem prædiximus Philiscum,qui erat maior natu,ipsumq; itidem detentum fuisse.Postremò verò ipsum aduenisse, atque vnà cum filiis philosophatum esse, tanta Diogenis sermonibus suauitas inerat.Audiuit ipsum & Phocion, qui cognominatus est Bonus,

& Stilpo

& Stilpo Megarensis,& complures alij ciuiles viri. Fertur nonaginta ferme annorum obisse diem. Porrò de ipsius morte varia habetùr opinio. Sunt enim qui dicát illum cùm bouis pedem crudum comedisset,bilem sibi cõsciuisse, atque ita perisse, ex quibus est Cercidas Megalopolita siue Cretensis in Meliambis sic,

Οὐ μὰν ὁ πάρος γ' ἐᾷ Σινωπεὺς τῆνος
Ὁ βακτοφόρος διπλοείματος, αἰθεριβόσκος
Ἀλλ' ἀνέβα, χεῖλος ποτ' ὀδόντας ἐρείσας
Καὶ τὸ πνεῦμα συνδακών, ἦν γὰρ ἀλαθέως
Διογένης Ζανὸς γόνος οὐράνιός τε κύων.

hoc est,

Nõ enim patitur priscus ille Sinopeus
Baculifer ille, & duplicatus, sub diuo pastus.
Tandem qui sublatus est, cum labris dentes offirmasset,
Et spiratũ continuisset, erat enim verè
Diogenes Iouis filius, & cœlestis canis.

Alij dicunt cùm polypum canibus partiri voluisset, morsum in cruris*neruo, ac ex eo defunctum esse. Ipsius tamen necessarij, vt in successionibus ait Antisthenes, id potius approbant,quòd spiritum cõtinendo animam exhalauerit.Degebat enim in Cranio, id erat gymnasiũ ante Corinthũ. *τένοντα

Cùm verò ex more familiares adiissent, pallioq; obuolutum deprehenderent, non illum dormire arbitrati, erat, quippe minimè somnolentus, reuelato pallio animam efflasse inuenerunt, suspicatiq; sunt illum hoc fecisse desiderio migrandi ex vita. Hinc inter eos qui eum sepelirent oborta seditio, vt ferè ad manus ventum sit. Aduenientibus autem patribus illorum atque primatibus ita sedata discordia, sepultum esse iuxta portam quæ in Isthmum fert. Erigentes autem super illius tumulum columnam, canem desuper ex lapide Pario sculpserunt. Postea & ipsius ciues æreis illum statuis honorarunt, ita inscribentes:

Γηράσκει καὶ χαλκὸς ὑπὸ χρόνου, ἀλλὰ σὸν οὔτι.
Κῦδος ὁ πᾶς αἰὼν Διόγενες καθελεῖ.
Μοῦνος ἐπεὶ βιωτᾶς αὐτάρκεα δόξαν ἔδειξας
Θνητοῖς, καὶ ζωῆς οἶμον ἐλαφροτάταν.

hoc est,

Aëra quidem absumit tempus, sed tempore nunquam
Interitura tua est gloria Diogenes.
Quandoquidem ad vitam miseris mortalibus æquam
Monstrata est facilis te duce, & ampla via.

Est item

Est item de eo tale epigramma carmine proceleumatico:

Διόγενες ἄγε, λέγε, τίς ἔλαβέ σε μόρ@
Ἐς ἀΐδ@, ἔλαβέ με κυνὸς ἄγριον ὀδάξ.

hoc est,

Diogenes age loquere, quis exitus ad inferos?

Te abstulit, abstulítne canis morsus ferox?

Aiunt quidã illum dum moreretur mandasse insepultũ proiici cadauer, vt omnes bestiæ participes ipsius essent, siue in foueam superiecto modico puluere iniicerent. Alij autẽ in Elissum se immitti voluisse tradunt, vt esset fratribus vtilis. Demetrius autẽ in æquiuocis ait eadẽ die Alexandrum Babyloniæ, Diogenemq; Corinthi vita functos esse. Erat autem senex Olympiade c x I I I. Feruntur eius ista volumina: Dialogi capitũ, Icythyas, graculus, pardus, plebs Atheniensium, Respublica, ars moralis, de diuitiis, Amatorius, Theodorus, Hypsias, Aristarchus, de morte, Epistolæ Tragœdiæ septẽ, Helena, Thyestes, Hercules, Achilles, Medea, Chrysippus, Oedipus. Porrò Socrates in primo successionum, & Satyrus in quarto de vitis, nihil eorum esse Diogenis affirmãt. Tragœdio

las autẽ ait Satyrus Philiſci Aeginẽſis eſſe, Diogenis diſcipuli. Sotion autẽ in ſeptimo hæc ſola Diogenis eſſe ait, de virtute, de bono, amatoriũ, mendicum, τολμαῖον, pardum, Caſſandrum, Cephalionẽ, Philiſcum Ariſtarchum, Siſyphum, Ganimedẽ, de vſu epiſtolas. Fuerunt autẽ quinq; Diogenes Primus Apolloniathes phyſicus. Eius autẽ ſcriptorum iſtud initiũ fuit, Quicquid eſt quod dicere aggredior, operæpretiũ eſſe videtur initium irrefragabile ponere. Secundus Sicyonius qui Peloponneſiaca ſcripſit. Tertius hic ipſe. Quartus Stoicus ex Seleucia, appellatus eſt autem Babylonius ob vicinitatem. Quintus Tarſenſis, qui de quæſtionibus poëticis ſcripſit, quas etiam ſoluere nititur. Hunc verò philoſophũ Athenodorus in quintò deambulationum ait, quòd vngi ſolitus eſſet, lucidum ſemper apparuiſſe.

MONIMVS SYRACVSANVS.

Monimus Syracuſanus Diogenis quidem diſcipulus, famulus verò mẽſarij cuiuſdam Corinthij fuit, vt Socrates tradit. Ad eum Xeniades qui Diogenẽ emerat, frequẽs commeabat, virtutẽ hominis, atq; in dicẽdo vim admiratus. Monimum in ſui pellexit amorẽ. Ille enim continuè

ſimulata

ſimula veſania abiicere monetā, omnémque menſæ pecuniam cepit, donec à domino repudiatus continuò ſe ad Diogenem contulit. Adhæſit autem &*Crati Cynico ſæpius, cæterosq; id genus ſtudioſè conſectatus. Qua ex re factū eſt, vt eum dominus adhuc magis inſanire putarit. Fuit autem vir eloquens ac doctus, adeò vt Menander comicus ipſius mentionem fecerit in quadam comœdia, quæ Hippocomus inſcribitur, ſic de eo dicens,

*Κράτητι, ſiue Crateti.

Μόνιμός τις ἦν ἄνθρωπος, ὦ φίλων,
Ἀδοξότερος, μικρὸς δὲ, ὁ τὴν πήραν ἔχων.
Πήρας μὲν οὖν τρεῖς, ἀλλὰ καὶ εἰκόνος ῥήματι
Ἐφθέγξατ' οὐδὲν ἐμφερὲς μὰ τὸν Δία
Τῷ γνῶθι σαυτὸν, οὐδὲ τοῖς βοωμένοις
Τούτοις, ὑπὲρ δὲ ταῦτα ὁ προσαιτῶν καὶ ῥυπῶν
Τὸ γὰρ ὑπολειφθὲν τύφον εἶναι πᾶν ἔφη. i:

Monimus fuit quiddā ſciēs vir, ò Philo.
Contemptior quidē, ferēs ſed manticā.
Tres ergo peras. verùm ſimilitudinis
Verbo eſt loquutus, tale per Iouē nihil
Quale illud eſt, Teipſum noſce, aut confinia
His verba, ſcurra præter hæc & ſordid*.
Nam cuncta faſtum dixit eſſe cætera.

Adeò verò grauis ac conſtans fuit, vt contēta gloria ſolam veritatē appeteret. Scri-

psit autē ludicra sentētiis seriis permixta, * ὁρμῶν. de*appetitionibus duo,& exhortatoriū.

ONESICRITVS.

ONesicritum quidā Aeginensem trādunt. Porrò Demetrius Magnesius Astypalensem fuisse ait, & hic ex Diogenis ludo probatissimus. Videtur autem quiddam habere simile cū Xenophonte. Ille enim cum Cyro, hic cum Alexandro militauit.Ille Cyri παιδείαν. hic Alexādri scripsit initia. Ille Cyri, hic Alexādri prosequitur laudes.Est autem & stylus vtriusque simillimus, nisi quòd apographus, & quod transcriptū est dissentit ab archetypo & exemplari. Fuit & Menander Diogenis discipulus cognomēto Drymus Homeri admirator, & Hegesæus Sinopeus κλοιὸς cognominatus,& Philiscus Aeginēsis,vt prædiximus.

CRATES THEBANVS.

CRates Thebanus Ascondi filius, ipse quoque inter sapientissimos Diogenis discipulos fuit. Cæterùm Hippobotus non Diogenis ipsum fuisse discipulū ait, sed Brysonis Achiui. Huius ista feruntur ludicra:

Πήρη τὶς πόλις ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ
Καλὴ καὶ πίειρα, περίῤῥυπος, οὐδὲν ἔχουσα.

Εἰς ἣν οὔτε τις εἰσπλεῖ ἀνὴρ μωρὸς, παράσιτος
Οὔτε λίχνος πόρνης ἐπαγελλόμενος πυ-
γῇσι,
Ἀλλὰ θύμον καὶ σκόρδα φέρει καὶ σῦκα καὶ
ἄρτους.
Ἐξ ὧν οὐ πολεμοῦσι πρὸς ἀλλήλους περὶ τούτων
Οὐχ ὅπλα κέκτηνται περὶ κέρματος, οὐ περὶ
δόξης. id est,

Est quædã medio constructa vrbs mantica fastu,
Pulchra quidem & pinguis, circumflua, rebus egena,
Quam nullus parasitus adit, stolidúsue penetrat,
Deditus aut quisquam damnosis ganeo scortis.
Allia sed, panes, ficus, profertq; lupinos,
Nec pro gloriola capiunt aut sordibus arma.

Est & Ephemeris illa vulgatissima ita se habens: Ponito coquo minas decẽ, medico drachmã, assentatori talẽta quinq;, cõsilario fumum, meretrici talentũ, philosopho triobolũ. Vocabatur autẽ & θυρεπανοίκτης, quòd in omnẽ ingrederetur domũ & corriperet. Sunt autem & eius hi versus:

Ταῦτ' ἔχω ὅσ' ἔμαθον καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ μουσῶν

Σεμν

Σεμν' ἐδάην, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια τῦφος ἔμαρψε, hoc est,

Tantum habeo quantum didici, quantumq́, labore

Percepi, & studio, rapuit sed cetera fastus.

Et quod illi ex philosophiæ studio accessisset,

Θέρμων τε χοῖνιξ, καὶ τὸ μηδενὸς μέλειν.

hoc est,

Chœnix lupini, & cura nullius rei.

Fertur eius & illud: Amorem sedat fames, sin minus tempus, eis verò si vti non vales, laqueus. Floruit circa centesimam & decimam tertiam Olympiadem. Hunc ait Antisthenes in Successionibus, cùm in tragœdia quadam cerneret Telephum sportulam tenentem aliásque opulentum ad cynicam philosophiam prorupisse, illumq; patrimonio vendito, erat quippe vir nobilis, cùm congregasset plus quàm ducēta talenta, ciuibus ea diuisisse, adeoq; cōstanter philosophatum esse vt & Philemon comicus ipsius mentionem fecerit, ait nempe:

Καὶ τοῦ θέρους μὲν εἶχεν ἱμάτιον δασὺ

Ἵν' ἐγκρατὴς ᾖ, τοῦ δὲ χειμῶνος ῥάκος.

hoc est,

Aestate crassum vestiebat pallium,

Sed hyeme pannū, vt tēperans euaderet.

Refert

Refert autem Diocles persuasisse illi Diogenem vt peculium dimitteret, ac si quid pecuniæ haberet, iactaret in mare. Atque Cratis quidem domus illi ab Alexandro, Hipparchiæ verò à Philippo. Quosdam ex propinquis ad se veniẽtes, atq; auertere ab instituto molientes sæpenumero baculo persequebatur, cõstansq; perdurabat. Porrò Demetrius Magnesius ait deposuisse illum pecuniam apud trapezitam ea conditione, vt si quidem filij idiotæ essent, eam illis redderet: sin autem philosophi, plebi distribueret, nihilo quippe egere philosophos. Eratosthenes autem, cùm ex Hipparchia, de qua dicemus, natus sibi esset filius Pasicles nomine, eum iam adultum ad ancillæ adduxisse domum ac dixisse, hoc ei paternum esse matrimonium. Cæterùm mœchorum apud Tragicos exilia & cædes esse præmium, eos verò qui scortis congrederentur apud Comicos ex luxu & ebrietate in insaniam verti. Huius frater Pasicles fuit Euclidis discipulus. Eius facetum quiddam Phauorinus in secundo commentariorum refert. Ait enim cum pro quodam intercederet apud gymnasij principem, eius coxas tetigit. Illo indignãte, quid enim, ait ille, nonne & ista tua sunt sicut &

genua

genua? Dicebatq; poſsibile non eſſe inueniri qui lapſus non ſit, ſed veluti in malo punico granum etiam aliquod putridum eſſe. Cùm Nicodromum citharædum irritaſſet, cæſus in faciem eſt. Cartulam itaq; imponens fronti inſcripſit, Nicodromus faciebat. Scorta ex induſtria inſectabatur maledictis, vnà & ſeipſum exercens ad perferenda conuicia. Demetrio Phalereo qui panes ac vinum miſerat, conuiciabatur dicẽs; vtinam & fontes panes ferrent. Conſtat igitur aquam bibiſſe. Ab Athenienſibus ciuilis iuris peritis arguebatur quòd ſindone amiciretur, quibus ille, Theophraſtum, inquit, oſtendam vobis opertum ſindone. nõ credẽtibus, induxit illos in tonſtrinam vbi ille tondebatur, oſtenditq; lino coopertũ. Cùm Thebis à principe gymnaſij flagris cæſus eſſet, ſiue vt aliis placet, Corinthi ab Euthycrate, ac pede traheretur, ridebat, dicens:

ἕλκε ποδὸς τεταγὼν διὰ βηλοῦ θεσπεσίοιο.

hoc eſt,

Protractũ pedib⁹ detruſit limine ſacro.

Diocletes autem pertractum eum à Menedemo Eretrienſi teſtatur. Nam cùm eſſet decorus & Aſclepiadi Phliaſio vſui eſſe videretur, tetigit Crates illius coxas

dic

dicens, intus Asclepiades, qua ex re indigna tum Menedemum traxiſſe illum, idq; eum dixiſſe. Zeno verò Citticus in libris de vſu, pellem ouis quoq; inſuiſſe pallio refert, vt eſſet deformior. Erat autem & facie turpis, & cùm ſe exerceret, ridebatur. Solebat autē ſublatis manibus dicere, confide Crates pro oculis & corpore reliquo. Hos enim videbis irriſores iamiam & morbo contrahi, & beatum dicere, ſe autem ignauiæ arguere. Dicebat autem tandiu philoſophandum eſſe, donec videantur duces exercitus eſſe * aſinarij. Diſertos dicebat eos qui cum aſſentatoribus eſſent, non ſecus ac vituli cùm inter lupos ſunt: neque enim cum illis qui bene velint, neq; cum his, ſed inſidiatores. Cùm autem ſentiret ſe morti proximum, inſpiciebat ſeipſum dicens:

* ὀνηλάται.

-Στείχεις δὴ φίλε κύρτων,
Βαίνεις εἰς ἀΐδαο δόμους κυφὸς ὤρην διὰ γῆρας. hoc eſt,
-Vadis nunc optime curue,
Vadis ad Orci ędes, lōga gibboſe ſenecta.

Erat quippe ex ſenectute curuatus. Alexandro rogante num vellet reſtitui ac reſici patriam ſuam, quid, ait, opus eſt? rurſus enim fortaſsis Alexander eā alius diruet. Habere

ſe pa

ſe patriam contemptum gloriç & paupertatem, quæ in poteſtatem fortunæ nunquã ſint ceſſura. Diogeniſque ciuem eſſe inuidiæ* inſidias nõ metuentis Meminit ipſius & Menander in Geminis dicens:

* ἀνεπι-βυλεύτυ

Συμπεριπατήσεις γὰρ τρίβων' ἔχυσ' ἐμοί,
Ὥσπερ Κράτητι τῷ κυνικῷ ποθ' ἡ γυνή.

hoc eſt,

Mecum ambulabis tecta pallio, velut
Cratete nuper vxor atro cum cane.

Et filiã tradebat illis, vt ipſe ait, probationi triginta inductis diebus diſcipuli eius.

METROCLES.

METrocles Hipparchiæ frater; cùm prius audiret Theophraſtum Peripateticum, adeò corruptus erat, vt cùm ſæpe inter diſſerendum crepitũ ventris emitteret, præ dolore animi domi incluſus moraretur. Hoc agnito Crates ingreſſus eſt ad eum conſolaturus, ac lupinis induſtria voratis, perſuaſit quidem illi primùm verbis, nihil mali feciſſe, fore quippe prodigioſum, ſi non & ſecundum naturam flatũ emitteret. Tum verò & ipſe in huiuſmodi crepitum erumpens illum ſimilitudine rei ſeruauit ac verbis in ſpem erexit. Hinc ipſius auditor fuit, euaſitq; vir in philoſophia eminens. Hic libros ſuos, vt ait Hecaton in primo

primo vſuum combuſsit dicens:

Τάδ᾽ ἐσ᾽ ὀνείρων νερτέρων φαντάσματα. i.

Hæc ſomnorum ſunt imaginacula:

Ac ſi diceret, nugas & delirame͂ta.

Sunt qui Theophraſti commentaria, quæ ex illius ore perceperat, combuſsiſſe fera͂t, ac dixiſſe:

Ἥφαιστε πρόμολ᾽ ὧδε Θέτις νύ τυ σεῖο χατίζει.

hoc eſt,

Mulcibes huc propera, tua eget Thetis arte decora.

Res docebat partim emi pecunia, vt domum, partim tempore & diligentia, vt diſciplinas liberales. Diuitias nocere niſi quis dignè vtatur. Obiit ſenex à ſeipſo ſuffocatus. Porrò diſcipuli eius fuere Theombrotus, atque Cleomenes. Theombroti auditor fuit Demetrius Alexandrinus, Cleomenis autem Timarchus Alexandrinus & Echecles Epheſius, qui & ipſe Theo͂broton audiuit, à quo Menedemus, de quo poſtea dicemus. Fuit autem inter illos inſignis & Menippus Sinopeus. Capta eſt & illorum verbis Metroclis ſoror Hipparchia.

HIPPARCHIA.

Hipparchia Metroclis ſoror. Erant autem Maronitæ ambo. Amabat verò Cratis vitam atque verba, neque vlla

omnino procorum excellẽtia potuit auelli, non opibus, non nobilitate, non pulchritudine, sed hæc omnia sibi Crates erat, parentibúsque minabatur seipsam, nisi huic traderetur, necaturam. Cùm igitur Crates à parentibus puellæ rogaretur, vti ab hoc illam proposito auerteret; postquam egit omnia nec persuasit, exurgens omni sua supellectile ante illius oculos exposita, hic ait sponsus, hæc eius possessio est, ad hæc delibera. Neque enim esse nostri consors poteris, nisi eadem studia attigeris. Elegit continuò puella, sumptóque illius habitu vnà cum viro circuibat, & congrediebatur in aperto, atque ad cœnas proficiscebatur. Quo tempore & ad Lysimachum ad conuiuium venit, vbi & Theodorum impium coarguit sophisma huiusmodi obiiciens, quod faciens Theodorus iniustè agere non diceretur, id Hipparchia si faciat, facere iniustè non dicetur. Theodorus autem seipsum feriens iniustè non agit, ne Hipparchia quidem Theodorum cædens iniustè agit. Tum ille ad id quidem minimè respondit, sed illius pallium traxit. Sed neque territa, neque turbata est Hipparchia, vt mulier, verùm dicente sibi illo:

Τήνη τὰς παρ᾽ ἱστοῖς ἐκλιποῦσα κερκίδας, *Alias τίνι. hoc est,
Radios reliqui hæc apud telas suos.
Sum equidem, inquit, Theodore, sed num tibi malè de me ipsa statuisse videor, si tempus, quod in telis consumptura eram, disciplinæ potius impendi? Hæc & alia innumera de philosophante fœmina dicũtur. Fertur & Cratis epistolarum liber, in quibus præclarè philosophatur. Stylus ipse sæpe Platoni similis videtur. Scripsit & tragœdias altissimo philosophiæ stylo, quale illud est,

Οὐχ εἷς πάτρας μοι πύργος, οὐ μία δὲ στέγη,
Πάσης δὲ χέρσου καὶ πόλισμα καὶ δόμος
Ἕτοιμος ἡμῖν ἐνδιαιτᾶσθαι πάρα. hoc est,
Non turris vna, nec casa vna patriæ
Mihi est, sed vniuersæ arces terræ, & domus
Parata nobis mansio & cœnacula.

Obiit vetulus, atq; in Bœotia sepultus est.

MENIPPVS PHOENIX.

Menippus & ipse Cynicus, patria quidem Phœnix, cõditione seruus fuit, vt ait Achaicus in ethicis. Diocles autem dominum ipsius Ponticum fuisse, Batonémque vocatum tradit. Cùm verò præ cupiditate pecuniæ importunius peteret, Thebanus fieri valuit. Edidit quidem di-

gnum memoria nihil, at ipsius libri multo risu referti sunt, non secus atque Meleagri, qui tempore eius fuit. Refert Hermippus diuturnum fœneratorem fuisse, vocatúmque ex re ἡμεροδανειστὴν tandem. Nanque nautica vsura fœnerari solere, & pignori accipere, vt pecunias complures cogeret. Tādem insidias perpessum omnibus priuatum esse, ac præ mœrore laqueo sibi vitam extorsisse. Nos autem lusimus in eum hoc carmine,

Φοίνικα τὸ γένος, ἀλλὰ Κρητικὸν κύνα ἡμεροδανειστὴν,
Τοῦτο γὰρ ἐπεκλήζετο, εἶδας Μένιππον ἴσως, Θήβησιν
Οὗτος ὡς διορύχει ποτέ καὶ πάντα ἔβαλλεν.
Εἰ δ' ἐνόει φύσιν κυνὸς αὐτὸν ἀνεκρέμασεν.

hoc est,

Phœnicem genere, sed Creticum canē diuturnum fœneratorem,
Sic enim vocabatur, nosti Menippum forsitam, vt Thebis
Ille pfodiebat olim, & oīa profligabat.
Si autem canis naturam nouisset, se suspendisset.

Quidam eius libros non ipsius esse, sed Dionisij & Zopyri Colophoniorū tradūt, qui iocādi causa conscribentes velut cēsori

idon

idoneo dederũt. Fuerunt autem Menippi ſex, Primus qui de Lydis ſcripſit, Xanthũq; breuiauit. Secundus hic ipſe. Tertius Stratonicus ſophiſta, ex Caria oriundus. Quartus ſculptor. Quintus & ſextus pictores, vtroſque memorat Appollod. Cynici autem volumina XIII. ſunt. Neniæ, teſtamenta, epiſtolæ cõpoſitæ ex deorum peſona, ad phyſicos & mathematicos, grammaticóſque, & Epicuri fœtus, & eas quæ ab ipſis religiosè coluntur * imagines, & alia. *ἰκάδας

MENEDEMVS.

MEnedemus Coloti Lampſaceni diſcipulus fuit. Hic, vt ait Hippobotus, in tantum * prodigioſæ ſuperſtitionis venerat, vt ſumpto habitu furiæ circumiret, dicens ſpeculatorem ſe ex inferno veniſſe iis qui peccarent, vt deſcendens hæc ibi dæmonibus renuntiaret quæ vidiſſet. *τερατείας Veſtis autem talis erat, pulla tunica talaris, aſtricta puniceo balteo, pileus arcadicus capiti impoſitus habens intexta elementa XII. * cothurni tragici, barba prolixa, virga in manu fraxinea. *ἐμβάται. Atque iſtæ quidem vitæ ſunt ſinguli cuiuſq; Cynicorum. Subiicienda nunc & quæ in genere illis viſa ſunt. Siquidem & ſectam hanc philoſophiæ eſſe iudicamus, non vt

quidam volunt, constantiam vitæ. Placet ergo illis rationalē naturalemq; philosophiā tolli oportere, ab Aristone Chio non discedentibus moraliq; soli intendi, quódque plerique Socrati, hoc Diocles Diogeni inscribit, hūc asserens dixisse inquirendū.

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ᾽ ἀγαθόν τε τέτυκται.

id est,

Quid domibus nostris praui rectique geratur.

Repudiant & disciplinas liberales. Denique neq; discendas literas dixit Antisthenes, ne frugi effecti peruerterentur alienis. Tollunt & geometriam & musicam, & cætera id genus. Nempe enim & Diogenes cuidam ostendenti sibi ὡροσκοπεῖον, vtile sane inuentū, ait, ne priuemur cœna. Ad eum vero qui musicam ostentabat ait,

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ᾽ οἶκος, οὐ ψαλμοῖς καὶ τερετίσμασιν.

hoc est,

Magnæ reguntur vrbes nam prudentia:
At vna cantu non queat regi domus.

Placet eis & finem esse secūdum virtutem viuere, vt Antisthenes ait in Hercule, quemadmodum & Stoici. Nam societas quædā est inter has duas sectas, vnde & * Cynismum

* κυνισμός.

mum dixêre breuem ad virtutem viam, atq; ita vixit & Zeno Citticus. Placet item eis simplex & parabilis victus, quippe qui * sobriis cibariis vtuntur, & solis palliis. Diuitias, gloriam nobilitatemq; contemnunt. Plerique etiam herbis, & aqua tantum frigida vtuntur, operimentisq; fortè oblatis & doliis, sicuti Diogenes, qui dicebat Deorum esse proprium nihil indigere, eorum verò qui diis essent similes minimis egere. Virtutem dicunt esse docibilem, vt in Hercule ait Antisthenes, esseq; minimè reiiciendum, sed studiosè colendum, ac sine peccato sapientem, & * simili amicum fortunæ quoque nihil permittendum. Quæ verò inter virtutem, & vitia sunt, indifferentia, vt Aristo Chius, appellant. Et isti quidem Cynici fuere. Veniendum nunc ad Stoicos, quorum princeps fuit Zeno, Cratis discipulus.

* αὐτάρκεσι.

* φίλον τῷ ὁμοίῳ

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHO-*rum vita,*

LIBER VII.

ZENO CITTICVS.



ENO Mnasij siue Demei filius Citticus ex Cypro, Græca ciuitate Phœnicibus accolis. Collo fuit in alteram partem inclinatiore, vt refert Timotheus Atheniensis in lib. de Vitis. Apollonius autẽ Tyrius, gracili corpore, statu procero, & atra cute fuisse illũ autor est. Vnde illum quidem, vt Chrysippus in v. prouerbiorum ait, Aegyptium * palmitem dixit. Crura habuit turgida, & imbecilla infirmaq;. Idcirco & Perseus in commentariis conuiualibus, ipsum refert complures cœnas declinasse. Vescebatur perlibenter ficubus * recentibus atque ad solem passis. Auditorq;, vt dictũ est, Cratis fuit. Deinde Stilponem etiam audisse, & Xenocratem decennio perpetuò non desunt qui affirment, sicut Timocrates in Dione. Polemonis itidem frequentasse audit

*κληματίδα.

*χλωροῖς

auditorium. Porrò Hecaton & Appollonius Tyrius in primo de Zenone lib.ſcribit,cùm oraculum conſuluiſſet,quo pacto viuere optimè poſſet, reſpondiſſe deum, ſi mortuis concolor eſſet. Quod ille cùm intellexiſſet, ſe ad legendos antiquorum libros magno contuliſſe ſtudio. Denique Cratis hoc modo familiaritate vſus eſt. Purpurā ex Phœnicia mercatus aduectans ad Pireum naufragium fecit. Ea iactura ſubtriſtior factus Athenas aſcendit annos triginta natus,ſeditq; iuxta librarium.Legente autem illo ſecundum Xenophontis commentariorum, delectatus ille,& iam lætior ſciſcitatur, vbi nam eiuſmodi viri morarentur.Opportunè tunc prætereunte Crate, digito illum bibliopola oſtendens,hūc,inquit,ſequere. Ex eo iam Cratis auditor factus eſt,aptiſsimus alioqui ad Philoſophiam,verùm verecundior, quàm vt ſe ad impudentiam cynicam conferre poſſet. Id vbi animaduertit Crates,curare etiam in hoc illum ſtudens, ollam lenticula refertam dedit vt per Ceramicū ferret. Cùm autem videret pudeſcere illum, ac ſe præ verecundia tegere, baculo ictam perfregit illam.Illo fugiente,& lenticula per crura defluente,quid,inquit, fugis pu-

nicculum?nihil mali passus es. Aliquandiu igitur audiuit Cratē. Quo tempore cùm scripsisset de Rep. quidā iocantes aiebant, in cauda canis illum scripsisse. Præterea scripsit & ista, de vita secundum naturā: de appetitu, siue de hominis natura: de perturbationibus, vel de vitiis, de officio, de lege, de * Græca peritia, de aspectu, de toto, de signis, Pythagorica, vniuersalia, de dictionibus, Problematū Homericorum quinque, de poëtica auditione. Est ipsius item & ars & solutiones, & argumenta 11. commentaria Cratis moralia, atq; isti quidem libri eius sunt. Postremò discessit, & quos prædiximus audiuit ad xx. annos, vbi & illum dixisse ferunt, Tunc secundis ventis nauigaui, quando naufragium feci. Alij sub Crate hoc dixisse aiunt, Quàm bene fortuna facit, quæ nos ad philosophiam impellit. Alij dum Athenis diuersaretur, audito naufragio dixisse illum ferunt, Rectè sanè egit fortuna, quæ nos ad philosophiam impulit. Quidam deposito Athenis onere, sic demū ad philosophiam fuisse cōuersum. Vertens igitur se ad porticum variam, quę & πεισιανάκτειος appellabatur, & ex varia, & multæ scientiæ pictura Polygnoti ποικίλη, orationē formabat,

* παιδείας.

bat, volens & locum illum stabilem facere, nullisq; seditionibus vltrà violabilem. Nanq; ad M. CCCCXXX. ciues ibi fuerāt necati. Eò igitur ad illum audiendum discipuli iam confluebant, atque ideo Stoici vocati sunt etiam qui ab ipso anteà Zenonij appellabantur, vt Epicurus in epistolis ait. Siquidem & ante illum Stoici qui in illa morabātur, poëtæ dicti erant, vt ait Eratosthenes in VIII. de antiqua comœdia, à quibus multū incrementi ea appellatió accepit. Enimuerò summo in honore apud Atheniēses habebatur Zeno, adeò vt vrbis ac mœnium apud illum claues deponerent, coronaq; aurea, & ærea imagine honorarent. Hoc autem & ciues ipsius fecisse ferūt, magno sibi ornamento fore viri imaginē existimantes. Amplectebantur illū & Sidonij Cittici. Suspiciebat illū & Antigonus, & si quādo Athenas côtendisset, auditor eius erat, multùmq; orabat vt se ad eum conferret. Id ille non paruit quidem ipse, cæterùm Persæum vnum ex familiaribus misit Demetrij filiū genere Citticum, qui olympiade CXXX. florebat, Zenone iam sene. Est autē hic exemplum epistolæ Antigoni, vt refert Apollonius Tyrius in his quæ de Zenone scripsit.

REX ANTIGONVS ZENONI PHIL. S.

EGO fortuna me quidem, & gloria vitam tuam anteire existimo, cæterùm disciplinis studiisq; liberalibus, & perfecta felicitate quam tu poßides, longè abs te præcelli sentio. Quocirca te orare statui, vti ad me proficiscaris, id mihi persuadens te preces meas minimè irritas fieri passurum. Tu igitur modis omnibus enitere, vt tuo contubernio fruamur, certò sciens, non mei tantum, sed omnium simul Macedonum eruditorem fore. Nam qui Macedoniæ regem erudit, atque in virtutem imbuit, eum & subditos quosq; instruere ad fortitudinem & probitatẽ, certum est. Nam cuiusmodi fuerit dux, tales vt plurimum subditos fieri necesse est. Vale.

Ad hæc Zeno ita respondit:

ZENO ANTIGONO REGI S.

AMPLECTOR tuum tam vehemens discendi studium, quòd veram, vtilem atq; necessariam, non popularem & quæ ad peruertendos mores tendit, eruditionem apprehendere instituis. Qui enim philosophiæ amore ac studio tenetur, declinatq; celebrem illam, & vulgarem voluptat

luptatem, quæ quorundam adolescentulorum animos effœminat, eum non natura modò nobilitatem tueri, verùm quidem virtutis quoq; instituto manifestum est. Porrò liberali ac nobili ingenio si adiiciatur modica exercitatio, neq; desit præceptoris copia, maturè ad perfectam virtutis euadit frugē. Equidem nisi senectus mihi obsisteret, sum enim octogenarius, corpúsque præterea inualidum, ipse ad te venirem, vt iubes. Quia verò id nō datur, quosdam ex contubernalibus meis ad te mitto, qui animi bonis me minimè inferiores sunt, & corporis etiam commodis exuperant. His si tu studiosè congrediare, nihil quod ad perfectam pertinet beatitudinem desiderabis. Vale.

Misit autem Persæum quem prædiximus, Thebanumq; Philonidam. Vtriusq; horum Epicurus mentionem facit in epistola ad Aristobulum fratrē, congressosq; Antigono memorat. Placuit Atheniensium quoq; de illo decretum, quoniam est memorabile subnectere. Est autem eiusmodi decretum: Arrenida principe Acamantidis tribus, quinto magistratu Augusti decima, magistratus decimatertia præsidentium concio rata decreuit, Hippio,

Cratiſtoteles Xympeteon, & cæteri primarij. Thraſo Thraſonis filius Anaxenſis dixit, Quoniam Zeno Mnaſæi filius, Citticus, complures annos in ciuitate philoſophè verſatus eſt, atq; in omnibus vir bonus eſſe perſtitit, ac iuuenes qui ad illum diſciplinæ cauſſa cõuenerunt ad virtutem & frugalitatem exhortando, ad ea quæ ſunt optima intendit, vitam ſuam verbis, ac doctrinæ ſuæ conſentaneam exemplar omnibus præponens, bona fortuna viſum eſt plebi laudare Zenonē Mnaſæi filium Citticum, & aurea corona ritè, ac legitimè ornare propter ſingularē eius virtutem & temperantiam. Prætereáque construxere illi ſepulturam in Ceramico publicè. Coronæ autem faciendæ exædificandiq; tumuli plebem iam quinq; viros ex Athenienſibus eligere qui curam habeant. Decretumq; hoc ſcribam plebis inſcribere columnis duabus, licereq; ſibi alteram in Academia, alteram in Lycio pónere. Sumptus verò columnarum diſtribuere eum qui negotiis præeſt, vt omnes intelligant Athenienſium plebem bonos viros, & viuos & defunctos honorare. Ad huiuſmodi autem ſtructuram electi ſunt Tharſo Anacæus, Philocles Piræus, Phædrus

drus Anaphlystius, Melon Acarneus, & Mycythus Sympalleteus. Hoc exemplar decreti fuit. Refert autem Antigonus Caristius ipsum se nō negare Citticum. nam cùm vnus eorum è numero fuerit, atque in columna descriptus sit, qui ad lauacri structuram cōtulere Zenonis philosophi, vt etiam Citticus adiiceretur orauit. Cùm verò fecisset aliquando * vasculo cauum operculum, circunferebat pecuniam, vt Crates præceptor promptum haberet, ac paratum necessarium victū. Aiunt illum plus quàm mille talenta habuisse cùm venit in Græciam, eaq; nautis fœnerari solitum. Edebat modicè panem & mel, & suauis vini paululum bibebat. Pueris semel ferè aut bis vsus est, & ancillula quadam, ne sexum odisse videretur. Eandem quoque domum ipse, & Perseus vnà habuit.

*λωκύθῳ

Is cùm aliquando tibicinam mulierem ad eum induxisset, ab se raptam ad Persæum abduxit, eratq; ad illum aditus facilis, neque ipse difficilè quò quisque vellet circūdabatur, adeò vt sæpe apud eum Antigonus cœnaret rex, atque ad Aristoclem citharœdum ad conuiuium cum illo vnà itabat. Sensim tamē id euitasse traditur, ac declinasse, ne nimis esset popularis, adeò

vt in

vt in summo gradu consideret deuitans vel alteram perturbationis partem. Neq; verò cum pluribus quàm duobus vel tribus ambulabat. Quibusdã verò, vt Cleantes ait in libro de ęre, iubebat æs dare, circunstantes vti ne sibi molesti essent. Cùm circunstarent eum multi confertíque, ostendens in porticu in summo ligneam aræ circunferentiam, Hæc, ait, aliquando in medio erat exposita, quia verò impedimento erat, seorsum posita est. Vos igitur vosmet ex medio tollentes minus molestiarum nobis exhibebitis. Demochare autem Lachetis filio salutante illum, atq; dicente, si quid opus haberet dicturum se ac scripturũ Antigono præbituro omnia, indignatus postea illi congressus non est. Fertur autem post Zenonis mortem Antigonum dixisse, quale spectaculum perdidi. Vnde & Atheniensibus per Thrasonem legatum, vt in Ceramico illi sepulturam facerent, petiit. Interrogatus autem cur illum adeò admiraretur, quia, inquit, cùm illi à me multa, & magna sæpe data sint, nũquam * emollitus est, neq; humilis apparuit. Erat autem & ad inquirendum solers, subtilisq; in omnibus ac diligens. Vnde & Timon in Sillis de eo ita scribit.

*ἐχαυνώθη.

Καὶ

Καὶ φοίνισσαν ἴδον Λιχνόγραμον σκιερῷ ἐνὶ τύφῳ

Πάντων ἱμείρουσαν, ὁ δ' ἔῤῥει γύργαθος αὐτῆς

Μικρὸς ἰὼν, νοῦν δ' εἶχεν ἐλάσσονα σκινδα-ψοῖο. hoc est,

Vidi & in vmbroſo faſtu Lichnogram Phœniſſam

Omnia quæ cuperet, ſed hiabat gyrgathus eius

Diſtillans,& cui ſcindapſo erat inferior mens.

Diligenter autem & accuratè cum Philone dialectico ſe exercebat,atque vna vacabat. Vnde non minori admirationi apud iuniorem Zenonē eſt habitus, quàm Diodorus præceptor eius. Erant autem cum ipſo*nudi ſordidiq; homines,vt ait Timō: * γυμνοὶ

Ὄφρα πενεστάων σύναγεν νέφος, οἳ περὶ πάντων ῥύπαροι

Πτωχότατοί τ' ἦσαν, καὶ κουφότατοι ἀστῶν. i.

Vnam in congeriem donec cumularet egenos;

Qui leuitate,ſimul ſuperarent ſordibus omnes.

Enimuero geſtus ipſius ſubtriſtis grauiſq; & acer fuit, Vnde & rugabat frontem, & ora contrahebat. Vili præterea valde apparatu erat, & qui barbaricam tenuitatem

redoleret, idq; sub prætextu frugalitatis faciebat. Si quem obiurgasset, circuncisè id ac breuiter, neque nimium, sed velut ex longinquo faciebat, vt exempli gratia de eo qui se nimio studio componeret aliquando ait. Cùm enim ille vehiculum quoddam lentè segniterq; transcenderet, meritò, inquit, suspectum habet lutum, neque enim se in illo veluti in speculo intueri potest. Cùm verò Cynicus quispiam oleum se in vasculo non habere diceret, atque ab eo postularet, se minimè daturum asseuerauit, abeuntem verò animaduertere iussit, vter esset impudētior. Cùm esset autem in amasium Chremonidem affectus, ipso & Cleanthe assistentibus surrexit, cumq; admiraretur Cleanthes, ait, & medicos audio dicentes, præclarum esse ad tumores quosq; remedium quietem. Duobus in conuiuio iuxta se recumbentibus, cùm is qui sibi adiacebat, inferiorem socium*pulsaret pede, ipse hunc pulsauit genu, conuerso illi, quid ergo, ait, illum abs te pati arbitraris qui sub te est? Ad eũ qui pueros amabat, neque magistros habere sensum ait, si semper inter pueros versentur, neque illos. Dicebat autem*eruditorum sermones & imperfectos Alexandriæ

*σκιμαλίζοντες.

*ἀσολοίκων.

driæ pecuniæ ſimiles eſſe. Nam gratos quidem oculis ac pictos monetæ inſtar, nihilo tamen eſſe meliores. Eos verò qui ſecus eſſent, tetradrachmis Atticis aſsimilabat, temere quidem ac ruſticè inciſis, ſed qui pictam orationem ſuperare poſsint. Ariſtone autem diſcipulo non ſatis ingenioſè multa, quædam etiam temere procaciterq; diſſerente, poſsibile non eſſet, inquit, ita dicere, niſi ebrius te genuiſſet pater. Vnde ipſum etiam loquacem appellabat. Breuis ipſe in loquendo & circunciſus. * Edaci cuidam nihil obſoniorum ſociis, inter conuiuandum relinquenti, appoſitum ingentem piſcem ſuſtulit, ſoluſq; comedere velle videbatur. Cùm ille in eum intueretur, quid ergo, ait, ſocios quotidie tolerare arbitraris, ſi tu meã edacitatem ferre non vales? Adoleſcentem inſtantius quàm per ætatem conueniret, quiddam inquirentem, admoto ſpeculo iuſsit inſpicere: rogauit deinde num ſibi videretur ei faciei congruere tales quæſtiones. Dicente quodam Antiſthenis ſibi complura minimè placere, adducto in medium Sophoclis teſtimonio, rogauit, num illi bene quædam etiam habere viderentur, illo ſe neſcire dicente, non puderet,

*ὀψοφάγῳ.

inquit, si quid ab Antisthene malè dictum sit, hoc indagare & memoriter tenere, si quid verò boni, negligere neque meminisse? Cuidam breuia esse philosophorũ *dicta asserenti, vera, inquit, loqueris, oportet nempe, si fieri posit, breues esse illorũ & syllabas. Dicente quodam de Polemone, quòd alia proponeret & alia loqueretur, substomachans, quanti enim, inquit, faciebat quæ dabantur? Operæpretium esse dicebat, eum quid disputaret, in morem histrionum voce viribusq; magnum esse, os tamẽ aperire nõ debere immodicè, quòd ij faciunt qui plurima loquuntur quidem, sed ea bene dicere non possunt. His qui bene dicerent, locum minimè relinquendum, veluti præclaris artificibus in spectando. Contrà verò auditorem sic eis quæ dicuntur intentum esse oportere, vt non vacet illi ad notas faciendas. Adolescenti loquaciori, aures, inquit, tuæ, in linguam conflexere. Formoso cuidam dicenti, non videri sibi amaturum sapientem, nihil, ait, vobis formosis esset infelicius. Dicebat & philosophorum plurimos, multis in rebus esse insipientes, in paruis fortuitisq; imperitos. Adiiciebatq; Caphesij illud, qui cùm animaduerteret quendam ex discipulis

*λογάρια.

pulis inflatum atque turgidum, percutiens dixit, non si magnus fueris, bonus eris, sed si bonus, magnus. Adolescẽte quodam audacius loquente, dicere, inquit, nõ possum adolescens quæ occurrunt mihi. Rhodio cuidam formoso atque diuiti, cæterùm ad aliud nihil vtili, cùm nollet recipere eum ad philosophiam, primò quidem super gradus puluerulentos sedere illum iussit, vt abollam fœdaret, deinde verò in pauperum locum introduxit, vt inter pannos eorum versaretur, postremò recessit adolescens. Nihil fastu esse indecentius dicebat, id quod tum in cæteris, tum in iuuenibus maximè. Monebat non circa voces & vocabula memoriam, sed circa intelligentiam mentem exercere oportere, vt ne veluti*lixaturam quãdam assumamus. Conuenire maximè iuuenibus dicebat in omnibus vti summa honestate, habitu, incessu, amictu. habebátque semper in ore Euripidis de Capaneo versus,

* Græcè ἑψῆξιν ἢ σκευασίαν.

Βίος μὲν ἦν αὐτῷ, ἥκιστα δ' ὄλβῳ γαῦρος ἦν.
Φρόνημα δ' ὅτι μᾶλλον εἶχεν ἢ πένης ἀνήρ.

id est,

Erat quidem illi vnde viueret, sed fortuna non efferebatur,
Neq; maiori fastu erat quã quis paup.

 Dicebat

Dicebat ad perceptionem disciplinarum nihil esse alienius poëtica, nulliusq; nos rei maiorem inopiam perpeti, quàm temporis. Interrogatus quis esset amicus, alter, inquit, ego. Seruum in furto, vt aiunt, deprehensum verberabat, cúmque ille diceret, fatale mihi erat furari, & cædi, inquit. Pulchritudinem dixit vocis florem esse, alij verò pulchritudinis vocem. Cùm familiarium cuiusdam iuuenem liuentem aspexisset, video, inquit ad illum, tui furoris vestigia. Cuidam vnguentis delibuto, quis, ait, mulierem olet? Dionysio cuidam quærenti cur se solum non corrigeret, quia, inquit, tibi minus credo. Inepta, & nihil ad rem loquenti adolescentulo, idcirco, inquit, aures habemus duas, & os vnum, vti plura audiamus, loquamur pauca. In conuiuio tacitus sedebat: percontanti causam, nuntia, inquit, regi adesse quendam, qui tacere sciat. Qui autem interrogabant legati à Ptolemæo aduenerant, & discere cupiebant quid de illo regi nuntiarent. Interrogatus quonam esset animo aduersus maledicta, dixit, velut si legatus absque responso remittatur. Refert Apollonius Tyrius, quòd cùm Crates eum per pallium à Stilpone retraheret, dixerit, ô

Crates commodiſsimè auribus philoſophum teneas. Cùm igitur perſuaſeris, tum illum trahe. Nam ſi per vim egeris, corpus quidem apud te, ſed animus apud Stilponem erit. Verſatum illum & cum Diodoro, Hippobotus autor eſt, apud quem & dialecticæ ſtuduit. Iam verò proficiens atque prouectus Polemonis frequentabat auditorium * calcandi faſtus cauſa. Deni- *ἀτυφίας ἕνεκα.
que illum dixiſſe ferunt; Non latet nos Zeno te per horti ianuas irrepere furariq; dogmata, eáque Phœnicum more induere. Fertur cùm dialecticus ſibi ſeptem ſpecies dialectices θερίζοντι ſermone demonſtraſſet, interrogaſſe quidnam ſibi mercedis dari vellet, poſcentiq; centum, ducentum dediſſe, tanto diſcendi amore tenebatur. Aiunt illum primum καθῆκον, id eſt, officium vocaſſe, librumq; de illo ſcripſiſſe. Heſiodi item verſus mutare ſolitum in hanc ſententiam:

Κεῖνος μὲν πανάριστος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ. id eſt,

Optimus ille quidem qui paret recta docenti,
Nec malus ille, poteſt qui per ſe noſcere cuncta.

Præstantiorē enim eū esse, qui bene quod dicitur audire possit, atque eo vti, quàm qui per seipsum omnia assequitur, huic enim solum adesse intelligentiam, qui verò obtemperet, inesse præterea & effectū. Rogatus cur seuerus cum esset, in conuiuio tamen hilaresceret, & lupini ait cùm sint amari, perfusi tamen aqua dulcescunt. Porrò Hecaton scribit in secundo chriarum, eiusmodi consortia non illibenter admittere solitum, ac dicere melius esse pedibus quàm lingua labi, bene paulatim aliquid fieri non parum esse. Hoc alij Socratis dicunt. Erat autem patientissimus, & simplicissimi victus, crudisq; tantum cibis vtebatur, & tenui pallio, ita vt de illo diceretur:

Τὸν δ᾽ οὐκ ἂρ χειμὼν κρυόεις, οὐκ ὄμβρος ἀπείρων,
Οὐ φλὸξ ἠελίοιο δαμάζεται, οὐ νόσος αἰνὴ,
Οὐχ ὥς τις δήμου ἐναρίθμιος, ἀλλ᾽ ὅγ᾽ ἀτειρὴς
Ἀμφὶ διδασκαλίῃ τέταται νύκτάς τε καὶ ἦμαρ. hoc est,

Hunc non acris hyems domuit, non frigidus imber,
Nō solis radij, nō vis teterrima morbi,
Non quicquid vulgò pretiosum, inuictus at vnus

Instabat

Inſtabat grauibus ſtudiis, noctéſque diéſque.

Comici tamẽ imprudentes hunc dum vituperant,laudant.

Nanque Philemon in comœdia philóſophi ait:

Εἰς ἄρτον ὄψον, ἰσχὰς, ἐπιπιεῖν ὕδωρ.
Φιλοσοφίαν καινὴν γὰρ οὗτος φιλοσοφεῖ
Πεινῆν διδάσκει καὶ μαθητὰς λαμβάνει.

hoc eſt,

Cùm pane caricas vorat, & aquã bibit,
Exercet ignotum philoſophiæ genus,
Docet eſurire,dehinc auditores capit.

Alij Poſidippum putant. Iam verò ferme & in prouerbium abiit illud, vt diceretur de eo,Continentior Zenone. Sed & Poſidippus ait in translatis, Itaque diebus decem Zenone continentius. Re enim vera omnes præcedebat formæ excellentia, & honeſtate, magnaq; per Iouem felicitate. Quippe nonageſimo octauo ætatis anno vita exceſsit incolumis,atq; integer,ac ſine morbo.Perſæus autem in ſcholis moralibus ſeptuaginta duorum annorum migraſſe tradit ex vita.Athenas quippe conceſsiſſe ætatis anno XXII. Quinquaginta verò & octo annos ſcholæ præfuiſſe Apollonius autor eſt. Sic autem obiit. Cùm abi-

ret è ſchola, offendit, digitumq́; perfregit. Manu verò terram feriens, dixit illud ex Niobe,

Ἔρχομαι τί μ' ἀΰεις; hoc eſt,

En adſum, quid me oro, vocas?

Continuoq́; ſe ſtrangulans interiit. Athenienſes autem illum in Ceramico ſepelierũt, decretisq́; quę ſupra prędiximus, honorauerũt, virtutis illi teſtimoniũ addentes. In quem Antipater Sidonius ſic ſcripſit.

Τῆνος ὅδε Ζήνων κιτίῳ φίλος, ὅς ποτ' ὄλυμπον

Ἔδραμεν οὐκ Ὄσσῃ Πήλιον ἀνθέμενος.

Οὐδὲ τάγ' Ἡρακλῆος ἀέθλια, τὴν δὲ ποτ' ἄστρα,

Ἀτραπὸν μοῦνος εὗρε σαοφροσύνας. i.

Hic Zeno ille deus patriæ, qui nuper olympum

Scandit, nec Oſſæ Pelion impoſuit,

Geſta enim magni nõ Herculis iſta, ſed altam

Virtute inuenit ſolus ad aſtra viam.

*διογένης Diogenis. Zenodotus Stoicus * Zenonis diſcipulus aliud ſcripſit hanc ſententiam:

Ἔκτισας αὐτάρκειαν, ἀφεὶς κενεαυχέα πλοῦτον

Ζήνων σὺν πολιῷ σεμνὸς ἐπισκυνίῳ.

Ἄρσενα γὰρ λόγον εὗρες, ἀνήθλησω δὲ προνοίᾳ

Α ἴρεσιν ἀτρέστε μάτερ ἐλευθερίας.

Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος ἦν, καὶ ὁ Κάδμος

Κἀκεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα. hoc est,

Vixisti frugi spreto prædiuite luxu
Spectandus, cano Zeno supercilio.
Pugnasti ĩgenio, ĩuenisti masculaverba,
Et tibi libertas dulcis amica fuit.
Si patria es Phœnix, quid tum? nã Cadmus & ipse
Phœnix, cui debet Græcia docta libros.

In genere autẽ de omnibus Stoicis Athenæus epigrammatum scriptor hoc edidit:

Ὦ Στωϊκῶν μύθων εἰδήμονες, ὦ πανάριστα
Δόγματα ταῖς ἱεραῖς ἐνθέμενοι σελίσι,
Τὰν ἀρετὰν ψυχᾶς ἀγαθὸν μόνον, ἅδε γὰρ ἀνδρῶν
Μούνα καὶ βιοτὰν ῥύσατο καὶ πόλιας.
Σαρκὸς δ' ἡδυπάθημα φίλον τέλος ἀνδράσιν ἄλλοις
Ἡ μία τῶν Μνήμης ἤνυσε θυγατέρων. i.

O Stoicę gnari sectę, quã insignia vestra
Dogmata, quę sacris scribitis ĩ tabulis.
Esse bonũ vnã animi virtutẽ. sola tuetur
Quæ validas vrbes, quæq; ea sola hoĩes.
Ast aliis vitę scop⁹ esset spurca voluptas,
Vna egit pulchrę filia Mnemosynes.

Diximus iam quemadmodũ Zeno è vita

discesserit, atque in pammetro nostra sic de eo scripsimus,

Τὸν κιτιᾶ Ζήνωνα θανεῖν λόγος, ὡς ὑπὸ γήρως

Πολλὰ καμὼν ἐλύθη, οἱ δὲ μένων ἄσιτος·

Οἱ δ', ὅτι προσκόψας ποτὲ φῆ, χερὶ γαῖαν ἀλοίσας

Ἔρχομαι αὐτόματος δὴ, τί με, τί με καλεῖς. hoc est,

Cittensem variè extinctum Zenona loquuntur,

Hi confectum annis, hi periisse fame.

Ast alij dixisse ferũt lapsu malè læsum,

Ecce tibi vltro adsum, quid me ita quæso vocas?

Nam nonnulli ita mortuum asserunt, atq; de eius morte hæc dicta sint. Refert Demetrius Magnesius in æquiuocis Mnaseũ huius patrem sæpe vtpote mercatorem Athenas aduentantem complures Socraticos libros Zenoni adhuc puero aduexisse. Iámque tunc in patria philosophiæ desiderio flagrantem, Athenas profectum: Crati cõgressum esse. Videtur autem, inquit, & ipse circa negationes errantium finem statuisse. Sed & per capparim, ait ille, iurabat sicut & Socrates per canem. Quidam tamen, ex quibus est Casiius Sceptius, in plurimis

rimis Zenonem accuſant. Primò quidem quod diſciplinas liberales inutiles denuntiet,in principio ſuæ reipu. Secundò quòd inimicos & hoſtes & ſeruos & alienos ſibiinuicem dicat omnes, qui *probitati ſtudeant,& parentes filiorum, & fratres fratrum,& propinquos propinquorum. Rurſusq; in republ. commendat ciues, & amicos, & propinquos, ac liberos ſolos eſſe, qui ſint ſtudioſi. Stoicis itaque parentes ac liberi inimici ſunt, non enim ſunt ſapientes. Vxoréſque communes itidem in repu. ſtatuat,ac ſecundum ducentos, neque ſacra neque iudicia,neque gymnaſia in vrbibus conſtrui permittat, atque ita de moneta ſcribat. Nummum verò neque commutandi gratia, neque peregrinationis cauſa parari arbitrandum eſt,eandemq; veſtem viros ac mulieres indui præcipiat, nullamq; corporis nudare partem. Porrò hanc eius eſſe remp. & Chryſippus in libro de rep. ſcribit. De amatoriis item diſſeruit in principio libri, qui inſcribitur, ars amatoria. Similia identidem ſcribit in diatribis. Huiuſmodi quædam ſunt apud Caſsium, itémque apud Heſidorum rhetorem Pergamenũ qui etiam expuncta ac eraſa ait ex libris quæ malè ſentirent, ac dicerent

*σπουδαίους.

Stoici

Stoici ab Athenodoro Stoico,cui commiſſa erat ſeruanda bibliotheca Pergamena, deinde rinſerta eſſe deprehenſo ac periclitante Athenodoro. Hactenus de his quæ illi fuerunt obiecta. Fuere autem octo Zenones. Primus Eleates,de quo dicemus. Secundus hic ipſe. Tertius Rhodius,qui locorum ſcripſit hiſtoriam. Quartus hiſtoricus,qui Pyrrhi in Italia ac Sicilia geſta cõſcripſit,epitoménque Romanorũ, & Carthaginenſium rerum. Quintus Chriſippi diſcipulus qui libros quidem ſcripſit perpaucos,ſed complures diſcipulos reliquit. Sextus medicus Herophilius, intelligentiæ acumine potius,quàm ſcriptura clarus. Septimus grammaticus, cuius inter cætera etiam epigrammata feruntur. Octauus Sidonius genere,philoſophus Epicureus,ſenſu & elocutione clarus atque apertus. Zenonis verò diſcipuli fuere complures, hi tamen nobiliores,Perſæus Demetrij filius Citticus. Hunc alij quidem neceſſarium, alij verò famulum illius tradunt, vnumq; ex his qui ad ſcribendos libros miſsi ſibi ab Antigono fuerant, cuius & filij Alcyonei nutritor fuerit. Eius igitur experimentum cùm aliquãdo capere Antigonus vellet, falsò ſibi nuntiari fecit prædia ſua

ab

ab hoſtibus fuiſſe direpta, & cùm triſtior effectus eſſet, vides, inquit, diuitias non eſſe indifferentes. Feruntur eius iſta volumina: de regno, Laconica Reſpubl. de nuptiis, de impietate, Thyeſtes, de amoribus, Exhortatorij, διατριβῶν, χρειῶν, IIII. commentaria, in Platonis leges VII. Ariſto, Miltiades Chius qui ἀδιαφορίαν, hoc eſt, indifferentiam inuexit, Herillus Chalcedonius, qui finem dixit eſſe ſcientiam. Dionyſius qui in voluptatem tranſtulit. Nam ob vehementem lippitudinem grauabatur iam dolorem dicere indifferentem. Fuit autem Heracleotes. Sphærus Boſphoranus, Cleãthes Phanii filius Aſius, qui illi in ſchola ſucceſsit. Hunc ille cereis durioribus tabulis comparare ſolebat, quæ vix quidem & cum difficultate ſcribuntur, ſed quæ inſcripta fuerint, ſeruant diutius. Porrò Sphærus poſt Zenonis mortem Cleanthis idem auditor fuit, dicemúſque de illo cùm ad Cleanthem venerimus. Erant autem & iſti diſcipuli Zenonis vt Hippobotus ait, Athenodorus Solẽſis, Philonides Thebanus, Calippus Corinthius, Poſsidonius Alexandrinus, Zeno Sidonius, In genere verò de dogmatis Stoicis omnibus in Zenonis vita mihi dicẽdum putaui,

quòd

quòd is eius sectæ autor fuerit. Sunt quidem eius & conscripti libri, in quibus ita locutus est vt Stoicorum nemo. Porrò dogmata siue decreta sunt ista in summa. Dicemus autem summatim vt in aliis consueuimus facere. Tripartitam esse dicunt philosophiæ rationem, aliam quippe physicen, ethicen aliam, tertiam logicen dici. Sic autem primus diuisit Zeno Citticus in libro de oratione, Chrysippúsque in primo de oratione, atque in primo Physicorum. Apollodorus item Ephillus in primo Introductionum ad dogmata. Eudromúsque in morali * institutione. Diogenésque Babylonius & Posidonius. Has verò partes Apollodorus quidem locos vocat, Chrysippus verò atque Eudromus species, alij genera. Enimuero philosophiam animali similem dicunt, ossibus ac neruis logicen, carnibus ethicen, animæ physicen conferentes. Siue rursus ouo, esse quippe superficiem logicen, sequētia ethicen, intima & penitus abstrusa physicen. Sunt qui agro frugifero, quippe circuniectam septem logicen, fructum ethicen, humum ac arbores physicen. Nonnulli ciuitati muris optimè septæ ac pulchræ ex dignitate administratæ. Neutram verò

* στοιχειώσει.

part

partem præferri alteri, ſicut quidam eorum mixtas arbitrantur, eáſque confusè ac permixtè tradunt. Alij verò logicen primam, ſecundam phyſicen, tertiam ethicen ſtatuunt. Ex quibus eſt Zeno in libro de ratione, & Chryſippus, & Archedemus, & * Eudromus. Ptolemæenſis verò Diogenes ab ethicis inchoat. Apollodorus autem ethicen ſecundo in loco conſtituit. Porrò Panætius & Poſidonius à phyſicis initia ſumunt, vt Phanias inquit, Poſidonij neceſſarius, in primo Poſidonij qui de ſcholis inſcribitur. Cæterùm Cleanthes ſex philoſophiæ partes ait, dialecticam, oratoriam, moralem, ciuilem, naturalem, theologicam. Alij has partes non rationis, verùm philoſophiæ ipſius tradunt, vt Zeno Tarſenſis. At partem in binas diſciplinas diuidi plerique autumant, rhetoricam atque dialecticam. Quidam verò & indefinitam ſpeciem quæ de regulis eſt atque iudiciis. Alij definitam ipſam diuidunt. nam de regulis atq; iudiciis partem aſſumunt ad inueniendam veritatem: in ipſa enim fantaſiarum differentias dirigunt. Eandem itidem definitiuam ad agnitionem veritatis, quippe per notiores res accipiũt. Porrò rhetoricen artem bene

* εὔδη-μος. Eudemus.

dicendi circa orationem,ad perſuadendum idoneam.Dialecticam verò rectè diſſerendi ſcientiam , circa orationem quæ interrogatione & reſponſione conſiſtit, verſari dicunt.Quocirca ipſam ita definiunt.Scientiam veri falsique & neutrius. Ac rhetoricen quidem ipſam tripartitam eſſe dicunt. Nam aliam deliberatiuã, aliam iudicialẽ, tertiam demonſtratiuam.Diuidi autem in inuentionem,& elocutionẽ, & diſpoſitionẽ,& actionem.Orationem autẽ rhetoricam,in exodium,& narrationem,& confutationem & epilogum.Cæterùm dialecticam diuidi in figuram eorum quæ ſignificantur & vocis locum. Et locum quidem eorum quæ ſignificantur , diuidi in figuram eorum quæ finguntur,atque eis ſubſiſtunt , & iis enuntiationibus atq; exſe perfectis & prædicamentis & ſimilibus , rectis atque ſuperis generibus atque ſpeciebus. Eadem ratione & ex orationibus , ex modis atque ſyllogiſmis , ex eis item quæ præter vocem & res ſunt ſophiſmatis , vt ſunt ſermones falſi atque veri , & negantes , σωρεῖται , & his ſimiles, deficientes & ambigui & concludentes & obſcuri , * cornuti , & οὔτιδες.hoc eſt nihil importantes & merentes. Eſſe autem dialect

*κερατί-δες.

lecticæ locum proprium quem prædiximus de voce ipsa, in quo ostenditur literata vox, & quædam orationis partes, ac de solœcismo & barbarismo & poëmatibus & amphiboliis, & de canora voce, & de Musica, & de terminis secundum quosdam, diuisionibus item & dictionibus. Aiunt autem vtilissimam esse syllogismorum intelligentiam ac subtilitatem, quippe demonstratiuum ostendere, idque multum ad emendationem dogmatum conferre, ordinem & memoriam * doctum assumptum iudicare. Esse autem hanc orationem & ad cogendum & ad concludendum idoneam. Porrò syllogismum orationem ratiocinantem ex his constare. Demōstrationem orationem esse per ea quæ magis comprehenduntur, id quod minus comprehenditur de omnibus colligētem. Fantasiam verò impressam in animo. Nominis figuram propriè translatam figuris quæ in cera per anulū fiunt. Verùm fantasiam aliam esse comprehendere, aliam verò comprehendere non posse. Comprehendere quidem eam quam rerum esse iudicium dicunt quæ fiat ab existente secundum ipsum exiltens insignitam, atque impressam altius. Non comprehendi verò

* ἐπιστατικόν.

eam quæ aut non ab existente, aut ab existente quidem, non autem secundum ipsum existens proficiscatur. Ipsam verò dialecticam esse necessariam, virtutémque in specie virtutes continentem, ἀπροπτωσίαν, scientiam qua docemur quando consentire oporteat, & quādo non. Porrò ἀνεικαιότητα, validam orationem ad id quod decet, ne impertinenti argumento cedamus. Itidem ἀνελεγξίαν, quam dicunt vim esse orationis, ne ab ipsa in contrarium abducamur. Quam autē appellat ἀματαιότητα, habitum esse aduersus futile argumentū, intellectum ad rectam rationem referentem. Ipsamq; scientiam dicunt, aut certam comprehensionem siue habitum in intellectu, susceptione nihil à ratione deuiantem. Cæterùm absque dialecticæ speculatione sapientem in oratione sine lapsu non futurum. Quippe ex illa dignosci verum atque falsum, probabile item & quod ambiguè dicatur intelligi. Ea remota iam non licere ritè interrogare atque respondere, sed pertingere eam, quæ in negationibus est temeritatem, ad ea etiam quæ fiunt, adeò vt in absurditatem ac vanitatem vertantur qui fantasias minimè exercitas habent, neque aliter acutum & ing

ingeniofum, cautumq; omnino in dicendo & fore & vifum iri fapientem. Eiufdem enim effe rectè & loqui, rectéque cogitare, eiufdémq, ad ea quæ proponantur differere, & ad ea quæ interrogantur refpondere, quæ fint omnia viri dialecticæ periti. Hæc igitur in eis quæ ratione colliguntur fummatim illis vifa funt: atque vt etiam particularia non omittamus, & ifta quæ fecundum illos ad inftitutionis artem tendunt adiiciamus, quæ ipfa ad verbum Diocles Magnefius in excurfione philofophorum ponit, dicens ita: Placet Stoicis orationem de intellectu ac fenfu præponere in ordine velut iudicium quoddam, quo rerum veritas nofcitur. Secundum genus fantafia eft, & fecundum quod oratio de confenfione & comprehenfione & intelligentia præcedens. Cætera non abfq; fantafia cõftant, ea quippe præcedit. Deinde mens cuius officium fit enuntiare quod à fantafia patitur, exprimit verbo. Differt autem fantafia à fantafmate. Fantafma enim vifum animi eft: cuiufmodi in fomniis fit. Fantafia verò eft formæ in animo imprefsio, hoc eft, mutatio, ficut Chryfippus in Duodecimo commentario. Neque enim fufcipiendum eft formationem

huiuſmodi eſſe veluti ſigilli formā. Nam poſsibile non eſt figuras plures eodem in loco ſimul fieri. Intelligitur autem fantaſia ea eſſe quæ ab exiſtente ſecundum exiſtens impreſſa, formata atque inſignita eſt: qualis profectò non fieret à non exiſtente. Enimuero fantaſiarum iuxta illos aliæ ſenſibiles ſunt, aliæ non. Senſibiles quidem quæ per ſenſus ſiue cenſum accipiuntur. Non ſenſibiles autem illæ ſunt quæ percipiuntur animo, veluti incorporalium rerum & eorum quæ ratione tantum accipiũtur. Porrò ſenſibiles ab his quæ exiſtunt cum ceſsione & conſenſione fiũt. Sunt autem fantaſiarum etiam euidentiæ quæ ab exiſtentibus rebus quomodolibet fiunt. Præterea fantaſiarum aliæ ſunt rationales, aliæ irrationales. Rationales quidem rationalium animalium, irrationales irrationalium ſunt. Rationales igitur intelligentiæ ſunt, irrationales nomen hactenus non habent. Et aliæ quidē artificiales ſunt, aliæ autem in artem non cadunt. Aliter quidem ab artifice ſpectatur imago, aliter ab artis imperito. At verò ſenſus ſecũdum Stoicos dicitur ſpiritus à principali ad ſenſum pertingens, & quæ per illos fit comprehenſio, ſenſumque ipſorum opificum,
ſecun

ſecundum quod plerique fiunt, dabiles. Actioq; ipſa ſenſus appellatur. Cæterùm cõprehenſio ſecundum illos fit ſenſu quidem, vt albi & nigri, lenis & aſperi: ratione verò eorum quæ ex demonſtratione colliguntur, puta deos eſſe eosq; humanis rebus prouidere. Nam quæ intelligũtur partim per incidentiam, partim per ſimilitudinem, alia per rationem, alia per compoſitionem, quædam per contrarietatem intellecta, & animaduerſa ſunt. Pér incidentiam quidem ſenſibilia intellecta ſunt: per ſimilitudinem verò quæ ab adiacente aliqua re, vt Socrates ex imagine, Per rationem autem ex incremento quidem vt Tytius ac Cyclops: ex detrimento autem vt Pygmæus: Sed ad centrum terræ ex proportione intellectum eſt à minoribus orbibus. Per tranſlationem verò, vt in pectore oculi. Per compoſitionẽ autem, vt Hippocentaurus intelligitur, & per cõtrarium mors. Nonnulla item per tranſitionem intelliguntur, vt quæ dicta ſunt, & locus. Naturaliter autẽ iuſtum quippiam, & bonum noſcitur, & per priuationem vt mancus. Hæc ſunt quæ illi de fantaſia, & ſenſu & intelligentia tradunt decreta. Aſtruunt veritatis eſſe iudicium comprehẽ-

ſibilem fantaſiam, eam videlicet quæ ab exiſtente proficiſcitur, vt Chryſippus in XII. phyſicorum tradit, & Antipater, & Apollodorus. Nam Boëthus quidẽ complura iudicia reliquit, mentem, ſenſum, appetitionẽ & ſcientiam. Sed enim Chryſippus ab illo diſſentiens in primo de oratione, iudicium dicit eſſe ſenſum, & anticipationẽ. Eſt autem anticipatio naturalis intelligentia earum rerum quæ vniuerſaliter ſunt. Alij verò quidem ex antiquioribus Stoicis rectam rationem iudicium tradunt, vt Poſidonius ait in libro de iudicio. Verùm enimuero dialecticæ ſpeculationis ratio, omniũ iudicio, videtur inſpicienda à vocis loco. Eſt autem vox aër ictus: ſeu vt ait Diogenes Babylonius in arte quam de voce ſcripſit, ſenſus eſt, qui propriè auditu percipitur. Animalis quidem vox, eſt aër ex impetu percuſſus. Hominis verò vox eſt articulata vox, & quæ ex mente proficiſcitur, vt ait Diogenes, quæ à XIIII. ætatis anno conſummatur. Sed & corpus eſt vox ſecundum Stoicos, vt ait Archedemus quidam in libro de voce, & Diogenes, & Antipater, & Chryſippus in ſecũdo Naturalium. Omne enim quod facit aliquid corpus eſt, facit autẽ vox quæ

à loq

à loquentibus ad auditores pertendit. Dictio autem ſecũdum Stoicos, vt Diogenes ait vox literata eſt, vt dies eſt. Oratio autem vox ſignificatiua, quæ ex mente proficiſcitur. Loquutio eſt dictio expreſſa iuxta gentium varietatem, quemadmodum Attico more dicitur θάλαττα, Ionico verò ἡμέρη. Dictionis verò elemẽta, viginti quatuor literæ ſunt. Dicitur autem litera tripliciter, elementum, figura, & nomẽ, vt α. Porrò ſeptem ſunt vocalia elementa, α, ε, η, ι, ο, ω, υ. Mutæ ſex, β, γ, δ, κ, π, τ. Differt autem vox à dictione: nam vox quidem, & ſonus eſt, fit enim dictio nihil ſignificans, vt Blytyri, non ſic autem oratio. Differũt item dicere ac pronuntiare. Nam proferuntur voces, dicuntur autem res quæ dici poſſunt. Orationis verò quinq; ſunt partes, vt aït Diogenes in lib. de voce, ac Chryſippus, nomẽ, appellatio, verbum, coniunctio, articulus. Antipater medium adiecit in libris de dictione, & de his quæ dicuntur. Eſt autem appellatio ſecundum Diogenem, pars orationis ſignificãs communem qualitatem, vt homo, equus. Nomen verò, eſt pars orationis ſignificans propriã qualitatẽ, vt Diogenes, Socrates. Verbum eſt pars orationis ſignificans incõpoſitum

Διάλεκτος.

prædicatũ, vt Diogenes, vel ſicut quidam volunt, elementum orationis ſine caſu ſignificans aliquid conſtructum, de aliquo, vel aliquibus, vt lego, ſcribo. Coniunctio autem pars orationis eſt ſine caſu, connectens orationis partes. Porrò articulus elementum eſt orationis caſuale, diſtinguens nominum genera & numeros, vt ὁ, τοῦ, τῷ, οἱ, αἱ, τά. Virtutes orationis quinque ſunt, Græciſmus, euidentia, breuitas, decorum, compoſitio. Eſt igitur Græciſmus recta ſecundum artem loquutio, non vulgarem conſuetudinẽ. Euidentia eſt dictio mentis interpres, qua id quod intelligimus apertè loquimur. Breuitas eſt dictio ipſa tantum quæ ſunt neceſſaria continens, ad ſignificationem rei. Decorum dictio eſt cuique rei propriè accõmodata. Compoſitio dictio eſt qua ruſticitas dicendo deuitatur. Porrò ex vitiis Barbariſmus dictio eſt prœter conſuetudinem felicium Græcorum. Solœciſmus autem eſt oratio incongruè conſtructa. Poëma item eſt, vt ait Poſsidonius in ea introductione quam de dictione ſcripſit, dictio numeroſa certa menſura conſtans, atq; proſæ orationis ſpeciem excedens: vt maxima tellus, & Iouis æther. Poëſis autem ſignificatiuũ eſt poëma di-

uinarum humanarumq; rerum imitationem complectens. Definitio est, vt ait Antipater in primo de definitionibus, oratio per resolutionem perfectè enunciata, siue vt Chrysippus ait in lib. de definitionibus, aßignatio. Descriptio autem est oratio figuratè ad res inducens, siue definitio, definitionis vim simplicius exprimens. Genus est plurium cogitationũ quæ auferri non possunt conceptio, vt cùm dico animal. Hoc enim cuncta per species cõprehendit animalia. Cogitatio est imaginatio mentis, neq; aliquid existens, neque aliquid faciens, sed veluti aliquid existens, & aliquid faciens, vt cùm cogitatur equus etiam non præsens. Species est quæ sub genere continetur, sicuti sub animalis nomine cõtinetur homo. Est autem maximè generalis, quæ cùm sit genus, genus non habet. Est propria maximè, quæ cùm sit species non habet speciem, sicuti Socrates. Est autẽ generis diuisio scisio in cõtinentes species, vt animalium sunt alia rationalia, alia irrationalia. Cõtraria diuisio est generis in speciem scißio per contrarium, velut per negationem, vt existentium quædam sunt bona, quædam verò non bona. Subdiuisio est diuisio sub diuisione, vt illud, existen-

tium

tium alia sunt bona, alia nō bona. Eorum autem quæ bona non sunt, alia mala sunt, alia indifferentia. Partitio autē est generis in loco ordinatio, vt Crinis ait, quemadmodum bonorum alia quidem circa animum, alia circa corpus sunt. Amphibolia dictio est duas aut plures res significans, per orationē ac propriè, & secundum eandem consuetudinē, vt plura simul in eadem dictione possint colligi, veluti cùm dicimus αὐλητρὶς cecidit: significatur enim eadem voce aliquid tale, aula ter cecidit: & rursum tale, tibicina cecidit. Dialectica est, vt ait Posidonius, verorum, falsorum, ac neutrorū scientia. Versatur autem ipsa, vt Chrysippus ait circa significantia, & significata. Hæc igitur atque huiusmodi de speculatione vocis differunt. Porrò in loco qui de rebus significatis est, construitur oratio de his quæ dici possunt, & perfectis enuntiatis ac syllogismis, item de deficientibus, & prædicamentis, rectisq; ac supinis. Aiunt autem illud dici posse quod secundum rationalem subsistat imaginationē. Eorum verò alia dicūt esse perfecta Stoici, alia imperfecta. Ac deficientia quidem sunt, quæ imperfectam habent enuntiationem, vt cùm dicimus, scribit: quæritur enim,

enim, quis: Perfecta verò sunt, quæ plenam habent enuntiationem, veluti cùm dicimus, Socrates scribit. Itaque deficientibus quidem prædicamenta, perfectis verò enuntiata, syllogismi, interrogationes, responsiones applicantur. Est autem prædicatum quod de aliquo enuntiatur, aut res de aliquo, aliquibúsve cõposita, vt Apollodorus ait, siue dicendum deficiens constructum recto casu ad enuntiati generationem. Prædicatorũ autem, alia quidem sunt accidentia, vt nauigare per scopulos, atq; alia quidem prædicata recta sunt, alia supina, alia neutra. Recta quidem sunt, quæ construuntur cum aliquo ex casibus obliquis, ad prædicati generationem, vt est, audit, videt, loquitur. Supina verò sunt, quæ cum particula pasſiua construuntur, vt est, audior, videor. Neutra sunt, quæ neutro se habent modo, vt est sapere, àmbulare. Reciproca in agendo, & patiendo verò sunt, quæ in supinis supina non sunt. Sunt autem actiones cuiusmodi est illud, tondetur. se enim qui tondetur complectitur. Obliqui verò casus sunt genitiuus, datiuus, accusatiuus, ablatiuus. Enũtiatum verò est id quod aut verum aut falsum est, aut perfecta res negãs quantum in seipsa,
vt Chr

vt Chrysippus in dialecticis definitionibus scribit. Enuntiatum est aut negans, aut affirmans quantum in seipso, puta dies est, Dion ambulat. Appellatū est autem Græcè ἀξίωμα quod affirmet vel neget. Nam qui dicit, dies est, videtur affirmare diem esse. Si enim dies sit, verùm est quod proponitur enuntiatum, si verò non, falsum. Differt autem enuntiatum, & interrogatio, & percontatio, & imperatiuum, & adiuratiuum, & substantiuum, & appellatiuum, & enuntiato simile. Enuntiatum quippe est, quod dicentes pronuntiamus quippiam aut verum aut falsum esse. Interrogatio, res est perfecta quidem sicut enuntiatum; sed quę responsionem requirat, vt est, num dies est? Hoc neque verum neq; falsum est. Itaque dum dicimus, dies est, enuntiatū est: dum verò dicimus, Num dies est? interrogatio. Percontatio verò res est ad quam signanter respondere non possumus, sicut in interrogatione etiam, sed dicere, in hoc loco habitat. Imperatiuum autem res est, quam dicentes imperamus, vt est illud:

Σὺ. μὲν βάδιζε τὰς ἐπ' Ἰνάχου ῥοάς. hoc est,

Tu verticosi vade ad Inachi vadum.

Adiuratiuū est res quam si dicat quispiam,

comp

cōpellet oportet & obteſtetur, vt illud eſt:

Ἀτρείδη μέγιστε ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγάμεμνον.

hoc eſt,

Maximè Rex hominū multorū Atrida Agamemnon. Eſt autē ſimile pronuntiato, id quod enuntiati prolationem habens ex quadam parte, abundat ſeu vitium extra genus enuntiatorum cadit, vt illud:

Οὐχὶ καλός γ' ὁ παρθενών;
ὡς Πριαμίδῃσιν ἐμφερὴς ὁ βουκόλος. hoc eſt,

Formoſus an non eſt hic virginū locus?
Quàm ſimilis eſt hic Priami natis bubſequa.

Eſt & ambigua res quædam ab enuntiato differēs, quam ſi dicat quiſpiam ambigat. Nónne ſimile aliquid eſt dolor atq; vita? Neq; enim veræ neq; falſæ ſunt interrogationes, & percontationes, & his ſimilia, cùm pronuntiata aut vera ſint, aut falſa. Enuntiatorū alia ſimplicia ſunt, alia non ſimplicia, vt ait Chryſipp⁹, & Archedemus & Athenodorus, & Antipater, & Crinis. Simplicia quidē ſunt quæ cōſtant ex enuntiato nō ambiguo, vel ex enuntiatis, veluti dies eſt. Non ſimplicia autē ſunt, quæ conſtant ex enuntiato ambiguo, vel ex enuntiatis. Ex enuntiato quidē ambiguo, veluti ſi dies eſt. Ex enuntiatis verò, ſi dies eſt, lux eſt.

eſt. In ſimplicibus verò pronuntiatis eſt enuntiatiuum & negatiuũ & priuatiuum & prædicatiuum & indefinitum. In his autem quæ ſimplicia non ſunt, eſt cõnexum & ſolutum & implicitum & diſiunctũ, & cauſale, & quod explicat id quod maius eſt, atque id quod minus eſt, pronuntiati quidem, vt non dies eſt. Eſt autem huius ſpecies quæ ſuperenuntiatiua dicitur, ea verò eſt enuntiatiui enuntiatiuum, vt non dies eſt, ponit autem dies eſt. Negatiuum verò eſt quod cõſtat ex negatiua particula & prædicato, vt nullus ambulat. Priuatiuũ verò genus eſt, quod ex priuante particula, & enuntiato conſiſtit ſecundum vim, vt inhumanus eſt iſte. Prædicatiuum autem eſt quod conſtat ex recto caſu & prædicato, vt Dion ambulat. Indefinitum eſt quod ex indefinita particula, ſiue ex indefinitis particulis conſtat, vt aliquis ambulat, ille mouetur. Porrò non ſimplicium enuntiatorum coniunctum quidem eſt, vt Chryſippus in Dialecticis, & Diogenes in arte Dialecticæ tradunt, quod conſtat per ſi, coniunctionem coniunctiuã. Vult autem hæc coniunctio: vt ſubſequens ſtatim ſequatur, quod præibat, vt ſi dies eſt, lux eſt. Adiunctum verò eſt, vt Crinis ait, in arte

Dialec

Dialectica, enuntiatum quod à cōiunctione, quoniã, dependet incipiens à pronuntiato & in enuntiatum desinens, vt quoniã dies est, lux est; Spondet autem coniunctio ista, secundũ item sequi post primum, primumq; subsistere. Cōplexum verò enuntiatum est quod copulatiuis quibusdã coniunctionibus cōstat, vt & dies est & lux est. Disiunctum autem est quod aut cōiunctio disiuncta disiungit, vt, aut dies est, aut nox est. Denuntiat autem ista coniunctio alterum enuntiatum falsum esse. Causale autem est enuntiatum quod per quia connectitur, puta, quia dies est, lux est, perinde ac causa sit secundi, primum. Declarans autem quod potius dicitur enuntiatum, est quod construitur per eam cōiunctionem, potius, quod declarat, & media enuntiatorum ponitur, vt potius dies est quàm nox est. Declarans verò minus, pronuntiatum est superiori contrarium, vt minus nox est quàm dies est. Præterea enuntiata illa secundum veritatem & mendacium sibi inuicem opposita sunt, quorum alterum negatur ab altero, vt dies est, & dies non est. Coniunctum ergo verum est, cuius oppositum principali intentioni dicentis repugnat, vt si dies est, lux est. Hoc verum est,

nam non lux, quod dicitur oppositum designanti, repugnat ei quod dicitur, dies est. Coniunctum aut falsum est cuius oppositum antecedenti non reluctatur, vt si dies est, Dion ambulat. Nam illud, Dion non ambulat, nõ repugnat ei quod dicitur, dies est. Adiunctum autem verum est, quod à vero inchoans in consequens desinit, vt quoniam dies est, Sol est supra terrram. Falsum autem aut à falso incipit, aut non in consequẽs desinit, vt quoniam nox est, Dion ambulat, si dicatur id de die. Causale autem verum est, quod à verò incipiens in consequens desinit, non tamen habet desinenti initium consequens, vt quia dies est, lux est. Ei enim quod dicitur dies est, sequitur necessariò lux est. sed quod dicimus lux est, non sequitur dies est. Causale verò falsum est, quod aut à falso incipit, aut non in consequens desinit, aut habet initium desinenti non respondens, vt quia nox est, Dion ambulat. Probabile pronunciatum est quod ad consensionem inducit, vt si quid aliqua peperit, eius illa mater est. Est autem id falsum, neque enim auis oui est mater. Præterea sunt alia posibilia, alia imposibilia. alia item necessaria, alia non necessaria. Posibile quidem est,

quod probat verum esse externis non aduersantibus,ne verum sit,vt,viuit Diocles. Impossibile est, quod verum esse probari nō potest,vt terra volat. Necessarium est, quod cùm verùm sit, falsum esse non potest, aut potest quidē, sed quæ extrinsecus falsum esse conuincunt, vt virtus vtilis est. Non necessarium autem est, quod & verum est,& falsum tamen esse potest,si exteriora non repugnent, vt ambulat Dion. Verisimile pronūtiatum est quod plures, vt verum sic occasiones habet, vt viuemus cras.Sunt item aliæ pronuntiatorum differentiæ, ipsorumq; ex inuicem in falsa & conuersa incidentiæ,de quibus latius dicemus.Oratio est, vt Crinis ait, quæ constat ex lemmate vel lemmatis, & assumptione,& conclusione. Est autem huiusmodi, si dies est, lux est.assumptio verò, dies autem est.conclusio lux ergo est. Modus autem est velut orationis figura, cuiusmodi est illud:si primus, est secundus. atqui primus est, est ergo secundus. Logotropos autem est,quod ex vtriusque componitur, vt si viuit Plato, spirat Plato. Atqui prius ita se habet,igitur & posterius.Inuectum est autem id genus in prolixioribus verborum structuris, vt non necesse esset

assumptionem longam, conclusionemq; dicere, sed tantummodo inferre. primum autem est, ergo & secundum. Orationum verò aliæ quidem conclusionem admittunt, aliæ non. Non recipiunt quibus oppositum conclusionis reluctatur lemmatum connexioni, cuiusmodi est hoc, si dies est, lux est. dies autem est, ambulat ergo Dion. Quæ verò conclusionem admittunt, partim quidem æquiuocæ id genus dicuntur conclusiones, partim syllogisticæ. Syllogisticæ quidem sunt quæ vel absque demonstratione sunt, siue ad eas quæ sunt eiusmodi adducunt, secundum aliquam vel aliqua positiones. Sunt autem huiusmodi, Si ambulat Dion, mouetur ergo Dion. Conclusiuæ autem sunt specialiter quæ colligunt non syllogisticè, vt falsum est, dies est & nox est, dies autem est, non ergo nox est. Præter syllogismos autem sunt quæ probabiliter quidem syllogisticis adiacent, non autem concludunt, vt si equus est Dion, animal est Dion, non ergo animal est Dion. Orationum item aliæ veræ sunt, aliæ falsæ. Veræ quidem sunt, quæ ex veris colligunt, vt si virtus prodest, vitium nocet. Falsæ autem sunt quæ falsum aliquid in assumptionibus habent,

habent, vel quæ non concludunt, vt si dies est, lux est. dies autem est, viuit ergo Dion. Sunt quoque possibiles orationes & impossibiles, necessariæ & non necessariæ. Sunt etiam quæ quòd demonstratione nõ egeant, ἀπόδεικτοι dicuntur. Aliæ quidem apud alios. Cæterùm apud Chrysippum quinque ex quibus omnis ratio texitur, accipiunturq; in concludentibus & syllogismis & tropicis. Prima est huiusmodi, in qua omnis oratio texitur, ex coniuncto & antecedente, à quo inchoat coniunctum quippiam & desinens, vt si primus, secundus, atqui primus, ergo secundus. Secunda est, quæ per coniunctum & oppositũ consequentis, oppositam habet antecedentis *conclusionem, vt si dies est, lux est, atqui nox est, non ergo dies est. Fit enim assumptio ex opposito consequenti, conclusioq; ex opposito antecedenti. Tertia demonstratiua est, quæ per negantem complexionem & vnum aliquid eorum quæ in complexione sunt, infert oppositum reliqui, vt illud, non est mortuus Plato, & viuit Plato, atqui mortuus est Plato, non ergo viuit Plato. Quarta est quæ per disiunctum, & vnum eorum quæ sunt in disiuncto oppositam habet conclusionem reliqui, vt

*συμπέρασμα.

 illud,

illud, aut est primum aut secundum, atqui primum est, non est ergo secundũ. Quinta est in qua omnis oratio construitur ex disiuncto & vno opposito eorum quæ in disiuncto sunt, infertq; reliquum: vt, aut dies est, aut nox est, non est autem nox, dies ergo est. Nam in vero verum sequitur secundum Stoicos, vt dies est, lux est: in falso falsum, vt nox est, falsò tenebræ sunt: & in falso verum, vt volare terram, esse terram. Vero tamen falsum non infertur. Nam dum dicimus esse terram, non sequitur vt volet terra. Sunt item ambiguæ quædam orationes, obscuræ ac latentes, & σωρεῖται, & ceratides, & vtiles. Est autem obscura & inuoluta oratio huiusmodi. Non pauca duo sunt, non etiam tria, ne ista quidem, non autem & quatuor, atque ita vsque decem. duo autem pauca sunt, & decem igitur. οὔτις autem est oratio coniunctiua, ex infinito & finito constans, assumptionem verò & conclusionem habens, vt si quis est hic, non est ille Rhodi. Ac huiusmodi sunt in logicis Stoici, vt maximè asserant dialecticum solum esse sapientem. Omnis enim res per eam quæ in verbis est speculationem cerni, quæq; ad naturam pertinent, & quæ rursum ad

ſum ad mores logicæ egere adminiculo. Quid dicere oporteret de rectitudine nominum, quo pacto ſtatuerunt leges in operibus, non facilè dixerim. Porrò cum duæ ſint conſuetudines quæ virtuti ſubincidũt; altera quidem quid quodque ſit in rerum natura inſpicit, alia verò quid vocetur. Atque in hunc modum de rationali philoſophiæ parte diſſerunt. Enimuero moralem philoſophiæ partem in ſubiectos diuidũt locos, videlicet de appetitione, de bonis & malis, de affectibus, de virtute, de fine, deq; prima * æſtimatione, & de actibus ac de officiis, de adhortationibus & dehortationibus. In hunc autem modum ſubdiſtinguũt, Chryſippus, Archedemus, Zeno Tarſenſis, Apollodorus, Diogenes, Antipater & Poſsidonius. Nam Citticus, Zeno & Cleanthes, vt antiquiores ſimplicius tractarunt. At hi rationalem, naturalémque philoſophiæ partem diuiſerunt. Primam autem hanc animantis appetitionem fuiſſe dicunt, ſeipſum tuendi atque ſeruandi natura ſibi ipſum ab initio ità conciliante, vt Chryſippus ait in primo de finibus, primum proprium cuique animanti dicens ipſius fuiſſe commendationem, huiúsque * notionem. Neque enim fas erat animal

*ἀξίας.

* συνείδη σιν.

animal ipsum vel ab se alienum fieri, vel omnino id fieri, vel non sibi maximè propinquum fieri. Restat igitur vt dicamus hanc ipsum sibi maxima concordia & charitate deuinxisse. Ita enim & noxia propellit, & quæ sibi sunt vtilia suscipit. Quod autem dicunt quidam primam appetitionem animantibus ad voluptatem fieri, falsum esse euincunt. Accessionem enim arbitrantur si quid sit voluptatem esse, cùm ipsam per se natura inquisierit, & quæ commendationi suæ sunt accommodata percepit, quemadmodum exhilarescunt animalia, virescúntq; arbores. Nihil quicquam, aiunt, discreuit natura in arboribus & animalibus, quando de illis absque motu voluntatis ac sensu disponit, & in nobis quædam ea ratione fiunt. Cùm verò ex superfluo appetitio animantibus accreuit, qua vtentes peragant quæ sua sunt, in eis quidem naturali quadam ratione appetitionem illam disponi. Cæterùm cùm rationalibus perfectiore * præcepto data sit ratio, vt ex illius præscripto & conuenienter naturæ viuant, ex natura sibi insitum esse, ea quippe artifex accedit moderatrixq; appetitionis. Quocirca primus Zeno in lib. de natura hominis, finem ait cõsentaneè

* προστασίαν.

ſentaneè ſecũdum naturam viuere, id autem eſt ſecũdum virtutem viuere, ad eam quippe natura nos duci. Similiter & Cleanthes in lib.de voluptate, & Poſsidonius, & Hecato in lib.de finibus. Rurſus ſecundum virtutem viuere,idem eſt quod ſecũdum experientiam eorum quæ ſecundum naturam accidunt viuere, vt Chryſippus in primo de finibus ait,partes enim naturæ vniuerſi ſunt naturæ noſtræ,Idcirco finis efficitur * conſentaneè ſecundum naturam viuere,ſecundum ſuam atq; vniuerſorum naturam,nihil eorum faciendo quæ à communi lege prohibentur, quæ eſt recta ratio in omnes perueniens, eadémque in Ioue hoc principe gubernationis omnium quæ ſunt. Eſſe autem hoc ipſum felicis hominis virtutem & copiam vitæ cum omnia geruntur ex concentu qui apud vnumquenque eſt pro voluntate gubernationis omnium. Diogenes igitur finem definit eſſe rationi ritè obtemperare in eis eligendis quæ ſecundum naturam ſunt. Archedemus autem nihil officiorum omittendo viuere. Naturam autẽ Chryſippus quidem eam cui conſentaneè oporteat viuere, & communem intelligit, & propriè humanam. At verò Clean-

*ἀκολούθως.

thes communem tantummodo naturam, suscipit, quam sequi oporteat, non etiam particularem. Virtutemq; affectionem esse consentientem, & ipsam propter seipsam esse virtutem, nō ob metum aliquē aut spem, aut aliquid eorum quæ sunt externa, sed in sese cuiusq; constitutam esse beatam vitam. Nā cùm sit animæ insita ad consensionē totius vitæ: peruerti autē rationale animal plerumq; exterioribus negotiis inductum, plerūq; rationaliter persuasum, aliquando autem ob familiarium

* κατήχησιν.

* instructionem. Natura enim occasiones dat minimè peruersas. Est autē virtus alia quidem communiter omnibus perfectio quædam, veluti statuæ, alia inuisibilis, veluti sanitas, & alia speculatiua, vt est prudentia. Ait enim Hecato in primo de virtutibus, sciētiam quidē & speculatiuas quæ ex speculationibus constant virtutes tueri, vt prudentiam atque iustitiam. Speculatione autem vacantes eas quæ ita fermè per extensionem inspiciantur, vt illæ quæ ex speculationibus constant, veluti sanitatem & robur. Quippe & insipientiam quæ & in speculationis parte est, sequi contingit, ac proferri sanitatem, non secus ac * fornicis structuræ robur accedere. Appellantur

* ψαλίδος.

lantur autem ἀθεώρητοι, quia consensiones non habent, sed accedunt, & circa ignauos sunt, vt sanitates & vires. Argumentũ verò quòd substantialis virtutis sit, ait Possidonius in primo moralis orationis, quòd in profectu fuerint Socrates, Diogenes, & Antisthenes. Esse autem & vitium subsistens, quia virtuti opponatur. Docibilem verò esse virtutem & Chrysippus in primo de fine dixit, & Cleanthes & Possidonius in exhortationibus, & Hecato. Quòd autem docibilis sit ex eo constat, quòd boni ex malis fiãt. Panætius quidem duas posuit virtutes, contemplatiuam & actiuam. Alij tres, rationalem, naturalem, & moralem. Quatuor Possidonius, plures Cleanthes, Chrysippus, & Antipater. Apollophanes verò vnam dicit virtutem, prudentiam. Porrò virtutem alias quidem primas, alias verò eis subiectas. primas quidem, ac veluti principes has esse, prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam. harum autem in specie, magnanimitatem, conscientiam, tolerantiam, * ingenium, consilium. Ac prudentiam quidem scientiam, esse bonorum ac malorũ, ac mediorum. Iustitiam verò sciẽtiam eorum quæ eligenda sunt, quæq; fugienda,

* ἀγχίνοιαν.

quæq;

quæq́, sunt media. Cæterùm magnanimitatem, scientiam quæ habitum faciat excelsiorem omnibus quæ contingere possint ex æquo bonorum ac malorum. Continentiam verò affectionem insuperabilem rectæ rationis, siue habitum voluptatibus inuictum. Porrò tollerantiam, scientiam, siue habitum earum rerum quibus insistendum sit, vel non, atque mediarum. Ingenium autem habitum celerem officij inuentorem. Consilium verò, scientiam inspiciendi quænam, & quo pacto gerentes vtiliter quippiam operemur. Consentaneum est autem vitiorum quoque alia prima, alia his esse subiecta, puta imprudẽtiam, formidinem, iniustitiam, intemperantiam, incontinentiam, & hebetudinem, & malum consilium his esse subiecta. Esse autem earum rerum ignorantiam initiũ, quarum scientia virtus sit. Bonum verò cõmuniter quidem id esse quod sit vtile, propriè verò siue idem, siue ab vtilitate non alienum. Quocirca ipsám quoque virtutem & particeps ipsius bonum, ita tripliciter dici, cuiusmodi sit, bonum ex quo contingit, veluti in virtutis actum. A quo autem veluti studiosum virtutis participem. Aliter ita propriè definiunt bonum, quod

sit

ſit perfectum ſecundum naturam rationalis vel quaſi rationalis. Huiuſmodi verò eſſe virtutem, vt participes ſui actus ac probos reddat. Acceſsiones verò ipſius gaudiū eſſe & lætitiam, & his ſimilia. Eodem modo & in malis, aliud quidem eſſe imprudentiam formidinem, iniuſtitiam, & his ſimilia. quæ autem participent vitioſos eſſe actus & malos homines. Horum eſſe acceſſiones mœrorem & angorem, & cætera in hunc modum. Præterea bona alia eſſe circa animū, alia extrinſecus, alia neq; circa animū neq; extra. Ea quidem quæ ſunt circa animū, virtutes eſſe virtutiſq; actiones. Quæ verò extrinſecus ſunt, nobilem habere patriam, & amicum charum atque probum, harumq; rerum comitem felicitatem. Quæ verò neq; extrinſecus neque in animo ſunt, quemq; ipſum ſibiipſi eſſe bonum ac felicem. Rurſus autem mala partim eſſe circa animum, ipſa videlicet vitia actúſq; vitioſos, partim extrinſecus, vt ſtultam habere patriam & ſtolidum amicum, & quæ iſta conſequuntur. Infelicitatē partim neque extrinſecus eſſe, neq; circa animum, vt ipſum ſibiipſi eſſe malum, atque infelicem. Item bona alia verſari circa fines, alia in effectu conſiſtere, alia vtrunq;.

Simul

Simul esse amicum quidem,& quæ ab ipso nobis proueniunt commoda, effectu esse bona. Porrò confidentiam,& magnitudinem animi, & libertatem, & oblectationem,& lętitiā,& tranquillitatem,omnémque virtutis actum, finis in parte esse, eadem verò vtrunque simul esse. Nam ex eo quidem quòd perficiūt felicitatem,effectiua sunt bona: ex eo verò quod illā veluti partes ipsius implent, ad finem pertinent. Pari ratione malorum quoque alia esse finalia,alia effectiua, alia in vtrunque modum se habentia. Inimicum nempe & quæ ab ipso oriuntur incommoda effectiua esse.Stupiditatem autem & humilitatē, & seruitutem,& molestiam, & mœrorem ac tristitiam,omnem actum malitiæ ad finem pertinere.Ea verò se vtroq; modo habent. Nam & ex eo quòd inferunt infelicitatem,affectiua sunt:& ex eo quòd eam, vtpote ipsius partes,implent,ad finem pertinent. Præterea bonorum animi,alia habitus sunt,alia affectiones, alia neutrū eorum. * Affectiones quidem virtutes sunt, habitus autem studia.Porrò *Actiones neque habitus neq; affectiones sunt.Communiter autem bonorū quædam sunt mixta, vt fœcunditas prolis, & quieta senectus.

* διαθέσεις.
* ἐνέργεια.

Simp

Simplex verò bonum eſt ſcientia, ac ſemper quidem præſentia bona virtutes, non ſemper autem, vt gaudium, deambulatio. Bonum autem omne cõducens,& oportunum,& cõmodum,& vtile,& honeſtum,& pulchrum,& optabile,& iuſtum eſſe. Conducens quidem quod ea conferat, quibus emolumẽtum capimus. Oportunum quod ea quæ oportet contineat. Commodum. quod ad id accommodatum ſit, vt excedat emolumento extrinſecus contra contracta commerſia. Vtile, quod vſum præſtet vtilitatis. Honeſtum verò quod laudabilẽ conuenientiam operetur. Pulchrum, quod moderatè ſui vſum præbeat: ὠφέλιμον, quod tale ſit vt iuuare poſsit. Optabile, quod eiuſmodi eſt vt optione præpoſita meritò id eligamus. Iuſtum verò, quòd iuri ac legi concordet, efficiatq; ſocietates. Honeſtum autem quod ſit, perfectum dicunt bonum, quod omnes à natura habeat quæſitos numeros, ſitq; perfectè moderatum. Eius quatuor ſpecies tradunt, iuſtitiam, fortitudinẽ, temperantiam & ſcientiam. Porrò his honeſtas actiones cõſummari. Eadem itidem ratione turpe quod eſt, in ſpecies quatuor ſcindunt, in iniuſtitiam, formidinem, intemperantiam,& inſipientiam. Dici autem

tem honestum vnicè quidem, quod eo qui hoc præditi sunt, meritò omni laude dignos facit. Aliter autem benè & aptè ad opus suum natum esse. Aliter verò quod exornet, cùm dicimus solum sapientem bonum, honestumq; esse. Dicunt autem quod honestum sit, id solum esse bonum, vt Hecato in primo de bonis ait, vt Chrysippus in libro de honesto. Id autem esse, virtutem & quod sit virtutis particeps, cui æquale illud est, bonum omne quod sit, id etiā honestum esse. Honestum autem ac bonū tantūdem valere. Id autem huic simile est: Nam quia bonum est, honestum est: Est autem honestum, bonum ergo est. Putant & omnia bona esse paria, bonúmque omne summopere esse appetendum, idq; nec augmentum suscipere, nec detrimētum. Eorum autem quæ sunt, aiunt alia bona, mala alia, alia neutra. Bona quidem virtutes esse, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, & cætera id genus. Mala verò his opposita vitia, imprudentiam, iniustitiam, & cætera. Neutra verò, quæ neque prosunt neq; obsunt, vt est vita, sanitas, pulchritudo, voluptas, vires, opes, gloria, nobilitas, & quæ eis opposita sunt, mors, ægritudo, dolor, turpitudo, infirmitas, inopia,
obscu

obſcuritas atque ignobilitas, & his ſimilia, vt ait Hecato in ſeptimo de fine,& Apollo dorus in Etice,& Cryſippus. Nō enim eſſe iſta bona,ſed indifferentia per ſpeciē producta.Sicut enim caloris propriū eſt calefacere,non refrigerare, ita & boni propriū prodeſſe eſt, & nō nocere.Non aūt magis proſunt,quàm noceant opes atque ſanitas. Quo autē benè & malè vti poſſumus,id bonū non eſt:diuitiis autē & ſanitate benè & malè vti poſſumus, non eſt igitur bonum opulētia & ſanitas. Poſsidonius tamen iſta quoq; bona eſſe dixit. Sed neq; voluptatē bonum eſſe dicunt, & Hecato in nono de bonis,& Chryſippus in libris de voluptate. Eſſe enim & fœdas voluptates, verùm nihil quod fœdum ſit eſſe bonum. Prodeſſe autem eſt mouere, aut habere ſecundum virtutem.Contrà verò nocere,eſt mouere, aut habere ſecundum vitium. Duobus autem modis dici indifferentia. Vno quidem, ea quæ neque ad felicitatem, neque ad infelicitatem conferunt, vt ſunt diuitiæ, ſanitas, vires,gloria, & cætera id genus. Nam & ſine his contingit felicem eſſe, cùm earum vſus vel rectus felicitatis, vel prauus infelicitatis autor ſit. Aliter autem dicuntur indifferentia,quę neq;

appetitum, neque occasionem mouent, vt est, vel * pares in capite habere capillos, vel impares, vel extendere, vel contrahere digitum. Priora enim quæ diximus indifferentia non ita se habent. Illa quippe & appetitum & occasionem mouent. Idcirco alia quidem ex eis eliguntur, cum cætera æqua ratione vel eligēda sint, vel fugienda. Porrò indifferentium alia quidem * producta sunt, quæ vocant, alia abducta. Producta quidem, quæ habeant existimationem: abducta verò quæ existimatione careant. Existimationem verò quidem conferre aliquid ad cōsentaneam vitam, quæ circa omne bonum est. Aliam verò mediam quandam vim, aut vsum cōferre ad eam vitam quæ sit secundum naturam, cuiusmodi dicere possimus opes atque sanitatem, si quid afferant commodi ad naturalem vitam. Metuere enim nunquam sapientem, sed cauere. Cupiditati voluntatem contrariam dicunt, quæ sit appetitio rationabilis. Quemadmodum igitur sub prioribus perturbationibus quædam cadunt, ita & sub primis affectionibus. Namque voluntati adiungi beneuolentiam, placiditatem, lenitatem, dilectionem. Cautioni autem verecundiam, castitat

* ἄρτιας.
* προηγμένα.

stitat

ſtitatem, & cætera id genus. Gaudio iocunditatem, lætitiam, æquanimitatem. Aiunt autem & ſemper quietum eſſe, ac perturbationibus vacuum. Eſſe item & alium ſine effectu malum, quod tantundem valet, ac ſi dicatur durus & ad virtutis actiones immobilis. Faſtu itidem vacare ſapientem, quippe tanti honorem & gloriam exiſtimare, quanti dedecus & ignominiam: eſſe & malum quemlibet ſine faſtu. Quippe qui æquè mouetur ad decus & ignominiam. Seueros item aiunt eſſe ſapientes omnes, quòd neque ipſi loquantur ad voluptatem, neq; ab aliis ad voluptatem dicta admittant. Eſſe autem & alios ſeueros qui ad rationem acris vini ſeueri dicantur, quo ad medicamenta potius quàm ad * propinationem vtuntur. Syncerος item eſſe ſapientes, obſeruareq; & cauere ſolitè, ne quid de ſe melius quàm ſit cõmendare putemur, fuco ſeu arte aliqua mala occultante, & bona quæ inſunt apparere faciẽte, ac circuncidere vocis omnem fictionem. Eſſe itidem ſpeciem à negotiis remotos. Cauere enim ne quid præter officium faciant, ac eos vinum quidem bibere, nõ autem inebriari. Nunquam item ſanitate mentis excidere. Incidere tamen

* προπόσιν.

aliquando in imaginationes absurdas, propter atræ bilis redundantiam, siue ob delirationem, non quidem deuiatione rationis, verùm ex imbecillitate naturæ. Neque dolore capiendũ sapientem, quòd ea ægritudo sit animi ratione aduersante, contractio, quemadmodum Apollodorus ait, in moralibus. Diuinos quoque esse, quòd in seipsis quasi habeant deum. Malum verò, impium & sine deo esse, quòd duplici ratione accipitur, siue quòd deo contrarius dicatur, siue quòd aspernetur deum. Id tamen malis omnibus non conuenire. Pios autem & religiosos esse sapientes, peritos enim esse diuini iuris omnes. Porrò pietatem scientiam esse diuini cultus: diis item eos sacrificia facturos, castósque futuros. Quippe ea quæ in deos admittuntur peccata detestari, diisq; charos ac gratos fore, quòd sancti iustiq; in rebus diuinis sint. Solos verò sacerdotes esse sapientes, consulere quippe ac decernere vero cum errore fiunt, vt mutilare seipsum, substãtiamq; proiicere: eadem ratione & de his quæ præter officium sunt. Præterea officiorum alia quidem semper efficienda sunt, alia verò non semper. Et semper sanè, vt est interrogare atq; respondere, & ambulare,

& eius

& eius generis omnia. Eadem & in his quę sunt præter officium ratio est. Est etiam in mediis officium aliquod, vt est pueros obtemperare pædagogis. Aiunt autem animam octo in partes esse diuisam. Esse autem has illius partis quinque sensus, & vocis & cogitationis instrumentum, quæ est ipsa mens, & generandi vim. Enimuero ex falsis accedere mentis peruersionem, ex eásque complures pullulare perturbationes, atq; inconstantiæ causas. Est autem secundum Zenonem ipsa perturbatio irrationabilis ac præter naturam animi motus, aut immodicus animi impetus. Porrò perturbationem supremarum, vt ait Hecato in secundo de perturbationibus, ac Zeno in eo quem scripsit itidem de perturbationibus libro, quatuor esse genera, dolorem, metum, concupiscentiam, voluptatē. Putant autem perturbationes iudicia esse, vt Chrysippus in libro de perturbationibus ait. Quippe auaritiam opinionem esse de pecunia, quòd honesta sit: ebrietatemq; itidem, & intemperantiam, & cætera similia. At dolorem quidem irrationabilem animi contractionem esse. Eius autem species misericordiam, inuidiam, æmulationem, zelotipiam, angorem, conturbationē,

tristitiam, mœrorem, confusionem. Misericordiam dolorem esse ex alterius prolata iniuria. Inuidiam verò dolorem esse in alienis bonis. Aemulationem dolorem ex eo, quòd alius eo potiatur quod quisque cupierit. Zelotypiam ægritudinē esse ex eo venientem, quòd adsit alteri quod ipse quisq; habeat. Angorē verò ægritudinem esse prementem. Conturbationem ægritudinem esse vrgentem, difficultatémque præstantem. Tristitiam ægritudinē altius insitam animo, atq; crescentē. Mœrorem ægritudinem laboriosam. Confusionem ægritudinē esse irrationabilem, mordentem, & præsentia conspici prohibentem. Timorem autem esse metum impendentis mali. Porrò ad timorē & ista referunt, metum, pigritiam, pudorem, terrorē, tumultum, anxietatem. Esse autem metum timorem trepidationem facientē. Pudorem metū esse ignominiæ. Pigritiam metum futuri laboris. Terrorem metum ex insuetæ rei imagine proficiscentem. Tumultum metū esse cum adhæsione vocis. Concupiscentiam verò irrationalem esse appetitum, cui & ista tribuantur, indigentia, odium, contentio, ira, amor, iracundia, excandescentia. Est autem indigentia cu-

pidit

piditas quædã cùm eo non potimur quod cupimus, ac veluti à re ipſa ſeparata, fruſtra verò ad illum nititur. Odium verò eſt cupiditas qua malè cuiquã optamus, cùm profectu aliquo & incremento. Cõtentio cupiditas quędam eſt circa opinionẽ tuendam. Ira libido puniendi eius eſt, qui læſiſſe videatur iniuria. Amor autem eſt cõcupiſcentia quædam in præſtanti ingenio viros non cadens. Eſt enim inſidiatrix induſtriæ & ſtudij per apertã ac ſe ingerentem pulchritudinem. Iracundia eſt ira inueterata, & plena odij, vlciſcendi tempus obſeruans, quod hiſce verbis oſtenditur:

Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ
Ἀλλάγε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσῃ. hoc eſt,

Nam ſi quidem ad tempus bilem ſibi concoquat atram,
Non tamẽ ira animo excedet niſi pœna ſequatur.

Porrò excandeſcentia eſt ira naſcens, & mox ſubſiſtens. Cæterùm voluptas eſt irrationabilis eius rei appetitus quæ videatur expetenda. Eius partes ſunt, delectatio, gaudium in malis, oblectatio, effuſio. Eſt autem delectatio voluptas ſuauitate

auditus animam deliniens. Insultatio autem voluptas in malis alienis. Oblectatio quædam est inductio animiq; inclinatio, ad voluptatē emolliens. Effusio verò virtutis dissolutio est,atq; remissio.Sicut autem in corpore sunt ægrotationes quædā, veluti podagræ, & articulorum dolores, ita & in animo gloriæ, & voluptatis appetitio immodica, & cætera eiusdem generis. Est ægrotatio morbus cum imbecillitate. Morbus autem opinatio vehemens eius rei quæ videatur expetenda. Et sicut in corpore casu gignuntur ægritudines,quemadmodum κατάῤῥοι, & διάῤῥοια, ita & in animo sunt quædam procliuitates,vt inuidentiæ, contentiones ac similia. Esse autē; & bonas affectiones aiunt tres, gaudium,cautionem,voluntatem.Esse verò gaudium placidum,& constans contrarium dolori,rationabilemq; voluptatem. Cautionem verò, malorū declinationem cum ratione timori contrarium, quæ est declinatio sine ratione. Nā metuere existimationem probati vicissitudinē, quancunque statuerit peritus rerum, vt verbi gratia, commutare cum hordeo triticum. Esse igitur producta, quæ & existimationem habent, vt in eis quidem quæ ad animam

mam

mam pertinent, ingenium, artem, profectum, & his similia. In corporalibus autē, vitam, sanitatem, robur, bonam habitudinem, integritatem, pulchritudinem. In eis verò quæ sunt exterius, diuitias, gloriam, nobilitatem, & in his similia. Contrà autem superioribus, in his quidem quæ ad animum pertinent, obtusionem, hebetudinem, inertiam, & his similia. Porrò in rebus corporis, mortem, morbum, imbecillitatem, malam habitudinem, debilitatem, turpitudinem, & his similia. In exterioribus autem, paupertatem, obscuritatem, ignobilitatem, & cætera in hunc modum. Neq; verò producta sunt, neq; non producta, quæ neutro se habent modo. Præterea productorum alia quidem per seipsa producta sunt, alia verò propter alia, alia & propter seipsa, & propter alia. Per seipsa quidem, vt ingenium, profectus, & similia. Per alia verò, vt diuitiæ, nobilitas, & cærera id genus. Ob seipsa verò & alia, vt valentia, viuacitas, sensuum incolumitas. Per seipsa quidem quia per naturam sunt: per alia verò, quia non modico vsui sunt. Eodem se modo habet abductum cōtraria ratione. Officium autem id esse dicunt, quod cur factum sit proba-

bilis ratio reddi potest: pertingere autem id ad arbores etiam & animantes. Notari nanq; & in his officia. Cæterùm & à Zenone primo τὸ καθῆκον ita appellatum est officium, ex eo quòd per quosdam veniat, appellatione sumpta. Esse autem id actionem quandã naturalibus rebus propriam. Nam ex his quæ secũdum appetitum geruntur, alia quidem esse officia, alia præter officium. Ea verò officia intelligenda, quæ ratio facienda suaserit, vt parẽtes honorare, fratresq; ac patriam tueri, amicos parare, illisq; adesse. Præter officium sunt quæ ratio fugienda suggesserit, vt est parentes negligere, fratrũ omittere curam, amicis non consentire, patriamq; aspernari, & cætera in hunc modum. Quæ autem ratio fieri, neque vetat, neq; postulat, ea neque officium esse, neq; præter officium, vt est festucam tollere, tenere stylum, * vrceum, & cætera id genus. Atque alia quidem officia esse absq; errore, alia cum errore. Sine errore quidem, vt valetudinem suam, sensúsq; tueri, & similia. Quæ de sacrificiis, templorum instructionibus inductionibúsque cæteris quæ sunt diis gratissima. Colendos item parentes ac fratres secundum deos monent. Aiunt autem

*στλεγγίδα.

tem

tem affectum, & indulgentiam in filios ipsis esse naturalem, malisq; inesse negāt. Peccata item paria existimant, vt Chrysippus ait in IIII. naturalium quæstionū, Persæusq;, & Zeno. Nam si verum vero maius nō est, nec falsum falso maius erit, ita nec fraus fraude, nec peccato peccatū. Nam & qui centum stadiis abest à Canopo, & qui vno, æque in Canopo non sunt, ita & qui minus peccat, & qui amplius, æquæ in * recto opere non sunt. Heraclides tamen Tarsensis Antipatri Tarsensis necessarius, atque Athenodorus imparia peccata dicunt. Accessurum item sapientem ad remp. nisi quid impediat, vt Chrysippus in I. de vitis ait: namq; & vitia propulsaturum, & ad virtutem exercitaturum ciues suos. Vxorem item ducturum, procreandorum liberorum causa, vt Zeno ait in repub. Sapientem præterea non opinaturum, hoc est, mendacio nō accessurum, neque assensurum cuiquam, cynicam sectam amplexurum: esse enim illam validam ac celerem ad virtutē viam, vt Apollodorus in moralibus fatetur. Gustaturum insuper humanas carnes, si ita casu obuenerit. Solumq; sapientem esse liberum, malos autem seruos. Esse enim libertat

* ἐν τῷ κατορθοῦν.

bertatem per se aliquid agendi, qua stulti & mali omnino careāt. Esse autem & seruitutem aliam quæ in subiectione consistat, & tertiam quæ in conditione ac subiectione sit, cui opponitur dominatio, & ipsa mala. Non modò autem liberos esse sapientes, verùm & reges. Cùm sit regnū imperium nemini obnoxium quod de sapientibus solis asseritur, vt Chrysippus ait in lib. quòd Zeno propriè sit vsus nominibus. Statuere enim ait oportere principem de bonis ac malis: hæc autem malorum scire neminē. Similiter ad magistratus, & iudicia, & oratoriam solos illos idoneos, neminemq; malorum. Esse itidem & inculpatos, quòd in peccata incidere nō possint: esse innocuos, nam neq; aliis nocere, neque sibi: misericordes autem non esse, neq; veniā alicui habere. Neq; enim prætermissuros constitutos à lege cruciatus. Nam cædere misericordiaq; & mansuetudo ipsa nulli inest animæ, aduersus cruciatus simulatiône benignitatis, neque illos arbitrari duriores. Sapientem nihil eorum admirari, quæ videantur inopinata, & insperata, vt Charonia, fluxusq; maris ac refluxus, & fontes calentium aquarum, atque ignium euaporationes. Enimuerò

uerò neq; ſolitarius, inquiunt, ſapiens uiuet. Eſt enim familiaris natura atq; actione gaudet, exercitationemq́; ſuſcipiet firmandi ac roborandi corporis cauſa. Orabitq́;, inquiunt, ſapiens, ac vota faciet, bona à diis poſtulans, vt Poſsidonius in primo de officiis, & Hecato in tertio de paradoxis aiunt. Dicunt item amicitiam ſolos inter bonos quos ſibi inuicem ſtudiorum ſimilitudo cōciliet, poſſe conſiſtere. Porrò amicitiam ipſam ſocietatem quandam eſſe dicant omnium, quæ ſunt, ad vitam neceſſaria, cùm amicis vt nobiſipſis vtamur: atque ob id amicum eligendum pronuntiant, amicorumq́; multitudinem inter expetenda ponunt: inter malos non poſſe conſtare amicitiam. Cùm nemine ſtultorum eſſe litigandum, omnesq́; ſtultos inſanire. Neque enim prudentes eſſe, verùm per inſaniæ æqualem ſtultitiam omnia genere. Sapientem omnibus benefacere, ſicuti & Iſmeniam dicimus tibiis omnibus bene cecinisse. Sapientum quoque eſſe omnia. Quippe perfectā illis poteſtatem à lege præſtitam. Cæterùm malorum ac ſtultorum quidem eſſe quemadmodum & iniquorum, aliter quidem ciuitatis, aliter vtentium dicimus. Virtutes ſibi

sibi inuicem ita esse cônexas, vt qui vnam habuerit, omnes habeat: esse enim illarũ communes speculationes, vt Chrysippus in primo de virtutibus, & Apollodorus in physice secundum * antiquum morem, & Hecato in III de virtutibus aiunt. Qui enim probus sit, ea dispicere, & agere quæ sint agenda, quæ verò facienda sint, ea & eligenda esse & sustinenda & distribuenda, & perseueranter tenenda. Sequuntur autem prudentiam cõsiliorum maturitas, & intelligentia, temperantiam verò ordinis dexteritas, & ornatus. Iustitiam autem æquitas & gratitudo, fortitudinemq; constantia atq; valentia. Placet autem eis nullum inter virtutẽ, & vitium esse medium. Peripateticis contrà inter virtutem, & vitium profectũ facientibus. Quemadmodum enim lignum aut distortum aut rectum oportere esse aiunt, ita iustũ vel iniustum: neq; verò iustius neque iniustius, atq; in cæteris similiter. At virtutẽ Chrysippus quidẽ amitti posse, Cleanthes verò non posse ait. Ille posse amitti per ebrietatem, & atram bilem, ille non posse ob firmas ac stabiles comprehensiones, ipsam verò esse eligendam. Erubescimus denique in his quæ malè agimus, adeò vt quod sit

*τὴν ἀρχαίαν.

ſit honeſtum , id ſolum ſcimus eſſe bonū, ipſumq; ſibi ſufficere ad bene beateq; viuendum, vt ait Zeno, & Chryſippus in libro de virtutibus,& Hecato in ſecundo de bonis. Si enim, inquit, magnitudo animi ſola ſufficit, qua omnes faſtigio mentis tranſcēdamus, ipſaq; pars virtutis eſt, profectò & virtus ſola ſufficit ad beatam vitam,ea quoque contemnens quæ moleſta videntur. Panætius tamen, & Poſsidonius virtutem minimè ſufficere dicunt, verùm opus eſt bona valetudine,& affluentia rerum & robore. Placet itē eis virtute ſemper vti, ſicuti Cleanthes ait. Amitti enim non poteſt,ſemperq; perfecto animo vtetur ſapiens. Natura quoque ius non poſitione conſtare, ſicuti & legem , & rectam rationem , vt Chryſippus in libro de honeſto ait. Videtur autem eis ne diſſonantiam quidē à philoſophia diſcedere. Hac enim ratione prius defecturam omnem vitam quam defuturam philoſophiam, vt Poſsidonius in exhortationibus ait. Liberales quoque diſciplinas eſſe magno vſui ſapienti,Chryſippus autor eſt.Placet item illis nullum nobis ad animantes cæteras ius eſſe , ob naturæ diſsimilitudinem , vt Chryſippus in primo de iuſtitia, & Poſsidonius

donius in primo de officiis tradunt. Amaturum quoque ſapientem eos iuuenes qui præ ſe ferant indolem generoſam, ingeniumq́; ad virtutem propenſum, vt Zeno in libro de Repub. & Chryſippus in libro de vitis primo, & Apollodorus in libro de moralibus aiunt. Amorem verò adminiculum beneficentiæ propter apparentem venuſtatem, neque congreſſus eſt, verùm amicitiæ. Nam Thraſonidem, & quidem cùm haberet in poteſtate amatam, abſtinuiſſe ab ea, ne in odium veniret. Eſſe igitur amorem amicitiæ nodum, vt Chryſippus in libro de amore ait, neque eſſe eum in vitio. Pulchritudinem item virtutis eſſe florem, & cùm triplex vitæ genus ſit, ſpeculatiuum, actiuum, & rationale, tertium illud eligendum dicunt. Quippe de induſtria factū à natura rationale animal ad ſpeculationem, & actionem. Rationabilitérque aiunt ſapientem ſeipſum educturum ex vita, & patriæ & amicorum cauſa, ſiue inter nimium acerbos doloris aculeos, ſiue membrorum mutilationes, aut incurabiles morbos illi occumbēdum ſit. Placet item illis vxores quoq; cōmunes eſſe oportere apud ſapientes, vt quilibet illi congrediatur quæ ſibi prior occurrit,

currit, vt ait Zeno in Rep.& Chrysippus in lib.item de Repu.Diogene itidem Cynico ac Platone huius rei autoribus. Omnes enim patrum instar æqua charitate diligemus, tolleturq; adulterij suspicio & zelotypia.Eam verò Remp.esse optimam quæ sit mixta ex regno, & populari domi natu,optimorumq potentia.atque in moralibus quidem decretis huiusmodi sunt, pluráque huiusmodi tradunt, non improbabili ratione subnixi. Verùm ista summatim, ac veluti per capita & elementa tetigisse sufficiat. Cæterùm physicam rationem diuidunt in locum, de corporibus,& principiis,& elementis, & diis, & finibus, & loco, & inani.Et ista quidem per species diuidunt, generaliter autem in locos tres, de mundo, de elementis, tertium de causis.De mundo locum in duas distinguunt partes.Vna enim consideratione in ipsius asc isci societatem,& mathematicos, per quam defixis vagisq; syderibus disputant, quemadmodum si sol tantus sit,quantus videtur, & lunæ itidem quanta sit magnitudo, & de ortu, occasúque syderum, atque cæteris ,huiusmodi quæstionibus. Alteram eius considerationem esse, quæ solis congruat Physicis, quà quæ sit illius

H subst

ſubſtantia quæritur, ac de ſole vtrum genitus, an ingenitus ſit, & vtrum animatus ſit, an inanimis, corruptibilis'ne an incorruptus, & prouidentia agatur nec'ne, atque in hunc modum de reliquis. Cauſalem quoque rationem & ipſam eſſe bipartitam. Eius alteram ſpeculationem medicis eſſe communem quæſtionem, qua inquirunt de principali animæ, & de his quæ fiunt in animo, & de ſeminibus, atque eius generis cæteris. Reliquum verò mathematicos quoque ſibi vſurpare, quo modo videlicet videmus, & quæ ſit cauſa perſpicacis imaginationis, qua ratione conſtent nubes; tonitruáque, & irides, & *areæ, & cometæ, & his ſimilia. Videtur autem illis duo eſſe rerum omnium principia, faciens videlicet ac patiens. Quod igitur patitur ſine qualitate eſſe ſubſtantiam materiam. Quod autem faciat, verbum deum eſſe quod in ipſa ſit. Hunc enim quippe ſempiternum per ipſam omnem ſingula creare. Ponit autē hoc decretū Zeno Citticus in libro de eſſentia. Cleanthes quoque in libro de atomis, & Chryſippus in primo phyſicorum in fine. Archedemus quoque in libro de elementis, & poſsidonius in

*ἅλως.

ſecundo

ſecundo naturalis rationis. Differre autem aiunt principia, & elementa. Nam illa quidem ingenita eſſe, & corrumpi non poſſe, elementa verò per igneam euaporationẽ corrumpi. ſed & corpora eſſe principia, & ipſa informia, hæc verò formata. Corpus autem appellat Apollodorus in phyſica, quod ſecetur in tria, in longitudinẽ, latitudinem, & altitudinem. Id autem ſolidum corpus appellatur. Porrò ſuperficies eſt corporis finis, ſeu corpus longitudinem ſolam habens, ac latitudinem, ſed carens altitudine. Hanc autem Poſsidonius in quinto de ſublimibus & ſecundum intelligentiam, & ſecundum ſubſtantiam reliquit. Linea ſuperficiei finis eſt ſiue longitudo abſque latitudine, ſiue corpus ſolam habens longitudinem. Punctus autem eſt lineæ finis, notáque minima. Vnum quoque deum eſſe, ipſumq; & mentem, & fatum, & Iouem multisq; aliis appellari nominibus. Principiò igitur illum cùm eſſet apud ſe, ſubſtantiam omnem per aërem in aquam conuertiſſe. Et quemadmodum in fœtu ſemẽ continetur, ita & hanc ſerendi rationem in humore talem reſediſſe materia ad operandum aptiſsimè parata, ex qua cætera poſt hæc gignerentur.

Tum genuisse primum elemēta quatuor, ignem, aquam, aërem, terram. Differit ista Zeno in libro de vniuerso. Chrysippusq; in primo physicorum, & Archedemus in quodam de elementis. Est autem elementum ex quo primò prodeunt quæ fiunt, & in quod extremum soluuntur. Esse autem quatuor elementa simul infectam, incompositamq; substantiam materiam. Esse autem ignem calidum, aquam liquidam, aërem frigidũ, terramq; aridam. Quinetiam adhuc in aëre inesse eandem partem. Summo enim in loco ignem esse quem æthera appellẽt. In quo primum immobilium astrorum orbem esse natum, deinde errantium, post hunc aëra, tum aquam, extremũ autem omniũ terram, quæ media omniũ sit. Mundũ verò tripliciter dicunt ipsumq; deum, quẽ ex omni substantia dicunt propriam qualitatem, qui & incorruptibilis, & ingenitus sit opifex tanti operis ac ornamenti, vt quotannis orbes suos peragat sol, in seipsum omnium substantiam consumens, ac eam rursus ex seipso gignens. ipsumq; ornatum astrorum mundum esse dicunt. Tertium qui sit ex vtrisque compositus. Est autem mundus propriè qualitas vniuersæ substantiæ, siue vt ait Posidonius

donius

donius in meteoricis præceptis, qui constat ex cœlo & terra, atq; ex illorum naturis siue qui constat ex diis & hominibus, eisq; rebus quæ horũ gratia conditæ sunt. Cœlum autem est extrema circunferentia in qua*diuinum omne fixum ac locatum est. Mundum quoque regi ac administrari secundum mentem ac prouidentiam, vt Chrysippus ait in v. de prouidentia, & Possidonius in XIII. de diis, mẽte per omnes illius partes pertingente, sicut & in nostra anima contigit, sed per has magis, per alias minus. Per quasdam enim veluti habitus recessit, vt per ossa, ac neruos: per alias veluti mens, vt per principale. Sic igitur & mundum totum, qui animal est, & animatus, ac rationalis, habere principale suum æthera, vt ait Antipater Tyrius in octauo de mũdo. Chrysippus autem in primo de prouidẽtia, & Posidonius in libro de diis, cœlum aiunt principale esse mundi, Cleanthes verò solem. Chrysippus autem rursus à se diffidẽs in eodem, purissimum dixit ac liquidissimum æthera, quem etiam primum asserunt esse deum sensibiliter, veluti infusum esse per ea quæ sunt in aëre, per cunctas animantes & arbores, per terram autem ipsam secundum habitum.

*θεῖον.

Vnum esse mũdum & hunc finitum, globosaq; figura. Nanque ad motum esse huiusmodi orbem aptissimum; vt ait Posidonius in quinto de ratione physica, & Antipater in libris de mũdo. Extra ipsum autem circunfusum esse vacuum immensum, quod sit incorporeum. Incorporeum autem id esse, quod à corporibus contineri queat, non autem contineatur. Porrò nihil in mundo esse vacuum, sed inter sè mirabili esse vnitate deuinctum. Id enim cogere cœlestium ad terrena concordiam & congruentiam. De vacuo autem disserit Chrysippus in lib. de inani, & in primo naturalium artium, & Apollophanes in physica, Apollodorus item & Posidonius in secundo rationis naturalis. Esse autem incorporea hæc similia. Tempus præterea esse incorporeum, quod interuallum sit mundani motus. Huic præteritum quidẽ esse infinitum ac futurum, præsens autem finitum. Placet autem eis corruptibilem esse mundum, quippe genitum eorum ratione quæ per sensus intelliguntur. Cuius & partes sunt corruptibiles, & totum, partes autem mundi corruptibiles sunt: In se enim inuicem mutantur. Est igitur corruptibilis mundus. Ac quicquid mutari

in det

in deterius poteſt, corruptibile eſt: mundus autem huic mutationi & corruptioni obnoxius eſt. Nanque & ſiccatur & in humorem ſoluitur. Mundum verò fieri, cum ex igne ſubſtantia per aërem verſa in humorem fuerit, deinde craſsior ipſius pars effecta fuerit terra, porrò ſubtilior in aërem ceſſerit, eademq; magis ac magis extenuata in ignẽ euaſerit. Tum ex his permixtis exortas eſſe animantes, & arbores, & alia eiuſmodi. De generatione igitur & corruptione mundi, & Zenon in lib. qui de toto inſcribitur diſputat, & Chryſippus in primo phyſicorum, & Poſsidonius in 1. de mundo, Cleanthes item, & Antipater in x. de mundo. Porrò Panætius corruptibilem aſſerit mundum. Quòd autem ſit animal mundus, & rationale, & animatũ, & intelligibile, & Chryſippus in primo de prouidẽtia diſſerit, & Apollodorus in Phyſica, & Poſsidonius. Sit autẽ animal quod ſit ſubſtantia animata ſenſibilis. Animal enim eo quod non ſit animal præſtantius eſt. Nihil autem mundo præſtantius eſt. Eſt ergo animal mundus. Porrò animatum eſſe inde manifeſtum eſt, quòd anima noſtra inde veluti auulſa ſit. Boëtus autem ait non eſſe animal mundum: Vnũ

autem esse, & Zeno in libro de toto, & Chrysippus, & Apollodorus in naturalibus, & Posidonius in primo naturalis rationis tradunt. Vniuersum autem dicitur, ait Apollodorus, mundus, & secundum alterum mundum id quod ex mundo, & exteriore vacuo constat. Mundus igitur finitus est, sed inane illud infinitum. Cæterum sydera illa quæ fixa sunt cum cœlo toto vnà circunferri, errantia verò suis motibus agi. Porrò solem obliquum iter peragere per signiferum orbem. Lunam similiter nunc plenam esse, nunc cornibus fulgere. Esse autem solem purissimum ignẽ, vt ait Posidonius in decimoseptimo de cœlestibus, ac terræ molem sua magnitudine vincere, vt idem ait in decimosexto naturalis rationis. Esse autem orbicularem ad mundi rationem, idem ipse autor est. Ignem idcirco esse, quòd omnia ignis peragat munera, maiorem autem terræ globo, quòd tota ab illo illustretur, neque ipsa modò, sed etiam cœlum. Id quòd & terra coni instar vmbram faciat, maiorem esse significat. Omnibus autẽ ex partibus cerni propter magnitudinem. Lunam verò plus habere de terra, quippe quæ illi propior est. Nutriri autem & hæc ignea, & astra

& astra cætera. Solem quidem ex mari magno, quòd sit intellectualis vapor. Lunam verò ex potabilibus vndis, quòd sit permixta aëri ac vicina terræ, vt Posidonius in sexto de ratione naturæ ait, ex terra cætera. Putant & sydera globosa esse, & immobilem terram. Lunam proprio quidem carere lumine, sed id à sole mutuare. Deficere autem solem cùm ante illum ex ea parte qua terras respicit, se opposuerit luna, vt in libro de vniuerso scribit Zeno. Apparet enim quãdo ex concursione mutua illum occulit, rursumq; restituit. Notatur id maximè per vas æreum patens in quo sit aqua.. Lunam verò cùm in terræ inciderit vmbram, quocirca tunc solùm hoc defectu laborare, cùm plena fuerit, & quidem cùm per diametrum soli mensibus singulis obiecta sit. Nam cùm obliquo motu contra solem moueatur, latitudine differt, cùm vel ad australem, vel ad septentrionalem vergit plagam.

Cùm tamen illius latitudo ad solis, & eam quæ media interiacet, latitudinem venerit, deinde fuerit emensa solem, tunc deficit. mouetur autem eius latitudo per ea quæ media sunt in chelis & scorpio & ariete & tauro, vt ait Posidonius, Deũ

verò esse animal immortale, rationale, perfectum ac beatum, à malo omni remotissimum, prouidentia sua mundum, & quæ sunt in mundo administrans omnia. Non tamen inesse illi humanæ formæ liniamenta. Cæterùm esse opificem immensi huius operis, sicut & patrem omnium. Communiter autem & ipsius partem, quæ per omnia penetret, eámque multis appellari nominibus iuxta proprietates suas. Nanque Græcis Δία appellari, quòd per ipsum sint omnia. Eundem ζῆνα vocari, quòd vitæ omnium si autor. ἀθηνᾶν autem, quòd in æthere distentum sit imperium eius. ἥραν verò, quòd in aëre. ἥφαιστον, quòd in artificiali igne ποσειδῶνα, quòd in humore. δήμητραν, quòd in terra. Itidem & appellationes alias probabili quadam ratione indiderunt. De diuina substantia, Zeno ait mundum totum atq; cœlum. Chrysippus quoq; in primo de diis, & Posidonius in primo de diis, & Antipater in septimo de mūdo, aërem ipsius substantiam tradūt. Boëtus autem in libro de natura, Dei substantiam fixorum syderum globum dixit. Naturam verò aliquando quidem exponunt, quæ contineat mundū: aliquando verò quæ germinare humum

facit, nasciq; super terram omnia. Est autẽ natura habitus ex seipso motũ accipiens, iuxta seminalem rationem, efficiensq; & cõtinens quæ ex ipsa cõstant, statutis diffinitisq; temporibus, eaq; faciens à quibus discreta per naturam est. Hanc autem & voluptati præferre commodum, quòd ex hominis constat opificio. Fato autem fieri omnia Chrysippus in libris de fato, & Posidonius in secundo de fato, & Zeno, Boëtus quoque in primo de fato tradunt. Est autem fatum connexa rerum series, siue ratio per quam mundus administratur. Diuinationẽ autem omnem aiunt subsistere, aut etiam esse prouidentiam. Ipsamq; per ascensus quosdam artem definiunt, vt ait Zeno, & Chrysippus in secundo de diuinatione, Athenodorusq;, & Posidonius in duodecimo de ratione naturę, & in quinto de diuinatione. Panætius autem hanc non subsistere dixit. Enimuero rerum omnium substantiam, primam materiam dicunt, vt & Chrysippus in primo rerum naturalium, & Zeno. Est autem materia ex qua quiduis constat. Appellaturq; dupliciter, materia scilicet atq; substantia, siue illa omnium, siue rerũ singularum, ac veluti particularium causa. At

omnium quidem materia neq; maior neque minor efficitur. Eſt autem alia eorum quæ in parte ſunt. Corpus autem eſſe ſubſtantiam definiunt, idq; finitum, vt antipater ait ſecundo de ſubſtantia, & Apollodorus in Phyſica, paſsibiliſque eſt, vt idem ait. Nam ſi eſſet immutabilis, nulla ratione quæ fiunt ex ea fieri poſſent. Hinc & illius ſectio in infinitum tenditur, quam infinitam Chryſippus ait. Nihil enim infinitum eſt in quod ſectio cadit. Verùm finita eſt. Concretiones item fieri per totũ, vt Chryſippus in tertio naturalium ait, & non per circumſcriptionem, & appoſitionẽ. Nam puſillum vini pelago iniectum, aliquandiu obluctabitur, poſtea deflueт, atque vna corrumpetur. Quoſdam item eſſe dæmones dicunt, quibus inſit hominum miſeratio, inſpectores humanarum rerum. Heroas quoque ſolutas corporibus ſapientum animas. Porrò ex his quæ manant ab aëre, hyemem quidem eſſe aiunt, aërem ſuper terram congelatum, ob ſolis longiorem diſceſſum. Ver autem temperiem aëris, quando ſuo ad nos curſu ſol agitur. Aeſtatem verò eminentem terræ aërem confotum & calefactum ſolis ad ſeptentrionem curſu. Autumnum quoque

fieri

fieri recurſu ſolis à nobis,ad ea loca à quibus fluunt. Cæterùm eiuſcemodi tempeſtatum autorem eſſe ſolem nubes euapotantem. Irim verò reflexos eſſe ab humidis nubibus radios, ſiue,vt ait Poſsidonius in Meteorologica, declaratio ſciſſuræ ſolis, ſeu lunæ in nube roſida concaua atque continua,ad imaginationem veluti in ſpeculo imaginata magni orbis circunferentiam.Cometas autem & pogonias & faculas ignes eſſe ſubſiſtentes, quando craßior aër ad ætherea loca peruehitur. Iubar autem repentini ignis incendium,quòd citò per aërem fertur, ac longitudinis imaginē deliniat. Pluuiam verò conuerſionem ex nubibus in aquam, cùm ſiue ex terra,ſiue ex mari vi ſolis ſurſum elatus humor effectu caruerit. Id verò congelatam pruinam dici. Grandinem verò concreatam nubem à vento comminutam.Niuem autem humorem ex concreta nube, vt ait Poſsidonius in octauo de ratione naturæ.Coruſcationem accenſionem nubium,quæ à vento illidātur,atq; rumpantur,vt Xeno in libro de vniuerſo.Tonitruum verò fragorē eſſe qui ex nubiū colliſione gignitur. Fulmen autem incenſionem validam, vehementi cum impetu terris irruentem,cùm inter ſe

vi ventorum colliduntur nubes, atq; perrumpuntur. Alij conuersionem ignei ac flammantis aëris violenter delapsam. Typhonem verò fulmen violentum, magna vi spiritus demissum, siue fumantem spiritum rupta nube dilapsum. Presterem nubē igni circumfusam cum flatu in terræ cōcaua, seu concluso, & coartato spiritu in terra, vt ait in septimo Posidonius. Esse autem illius plura genera, terræ motus, hiatus, illuuies, ebullitiones. Placet autem eis & ordinem ita se habere. Terram mediam centri rationem obtinere, post quam globosam aquam, & ipsam idem habere centrum cum terra. Ita vt in aqua terra sit, post aquam aërem sphæræ instar. Esse autem in cœlo circulos quinq;. Ex his primum septētrionalem qui semper appareat. Secundum tropicum æstiuum. Tertium æquinoctialem. Quartum hyemalem tropicum. Quintum antarcticum qui non appareat. Dicuntur autē παράλληλοι, quia non se inuicem conueniunt. Describitur tamen circa eundem polum. Porrò Zodiacus circulus obliquus est æquidistans. Quinque autem sunt zonæ super terram. Prima septentrionalis super arcticum circulum rigore frigoris inhabitabilis. Secunda temperata.

Tert

Tertia nimia vi æſtus inhabitabilis, quæ torrida dicitur. Quarta temperata. Quinta auſtralis itidem frigore inhabitabilis. Opinantur item naturam ignem eſſe artificialem ſuo itinere ad generationem tendere. Id autem eſſe ſpiritum ignis ſpeciem artíſque præ ſe ferentem. Animam verò ſenſibilem, eamq; eſſe nobis inſitum & ingenitum ſpiritum, ideo & corpus eſſe, ac durare poſt mortem, eſſe tamen obnoxium corruptioni. Cæterùm vniuerſi animam eſſe incorruptibilem, cuius partes ſunt animantium animæ. Zeno autem Citticus, & Antipater in libris de anima, & Poſsidonius animam ſpiritum calidum dicũt. Hoc enim ſpirare nos atque ab ipſo moueri, Cleanthes quidem omnes perdurare, donec calore deſtituantur. Chryſippus verò ſolas ſapiẽtium. Partes autem animæ octo eſſe dicunt, quinque ſenſus, & quæ nobis inſunt ſeminales rationes, vocem præterea, & ſermonem. Videre autem cùm id quod inter viſum ſubiectumq; lumen eſt, in coni intenditur ſpeciem, vt Chryſippus in ſecundo Naturalium ait. Appollodorus aëris illam partem, quæ coni ſpeciem habet prope viſum: Baſin verò prope id quod cernitur fieri: quemadmodum per virgam

verb

verberato aëre, quod videtur ibi manifestum esse. Porrò audire cùm is qui medius inter loquētem, & audientem est, aër verberatur orbiculariter, deinde agitatus auribus influit, quemadmodum & cisternæ aqua, per orbes iniecto agitatur lapide. Somnũ verò fieri, cùm is sensus circa principale soluitur. Causas verò perturbationum reddunt eas, quæ circa spiritum fiunt conuersiones. Semen autem esse dicunt, quod eiusmodi gignere potest, à quibus quoque ipsum discretum sit. Porrò hominis semen quod emittit homo, vnà cum humido animæ commisceri partibus, pro commixtione rationis parentum. Id autem Chrysippus in secũdo Naturalium ait spiritum esse secundum substantiam, idq; ex iactis in humum seminibus constare, quæ cùm antiquata fuerint, non iam nascuntur, quòd scilicet expirauerit illorum virtus. Atque ex omnibus corporis partibus defluere id ait Sphærus. Omnes ergo gignere corporis partes. Porrò fœminæ semen infœcundum esse aiunt, imbecillúmque & modicum, & aqueum vt Sphærus ait. Principale verò potissimam ac propriè esse animæ partem, in qua imaginationes appetitúsque gignantur, atque vnde sermo
reddat

reddatur.Id autem in corde esse.Sed enim ista secundum illos de rebus naturalibus, quantum sufficere ad præsentis operis cõpendium arbitrati sumus,hactenus sunt dicta. Quænam verò sint in quibus illorum sententiæ differant,breuiter adnotandum. Aristo Chius Phalantúsq; cognomento Siren,finem esse dixit ad aliquid inter virtutes ac vitia indifferenter viuere, nullam quamlibet modicam varietatem relinquẽdo, sed se æqualiter in omnibus habendo. Esse autem sapientem præclaro histrioni similem,qui siue Thersitæ,siue Agamemnonis personam sumat, vtrunq; decentissimò gestu imitatur. Naturalem item ac rationalem locum sustulit, dicens alterum quidem esse supra nos,alium verò nihil ad nos.Solam autem quæ mores instituat partem ad nos pertinere. Similes autem esse orationes dialecticas dicebat aranearũ telis,quæ & si quid artificiosum indicare videantur,inutiles sunt. Virtutes quoq; neq; multas inuexit, vt Zeno,neque vnam quæ multis appellatur nominibus,vt Megarici, sed & id quoq; quod ad aliquid habere dicitur. In hunc autem modum philosophans,atque in Cynosarge differens obtinuit,vt sectæ propriæ inuentor diceretur.

Milciades deniq; & Diphilus Aristonij appellabantur. Erat autem illi magna persuadendi vis, plebiq; se maximè accomodabat. Vnde & de illo Timon ait:

Καί τις Ἀρίστωνος γέννης ἀπὸ αἱμύλυ ἕλκων.

hoc est,

Quidā & Aristonis nat⁹ de stirpe diserti. Congressus autem Polemoni, vt Diocles ait Magnesius, cùm Zeno longum incurrisset morbum, sententia decessit. Maximè autem Stoico dogmati ille intēdit animum, quo dicunt sapientem esse * opinabilem. Cui Persæus reluctatos geminos fratres induxit, vt alter ex his illi depositum daret, alter deinde reciperet, atque ita hærentem coarguit. Exercebat autem aduersus Arcesilaum inimicitias. Vnde cùm vidisset taurum monstruosum matricem habentem: Me miserum, inquit, datum est Arcesilao epicherema aduersus euidentiam. Academico cuidam quicquam se cōprehendere neganti: Ergo'ne, inquit, hunc diuitem iuxta te sedentē vides? negāte illo:

* δοξαστὸν

Τίς σ' ἐτύφλωσεν, ἔφη, τίς ἀνέλετο λαμπάδος αὐγάς;

hoc est,

Quid cæcutis, ait, oculis quis lumen ademit?

Ferunt

Feruntur eius iſta volumina, Exhortationum libri duo, de Zenonis dogmatibus dialogi, de ſcholis ſex, de ſapientia exercitationum ſeptem, Amatoriæ exercitationes commentaria de inani gloria, cõmentaria xv. commentarij tres, de vſu vndecim, aduerſus oratores, aduerſus Alexinum reſcripta, aduerſus dialecticos tres, ad Cleãthem epiſtolarum libri quatuor. Panætius autẽ & Soſicrates ſolas epiſtolas ipſius eſſe dicunt, cætera Peripatetici Ariſtonis. Hunc fama eſt, cùm caluus eſſet, æſtum ſolis excepiſſe capite, atq; ita vita functum eſſe. Luſinus autem & in ipſum hoc modo, Choliambico carmine.

Τί δὴ γέρων ὢν καὶ φαλακρὸς Ἀρίστων
Τὸ βρέγμα δῶκας ἡλίῳ κατοπτῆσαι;
Τὸ γὰρ τὸ θερμὸν πλεῖον ἢ δέον ζητῶν,
Τὸν ψυχρὸν ὄντως εὗρες ὃ θέλων ᾅδην.

hoc eſt,

Quid iam ſenex, & exoſus ſenem Ariſto
Soli coquẽdum ſinciput dabas caluum?
Atqui calorẽ cũ vltrà quã eſt ſatis quęris,
In frigidum incidiſti vel nolẽs Orcum.

Fuit autem & alius Ariſto Ilietes Peripateticus, alius itẽ muſicus Athenienſis. Quartus tragicus Poëta. Quintus Alæenſis qui artes Oratorias ſcripſit. Sextus Alexandrinus

nus Peripateticus. Herillus Carthaginiensis finem ſcientiam dixit, quod eſt ſemper viuere, cuncta referendo ad viuẽdum cum ſcientia, ne ignorantia deiiciamur. Eſſe autem ſcientiam habitum ex fantaſiarum acceptione, non verbis explicabilem. Aliquãdo dicebat nullum eſſe finem, ſed ſecundum caſus varios & res immutari, vt ſi idẽ æs & Alexandri fiat ſtatua, & Socratis. Differre autem finem & eam quam dicit fini ſubiectam. Hanc enim & eos qui ſapientes non ſunt cõſpicari, illum neminem niſi ſolum ſapientem. Quæ autem inter virtutem, & vitium ſint in differentia eſſe. Sunt eius libri breues quidẽ, ſed ſucci ac ſenſus pleni continentq; cõtradictiones aduerſus Zenonem. Fertur eum puerũ complures adamaſſe, quos Zeno cùm vellet auertere, tondere coëgit Herillũ, illosq; ab eo auertit. Sunt autem eius libri de exercitatione, de perturbationibus, de opinatione, legũlator, obſtretritius, Antipherõ, præceptor, parans, dirigens, Mercurius, Medea, dialogi quæſtionũ moralium. Dionyſius verò qui Metathemenus appellatus eſt, finẽ dixit voluptatem. Nam cùm in oculorũ dolorẽ incidiſſet, eo cruciatus acriter, dolorẽ dicere noluit indifferentem. Erat aũt Theophãto

patre

patre natus,& ciuitate Heraclia, atq; vt ait Diocles.primò quidem audiuit Heraclidē ciuem suū, deinde Alexinum ac Menedemum.postremò Zenonem.Principio quidem studiosus admodū omnigenis se poëmatis addixerat.Aratum tamen carius amplectebatur, quē & imitari satagebat. Demum cùm discesisset à Zenone,sese ad Cyrenaicos cōtulit,ac palàm lustra ingrediebatur,cæteraq; sub omnium gerebat oculis quæ ad voluptatem pertinerent.Cumq; ad octogesimum vitæ annum peruenisset, inedia consumptus interiit. Circunferuntur autem eius libri, de sedatione perturbationum duo,de exercitatione duo,de voluptate quatuor,de diuitiis & gratia & cruciatu,de hominum vsu,de felicitate,de antiquis regibus,de his quæ laudantur,de barbaricis consuetudinibus.Et isti quidem qui à Stoicis decretis deuiauerunt. Successit autem Zenoni Cleanthes, de quo dicendum nunc est.

CLEANTHES.

CLeanthes Phanij filius,Asius,vt Antisthenes ait in successionibus,primum quidem pugil fuit:profectus autē Athenas drachmis quatuor instructus, vt quidem aiunt, congressusq; Zenoni studiosissimè

Philoſophatus eſt, inq; eiuſdem decretis perſtitit. Memoriæ proditũ eſt ipſum laborioſiſsimum fuiſſe, adeò vt inopia cogente mercenariam faceret, ac noctu quidem in hortis hauriret aquas, interdiu autem operam ſtudiis liberalibus daret, vnde & φρεάντλης, hoc eſt, exhauriens puteos appellaretur. Aiunt illum cum pertractus eſſet ad iudicium redditurus rationem, quòd adeò robuſtus, ac tam boni habitus viueret, hortulano apud quem id muneris implebat, ac muliere apud quam farinas pinſebat, teſtibus victus ſui abſolutũ eſſe, Areopagitasq; admiratos, decem illi minas dari cenſuiſſe: Zenonem autem accipere illum vetuiſſe. Aiunt autem & Antigonum ter mille dediſſe. Item cùm ad ſpectaculum quoddam puberes duceret venti flatu enudatum eſſe, ac ſine tunica apparuiſſe. Qua ex re plauſu exceptum atque ab Athenienſibus fuiſſe veſte donatum, vt ait Demetrius Magneſius in æquiuocis. Admirationi igitur ob eam quoque rem habitus eſt. Aiunt Antigonum auditorem illius, cùm rogaret quam ob rem hauriret, audiſſe, num ſolum haurio? nunquid nõ fodio & rigo, & omnia facio philoſophiæ cauſa? Zeno enim illum ad id

exercebat, iubebátque obolum ſibi ex labore afferre. Coactam aliquando ſtipē in medium familiariū intulit dicens, Cleanthes quidem Cleanthem alium poſſet nutrire, ſi vellet. Qui verò vnde nutriantur affatim habent, ab aliis quærunt quæ ſunt ad vſum vitæ neceſſaria, & quidem remiſſius philoſophantes. Ea igitur ex cauſa alter Hercules Cleanthes dicebatur. Erat illi quidem eximium ſtudium, cæterùm ingenium obtuſum atq; tardiſsimum. Eam tamen tarditatem ingenij labore, ſtudio, ac diligentia vincebat. Vnde & de ipſo ſic Timon ait,

Τίς δ' ὅτος κτίλος ὃς ἐπιπωλεῖται σίχας ἀνδρῶν
Μωλύτης, ἐπέων φίλος, ἄσιος, ὅλμος ἄτολμος; id eſt,

Aſsius iſte aries quis nam eſt, qui circuit omnem
Turbam, verboſusq; ſenex, piſtillus, hebésque?

Cumq; à diſcipulis dicteriis inceſſeretur, tolerabat: & cum audiret, aſinus, non abnuebat, dicens ſolum ſe ferre poſſe Zenonis ſarcinam. Cùm aliquando probro illi daretur, quòd eſſet timidus, At ideo, inquit, parum pecco. Suam verò inopiam

diuitum opibus præferens, dicebat, dum illi pila ludunt, ego duram ac infrugiferam humum exerceo. Sæpe cùm foderet seipsum increpabat. Quem audiens Aristo, quem, inquit, obiurgas? Et ille ridens, senem inquit, canum quidem, sed excordem & amentẽ. Cùm diceret quidam Arcesilaum vitæ officia negligere, quiesce, inquit, neq; vituperes. Ille enim etsi verbis officium tollit, operibus tamen commendat. Ad quem Arcesilaus, non, inquit, adulationes admitto: & Cleanthes, At equidẽ, ait, adulor, qui dixi alia te facere, alia dicere. Rogante quodam quidnã filio crebro ingerere deberet, illud ait Electræ,

Σίγα σίγα λεπτὸν ἴχνος. hoc est,

Tace tace tenue vestigium.

Lacone quodam dicente, laborẽ esse bonum, gestiens ait,

Αἵματος εἰς ἀγαθοῖο φίλον τέκος. id est,

Sanguine mi fili es generoso.

Dicit autem Hecato in vsibus, cùm ad eum formosus quidam adolescens dixisset, si pulsans ventrem ventrizat, num & palsans coxas coxizet, dixisse, habe tu adolescens *coxizationes, voces proportionales, proportionales res omnino non significant. Adolescenti cuidam disserens, an sentiret

*μηρισμούς.

roga

rogauit, annuente illo, cur, inquit, ego te ſentire nō ſentio? Soſitheo poëta in theatro coram ſe dicente:

Οὓς ὁ Κλεάνθης μωρία βοηλατεῖ. hoc eſt,

Quos Cleanthis inſania exagitat.

Eodem vultu, & habitu perſtitit. Qua ex re permoti auditores huic applaudentes Soſitheum abiecerunt. Agente illo pœnitentiam, quòd illum hoc maledicto inceſſiſſet, reſpondit dicens, indecens eſſe Liberum patrem atq; Herculem à poëtis illudi, nec iraſci, ſe autem leui maledicto indignari. Dicebat Peripateticis idem accidere quod literis, quæ cùm bene ſonant, ſeipſas tamen nō audiunt. Fertur cùm diceret ſecūdum Zenonem ex ſpecie comprehendi poſſe mores, adoleſcentes quoſdam ſcurras adduxiſſe ad illum libidinoſum ruſticum callis duratum, & illum, vt de more eius ſententiam ferret rogaſſe, illum cùm aliquādiu hæſiſſet, iuſſiſſe abire hominem. Vt verò abibat cœpit ſternutare: ad hæc, habeo illum, inquit, Cleāthes. mollis eſt. Cuidam ſoli ſecum loquēti, homini, inquit, loqueris, non malo. Exprobrante quodam ſenectutē, & ego, inquit, abire volo. Cùm verò me ſanū omni ex parte cōſidero, ſcribentemq; ac legen-

tem, rursus maneo. Aiunt illum quę à Zenone audierat testæ boúmque ossibus inscribere solitū, cùm pecuniis careret quibus chartas emere posset. Hoc vitæ instituto clarus obtinuit vnus ex multis, vt Zenoni succederet: Et quidem cùm plures essent illius memorabiles discipuli Zenonis. Reliquit autem pulcherrimos libros, qui sunt ferè de tempore, de physiologia Zenonis II. Heracliti expositionum libri quatuor, de sensu, de arte, aduersus Democritum, aduersus Aristarchum, aduersus Herillum, de * appetitione duo, antiquitatum, de diis, de Gigantibus, de Hymenæo, de poëta, de officio tres, de consilio, de gratia, exhortatorius, de virtutibus, ars amatoria, de honore, de gloria, de ingenio, de Gorgippo, de inuidentia, de amore, de libertate, politicus, de consilio, de legibus, de iudicando, de instituto, de oratione tres, de fine, de honestis, de actis, de scientia, de regno, de amicitia, de simposiis, quòd eadem sit virtus viri & fœminæ, quòd sapientis philosophari, de vsu duo, de voluptate, de propriis, de ambiguis, de dialectica, de modis, de prædicamentis. Hæc ab illo scripta sunt. Moritur autem hoc modo. Tumuit illi ac putruit

* ὁρμῆς.

ging

gingiua, medicis autem intercedentibus, biduum totum cibo abſtinuit, atq; intantum conualuit, vt medici illi omnes conſueta permitterent. Ea illum licentia minimè vſum fuiſſe, ſed & contrà ſine cibo perſtitiſſe dicentē iter iam ſibi confectum eſſe, atq; ita inedia cōſumptum exhalaſſe animam, cùm vt quidam volunt, Zenonis æquaſſet annos audiſſetq; illum annos XVIII. Luſimus & nos in eum hoc modo:

Αἰνῶ Κλεάνθην, ἀλλὰ μᾶλλον ἀΐδην,
Ἰδὼν γὰρ αὐτὸν πρέσβυν οὐκ ἠνέσχετο
Μὴ οὐ τὸ λοιπὸν ἄνεσιν ἐν φθιτοῖς ἔχειν
Τοσοῦτον ἀντλήσαντα τοῦ βίου χρόνον. id eſt,

Miror Cleanthem, laudo ſed Ditem magis,
Nam vt vidit illum iam ſenem, vltrà non tulit
Tandem quietē quin vel mortuo daret,
Qui tantum aquarum exhauſerat dum viueret.

Hunc, vt prædiximus, poſt Zenonem audiuit, & Sphærus Boſporanus, qui cùm in liberalibus ſtudiis profeciſſet, Alexādriam ad Ptolemæum Philopatera ſe contulit. Orto autem ſermone aliquando de opinatione ſapientis, Sphæroq; illum negante opinari, volens illum rex arguere, mala punic

punica cerea iussit apponi. Sphæro autem decepto, exclamauit rex, fallaci illum dicens consensisse fantasiæ. Ad quem Sphærus promptè ac paratè sic respondens, ait, consensisse non esse ea mala punica, sed probabile esse mala punica esse. Differre autem cōprehensibilem fantasiam à probabili. Mnesistrato se accusanti quòd Ptolemæum non dixit regem esse, At, inquit, eiusmodi cùm sit, regem quoq; esse Ptolemæum dico. Scripsit autem ista volumina: de mūdo duo, de elementis seminis, de fortuna, de minimis, aduersus atomos, & simulacra, de sensibus, de Heracliti quinq; diatribis, de morali instituto, de officio, de appetitione, de perturbationibus duo, de regno, de Repu. Laconica, de Lycurgo & Socrate tres, de lege, de diuinatione, dialogos amatorios, de Eretriacis philosophis, de similibus, de definitionibus, de habitu, de his quibus contradicitur tres, de oratione, de diuitiis, de gloria, de morte, artis dialecticæ duo, de prædicamentis, de amphiboliis, epistolas.

CHRYSIPPVS.

CHrysippus Apollonij filius Solensis seu Tarsensis, vt Alexander in successionibus ait, discipulus Cleanthis fuit. Hic prim

primum lancea exercebatur, posteà verò Zenonis siue Cleanthis, vt Diocles & plurimi tradunt, auditor fuit: à quo adhuc viuente recessit. Nec in philosophia mediocris fuit, vir ingeniosus ac acutissimus in omni genere orationis, adeò vt in plerisq; dissentiret à Zenone atq; à Cleanthe ipso, cui sæpenumero dicebat, solius se dogmatum doctrina indigere. Nam probationes se reperturum. Quoties verò aduersus illum disserendo egisset, pœnitentia tanta ducebatur, vt crebro diceret,

Ἐγὼ δὲ τ᾽ ἄλλα μακάριος πέφυκ᾽ ἀνὴρ
Πλὴν εἰς Κλεάνθην, τοῦτο δ᾽ οὐκ εὐδαιμονῶ.

hoc est,

Equidem aliàs vir sum fortunatus, præterquàm in Cleanthem, in hoc felix non sum. Adeò autē in dialectica insignis fuit, tantæq; apud omnes æstimationis, vt plerique dicerent, si apud deos vsus esset dialecticæ, non futuram aliam, quàm Chrysippeam. Cæterùm cùm esset rerum fœcundissimus, non vsq; adeò dictione clarus fuit, laborisq; patientissimus vltra omnes fuit, quod ex eius voluminibus cōstat, quæ sunt numero septingenta quinq;. Ea verò tam multa conscripsit, vt de eadem re sæpe scribere aggrederetur, omnéque quod

incid

incideret mandaret literis, ac sæpe emendaret, magnaq; testimoniorũ * nube vteretur. Adeò verò id in consuetudine habuit, vt cùm in quibusdam opusculis Euripidis Medeam totam inseruisset, & quidam habẽs librum in manibus interrogaretur, quidnam inesset, Chrysippi, inquit, Medea est. Apollodorus quoq; Atheniensis in collectione dogmatum, cùm vellet asserere quæ Epicurus viribus suis fretus conscripsisset, absq; cuiuspiam adminiculo, essent incomparabiliter plura quàm Chrysippi opera, sic adverbum dixit. Nam si quis tollat de Chrysippi libris quæ aliena sunt, vacua illa charta relinquetur. Ita Apollodorus. Cæterùm anus quædã quæ illi assidebat, autore Diocle, dicebat quingentos illum versus quotidie scribere solitum. Hecato autem venisse eum ad philosophiam dixit, cùm illius patrimonium in regium vsum insumptũ esset. Erat autem imbecillo, tenuique corpusculo, vt ex eius imagine, quæ in Ceramico est, videre licet, quę ferme à vicino equite occulitur. Quocirca illũ Carneades κρύψιππον vocabat. Et cùm probro daretur quòd apud Aristonem cùm plurimis nõ se exerceret, Equidem, inquit, si inter plurimos intenderem,

* παραθέσει.

derem, nunquàm philoſopharer. Ad dialecticum Cleanthi imminentem, eiq́; callidas concluſiunculas tendentem, Deſine, inquit, grãdem natu à grauibus rebus abducere. Nobis autem iunioribus iſta propone. Rurſus vbi quis quippiam rogaret illum, ſeorſum modeſtè illum alloquebatur. Vbi verò conſpexit accedentem turbam, contendere cœpit:

Οἴμοι inquit, κασίγνητ᾽ ὄμμα σὸν ταράσσεται

Ταχὺς δὲ μηλέθου λύσσαν, ἀρτίως φρονῶν.

hoc eſt,

Aſpectus hei me frater turbatur tuus.

At tu furorem pone, rectè vt ſentias.

In potationibus autem quieſcebat, crura tamen agitans, ita vt ancilla diceret, Chryſippi ſola crura ebria eſſe. Adeò autẽ alta de ſe ſentiebat, vt cùm rogaretur à quodam cui commendaret filium, dixerit, mihi. Nam ſi quempiam me excellere putarem, ipſe apud eum philoſophiæ darem operam, vnde de ipſo dictum aiunt:

Οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι,

Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά.

hoc eſt,

Hic ſolus ſapit, aſt alij velut vmbra feruntur.

Et,nisi Chrysippus fuisset,porticus non esset.

Tandem verò Arcesilao & Lacyde,vt Sotion in VIII. ait, in Academiam aduenientibus se ad philosophandum coniunxit.Quam ob causam & contra consuetudinem & pro ipsa disseruit, & de magnitudinibus ac multitudinibus, Academicorum argumentis vtens. Hunc cùm in cantu exerceretur,Hermippus ait,à discipulis ad sacrificium vocatum fuisse, ibiq; cùm oblatum dulce merum hausisset,angustiis spiritus fatigari cœpisse,atque ita demum quinta die defunctũ esse,cùm septuaginta & tres vixisset annos, olympiade, vt ait Apollodorus in chronicis, CXLIII.Et in hunc est nostrum epigramma:

Ἰλιγγίασε βάκχον ἐκπιὼν χανδὸν
Χρύσιππος, οὐδ' ἐφείσατ' οὐ τῆς στοᾶς,
Οὐδ' ἧς πάτρις, οὐ τῆς ψυχῆς, ἀλλ' ἦλθε δῶμ'
Εἰς ἀΐδεω. hoc est,

Vertigo cepit, cùm bibisset affatim,
Chrysippum, & haudquaquam, suam vel porticum
Curauit,aut se, aut patriam,sed inferos
Rectà subiuit.

Sunt qui dicant risu effusum expirasse. Nam cùm asinus mãducaret ficus,aniculæ dixisse

dixiſſe vinum aſino ſorbendum daret, nimioq; riſu occupatum,exhalaſſe animam. Videtur autem aſpernator immodicè fuiſſe, quòd cùm tam multa ſcripſerit, nulli vnquam regi quicquam adſcripſerit. Sola autem anicula contẽtus erat, vt etiam Demetrius in homonymis ait. Deniq; cùm Ptolemæus Cleanthem literis oraſſet, vt vel ipſe ad eum pergeret, vel quempiam ex ſuis mitteret, Sphærus quidẽ profectus eſt, Chryſippus autem renuit. Accerſitis autem ſororis filiis Ariſtocreonte & Philocrate coactis diſcipulis primus auſus eſt ſub diuo ſcholam in Lycio habere, vt prædictus Demetrius ſcripſit. Fuit autem & alius Chryſippus Gnidius medicus, à quo Eraſiſtratus teſtatur multa didiciſſe. Altérque huius filius Ptolemæi medicus, qui calumniam paſſus, flagris cæſus, ac ſupplicio affectus eſt. Alius item Eraſiſtrati diſcipulus. Quartus Georgicorũ ſcriptor. Porrò hic ipſe philoſophus quibuſdã in hunc modũ interrogatiunculis vti ſolebat: Qui myſteria prophanis dicit, impius eſt. Dicit autem myſteria prophanis Hierophanta. Eſt ergo impius Hierophanta. Item, eſt quoddam caput, id autem non habes. Eſt autem caput aliquod, non ergo habes ca-

put. Item, quod eſt in vrbe, id & in domo eſt. Non eſt autem puteus in vrbe, nec in domo igitur. Aliud, qui Megaris eſt, Athenis non eſt. Eſt autem homo Megaris, non igitur eſt homo Athenis. Aliud quod loqueris, id per os tuũ tranſit, currum autem loqueris, currus ergo per os tuum tranſit. Rurſum, ſi quid non amiſiſti, hoc habes. cornua autem non amiſiſti, habes ergo cornua. Alij Eubulidis hoc eſſe aiunt. Non deſunt, qui & Chryſippum lacerent, dicentes illum complura turpiter obſcœnéque ſcripſiſſe. Nam in eo opere, quod de antiquis phyſiologicis ſcripſit, fœda de Iunone fingit ac Ioue, ea dicens ſexcentis ferè verſibus quæ nemo niſi illoto ore dixiſſet. Turpiſsimam enim, aiunt, hanc fingit hiſtoriam, & ſi, vt naturalem laudat, luſtris tamen magis conuenientem quàm diis. Præterea & quæ apud eos qui de tabulis ſcripſerunt ſeparata: neque enim apud Polemonem, neque apud Hypſieratem eſſe, ſed ne apud Antigonum quidem, verum ab illo ficta eſſe. In libro autem de repub. matribus congredi & filiabus & filiis. Eadem in lib. de his quæ per ſeipſa non ſunt appetenda ſtatim in principio. In tertio autem de iu-

re ad

re ad mille versus defunctos etiam vocare iubet. In secundo autem de substantia & copia prouidere, dicens quo pacto sapienti quæstus sectandus sit, & cuius rei gratia sectandus. Nam si quidem vt viuat, viuere indifferẽs est. Quòd si vt fruatur voluptate, & ipsa indifferens est. Si autem virtutis causa, sufficit ipsa ad beatam vitam. Sunt autem perridiculi & quæstus huiuscemodi. Quippe si à rege suppeditentur cedendum illi erit necessariò. Si autem ab amicitia proficiscantur, venalis & quæstuosa erit amicitia. Sin verò à sapientia, mercenaria erit sapientia. Atq; ista quidem sunt quæ insectantur. Quoniam verò clarissimi sunt illius libri, visum est in hoc loco eos generatim distinguere. Sunt autem isti logici, loci, quæstiones, logica, philosophi, considerationum terminorum dialecticorum ad Metrodorum sex, de his quæ sunt in dialectica nominibus, aduersus Zenonem ars dialectica, ad Aristagoram vnum, coniunctorum probabilium ad Dioscoridem quatuor. Logici modi eius qui circa res est, ordo primus, de proloquiis vnum, de non simplicibus proloquiis vnum, de connexo ad Athenadẽ duo, de his quæ negantur ad Aristagoram tres, de prædicabi-

libus ad Athenodorum vnum, de his quæ dicuntur per priuationem, ad theatrum vnum, de optimis proloquiis ad Dionem tres, de differẽtia indefinitorum quatuor, de his quæ secundum tempora dicuntur duo, de perfectis proloquiis II. Ordo secundus, de vero disiuncto ad Gorgippidẽ vnum; de vero cõiuncto ad Gorgippidem quatuor, diuisio ad Gorgippidem vnum, ad id quod de cõsequentibus est vnũ, de eo quod est propter tria, ad Gorgippidẽ vnũ, de possibilibus ad Clitum quatuor, ad id quod est de significationibus Philonis vnũ, quæ nam sint falsa vnum. Compositio tertia, de præceptis duo, de interrogatione duo, de responsione quatuor, Epitome de interrogationibus, & epitome de responsionibus vnum, quæstiones duo, de responsione quatuor. Quarta compositio, de prædicamentis ad Metrodorum decem, de rectis & obliquis ad Philarchũ vnum, de coniunctionibus ad Apollinidem, ad Pasylum de prædicamentis quatuor. Quinta cõstructio, de quinque casibus vnum, de enuntiatis secundum subiectum definitis vnum, de appellatiuis duo, de subinsinuatione ad Stesagoram duo, Logicum locum circa dictiones, & quæ ex his constat orationem,

Compos

Compositio prima de gentilibus enuntiationibus sex, de dictionibus ad Sosiginem, & Alexandrum quinque, de inæqualitate dictionum ad Dionem quatuor, de soritis quæstiunculis ad voces tres, de solœcismis vnum, de solœcisantibus orationibus ad Dionysium vnum, orationes præter consuetudines, dictiones ad Dionysium vnũ. Constructio secunda de elementis orationis quinque, de constructione eorum quæ dicuntur quatuor, de constructione & elementis eorum quæ dicũtur ad Philippum tres, de elementis ad Niciam vnum, de eo quod ad alia dicitur vnum. Compositio tertia aduersus eos qui non diuidunt, duo, de ambiguis ad Apollam quatuor, de tropicis ambiguis vnum, de connexis tropicæ amphiboliæ duo, ad id quod scripsit Panthodus de ambiguis duo, de introductione ad ambigua quinque. Epitome ambiguorum ad Epicratem vnum, coniuncta ad introductionẽ ambiguorum duo. Logici loci ad orationes ac tropos. Compositio prima ars orationum & modorum ad Dioscoridem quinque, de sermonibus tres, de modorum constantia ad Stesagoram duo. Comparatio tropicorum proloquiorum vnum, de reciprocis orationibus

atque coniunctis vnum, ad Agathonem siue de sequentibus problematibus vnum, de conclusionibus ad Aristagoram vnum, quòd eadem oratio pluribus modis ordinetur vnum, ad ea quibus contradicitur quòd eadem oratio & collecto & non collecto construatur modo duo, ad ea quæ obiiciuntur syllogismorum solutionibus tres, aduersus id quod scripsit Philo de tropis ad Timostratum vnum. Logica coniuncta ad Timocratem & Philomatem duo, de orationibus & tropicis vnum. Compositio secunda de concludentibus orationibus ad Zenorem vnum, de primis & demonstratione carentibus syllogismis ad Zenonem vnum, de solutione syllogismorum vnum, de fallacibus orationibus ad Pasylum vnum, de speculationibus syllogismorum, id est, de introductoriis syllogismis aduersus Zenonem I I I. de syllogismis secundum falsas figuras quinque, orationes syllogisticæ per resolutionem in his quæ demonstratione carent, id est, tropicæ quæstiones ad Zenonem & Philomathem vnum. Hic falsò videtur inscriptus. Compositio tertia de incidẽtibus orationibus ad Athenadem vnũ, falsò inscriptæ; orationes incidentes ad mesoteta

tres,

tres, falsò inſcriptæ, aduerſus diſiunctiones Amenij vnum. Quarta compoſitio de ciuilibus quæſtionibus ad Meleagrum tres, ſermones hypothetici in leges ad Meleagrum vnum, orationes hypotheticæ ad introductionem duo, orationes hypotheticæ ſpeculationum duo, ſolutio hypotheticorum Alexandri falsò inſcripta, de expoſitionibus ad Laodomantem duo. Quinta compoſitio de introductione ad falſum ad Ariſtocreontem vnum, falſæ orationes ad introductionem vnum, de fallaci ad Ariſtocreontem ſex. Sexta compoſitio aduerſus eos qui putant & falſa & vera eſſe, vnũ, aduerſus eos quippe qui per ſectionẽ ſoluunt fallacem orationem ad Ariſtocreontem duo. Demonſtrationes quòd infinita ſcindi nõ oporteat, vnum, ad ea quæ obiiciuntur his, quæ contra ſectionem infinitorum ſcripſit ad Paſylum, tres. Solutio ſecundum antiquos ad Dioſcoridem vnum, de falſæ orationis ſolutione ad Ariſtocreontem, tres. Solutio Hedylli hypotheticorum ad Ariſtocreontem & Apollan, vnum. Septima compoſitio ad eos, qui dicunt lemmata falſa, habere fallacem orationem, vnum, de negatione ad Ariſtocreontem, duo, orationes negantes ad ex-

ercitationem, vnum, de paruula oratione ad Stesagorum, duo, de orationibus aduersus propinationes, & de quiescentibus ad Onetorẽ, duo, de operto ad Aristobulum duo, de latente ad Athenadem duo. Octaua compositio de vtide ad Menecratem octo, de orationibus quę ex infinito & definito constant ad Pasylum, duo, de vtide oratione ad Epicratem vnum. Nona constructio de sophismatibus ad Heraclidem & Pollidem duo, de ambiguis dialecticis orationibus ad Dioscoridem quinque, aduersus Arcesilai artem ad Sphærum vnum. Decima constructio contrà consuetudinẽ, ad Metrodorum quinque, de consuetudine ad Corgippidem, septem. Logici qui extra prædictas quatuor differentias sunt, quæstionesq; logicas sparsim continent non connexas & in corpus redactas, de numeratis quæstionibus x x x i x. Sunt omnia simul logicæ partis volumina c c c x. Ethicæ rationis quæ ad emendationẽ moralium notionũ, ordo primus. Descriptio orationis ad Theosporum vnum, morales quæstiones vnum, probabiles maximè ad dogmata, ad Philomathem tres, Definitionum Rubani ad metrodorum duo. Definitionum rustici ad Metrodorum duo. De-

finitio

finitionum mediarum ad Metrodorum duo. Definitionum ad Metrodorum per genera ſeptem. Definitionum ſecundum alias artes ad Metrodorum duo. Ordo ſecundus de ſimilibus ad Ariſtoclem tres. De definitionibus ad Metrodorum VII. Ordo tertius de his quæ non rectè definitionibus obiiciuntur, ad Laodamantem ſeptem. Probabilia ad definitiones ad Dioſcoridem duo, de ſpeciebus & generibus ad Gorgippidē duo, de diuiſionibus vnū, de contrariis ad Dionyſium duo. Probabilia ad diuiſiones & genera & ſpecies & de contrariis vnum. Ordo quartus de etymologicis ad Dioclem ſeptē. Etymologicon ad Dioclem IIII. Ordo quintus de prouerbiis: ad Zenodotum duo, de poëmatis ad Philomatem vnum, quo modo oporteat audire poëmata duo, aduerſus Criticos ad Diodorum vnum. Moralis loci circa communem orationem, & eas quæ ex ipſo conſtant artes & virtutes. Primus ordo aduerſus reſcriptiones ad Timonactem vnum, quo modo ſingula dicimus & cogitamus vnum, de cogitationibus ad Laodamantem duo, de opinatione ad Pitonactē tres, Probatio contra id quod dicitur non opinaturum eſſe ſapientem vnum, de cō-

prehensione & scientia & ignorãtia quatuor, de oratione duo, de sermonis vsu ad Leptinam. Ordo secundus quòd rectè antiqui dialecticam iudicent cum probationibus ad Zenonem duo, dialectica ad Aristocreontem quatuor, de his quæ dialecticis obiiciuntur tres, de rhetorica ad Dioscoridem IIII. Ordo tertius de habitudine ad Cleontem tres, de arte & inertia ad Aristocreontem IIII. de differentia virtutum ad Diodorum IIII. quòd virtutes æquales sint vnum, de virtutibus ad Polidem duo. Morales loci de bonis & malis. Ordo primus de honesto & voluptate ad Aristocreontem decem. Probatio quòd non sit voluptas finis quatuor. Probatio quod voluptas bonum nõ sit quatuor. de iis quæ dicuntur.

*

DIOG

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHORVM VITA,

LIBER VIII.

PYTHAGORAS.



HACTENVS de Ionica philosophia quæ à Thalete Milesio initium accepit, ac de viris qui in ea memorabiles fuere. Age verò iam & de ea quę Italica cognominata est loqui pergamus. Eius verò princeps fuit Pythagoras Mnesarchi annulorũ sculptoris filius, vt Hermippus ait, siue vt Aristoxenus tradit, Tyrrhenus ex vna insularum quas eiectis Tyrrhenis Athenienses possederunt. Sunt qui Marmacũ illius patrem, auum Hippasum & Eutyphronem atauum, Cleoniumq; abauũ, qui Phliunte profugerit, dicãt, habitasse Marmacum in Samo, atq; ideo Pythagorã Samium dici, inde migrasse Lesbum. ibiq; à Zoilo patruo Pherecydi Syro commendatum, tres subinde argenteos calices fuisse fabricatũ, eósque singulis in Aegypto sacerdotibus dono

dono dediſſe. Habuit & fratres, maiorem quidem natu Eunomum, medium Tyrrhenum, ſeruúmque Zamolzim, cui Getæ ſacrificant, Saturnum, vt Herodotus ait, exiſtimantes. Hic, vt prædiximus, principio quidem Pherecidem audiuit Syrum. Poſt eius verò obitum, profectus in Samũ Hermodamanti iam ſeni Creophili nepoti ſe in diſciplinam dedit. Cùm autem eſſet iuuenis addiſcendi ſtudioſiſsimus, patriam linquens cunctis ferè Barbaris Græcíſque myſteriis initiatus eſt. Denique Aegyptum petiit, quo tempore Polycrates Amaſidi per epiſtolam illum commendauit, illorum linguam, vt Antipho tradit in eo libro quem de his qui in virtute principes fuere ſcripſit, edidicit, atque apud Chaldæos conuerſatus eſt magis. Deinde in Cretam vnà cum Epimenide diſcendit in Idæum antrum. In Aegypto quoque adyta ingreſſus eſt; deinde rediit Samum, offendénſque patriam à tyranno Polycrate incubari, Cratonẽ in Italiam petiit, ibíque leges Italis dedit, atque cum diſcipulis clarus habitus eſt, qui ferme trecenti rempub. præclarè adminiſtrabant, ita prudenter, vt meritò ἀριστοκράτεια, hoc eſt, reſp. optimorum videretur. Refert Heraclides

clides Ponticus hunc de se dicere solitum, quòd fuisset aliquando Aethalides, ac Mercurij filius putatus esset, Mercuriumq; monuisse illum vt peteret præter immortalitatem quod vellet: petiisse igitur vt viuens, & vita functus omnium quæ contingerent memoriam haberet. Itaque in vita meminisse omnium. Eandemq; memoriam & post mortem reseruasse, atq; aliquanto pòst Euphorbum venisse, atque à Menelao fuisse vulneratum. Euphorbus autem dixit se aliquãdo Aethalidem fuisse, atque à Mercurio pro munere accepisse, vt anima illius perpetuo errore vagaretur, & in quas vellet arbores, vel animantes commigraret, & quæ apud inferos anima omnia perpessa esset, ac cæteræ animæ quæ nam patiantur. Postea verò quàm Euphorbus diem obiit, ingressam in Hermotimum ipsius animam, qui & ipse cum fidem vellet facere, Branchidas petiit, ingressus Apollinis phanum ostẽdit clypeum, quem illic Menelaus affixerat. Ait enim illum cum ex Troia remeasset, Apollini sacrasse scutum iam putrefactũ, solamq; perdurare eburneam faciem. Vbi autem & Hermotimus vita functus est, rursus in Pyrrhum Delium piscatorem migrasse,

Pythagoræ, μετεμψύχωσις.

grasse, illumq; omnia memorasse, vt primum Aethalides fuerit, postea Euphorbus, deinde Hermotimus, ac postremò Pyrrhus effectus sit, ac deinde post Pyrrhum factum esse Pythagoram, omniumq; meminisse quæ prædiximus. Plerique Pythagoram, nihil scripsisse tradunt, sed id stolidè putant. Nam Heraclitus Physicus apertissimè de illo loquitur: Pythagoras Mnesarchi filius se historia rerum exercuit supra omnes homines, seligénsque hæc scripta suæ sapientiæ, multæque peritiæ, & artis documentum dedit. Sic autem locutus est, quòd cum de Natura Pythagoras scribere adorsus esset, ita in principio dixerit, Non per aërem quem spiro, non per aquam, quam bibo, non admittam huius sermonis vituperationem. Scripsit autem Pythagoras tria volumina de institutione, de ciuilitate, de natura. Quod autem nomine Pythagoræ legitur, Lysidis Tarentini Pythagorici est, qui cùm Thebas profugisset, Epaminundæ præceptor fuit. Refert Heraclides Serapionis filius in Sotionis epitome scripsisse & illum versibus de toto, secundum item sacrum sermonem, cuius est initium,

Ω νέοι

Ὦ νέοι ἀλλὰ σέβεσθε μεθ' ἡσυχίας τάδε πάντα. id est,
O'iuuenestacitacolite hęc pia ſacra quiete.
Tertium de anima, quartum de pietate, quintum Elothalem Epicharmi comici patrem, ſextum Crotonem & alios. Porrò myſticum ſermonem aiunt Hippaſi fuiſſe, qui in iniuriam Pythagoræ ſcripſerit, plura item ab Aſtone Crotoniate ſcripta Pythagoræ inſcripta eſſe. Ait autem Ariſtoxenus complura mortalium dogmatũ accepiſſe Pythagoram à Themiſtoclea ſorore. Ion autem Chius in triaginis ait ipſum cùm poëma quoddam ſcripſiſſet, Orphei titulum adnotauiſſe. Scopiadas itidem ipſius eſſe aiunt, cuius operis initium eſt, Nullius rex egens eſto. Soſicrates autem in ſucceſsionibus ait, ipſum rogatum à Leonte Phliaſiorum tyrãno quiſnam eſſet, dixiſſe Philoſophus: Præſentémque vitam dicebat celebritati * ſimillimam. Quemadmodum enim ad hanc alij certaturi, alij negotiaturij, alij optimi futuri ſpectatores veniunt, ita & in vitam alios quidem gloriæ mancipia naſci, & cupiditatis aucupes, alios verò veritatis ſtudioſos, & iſta quidem ſic ſe habent. Verum in tribus illis Pythagoræ opuſculis quæ diximus,

*πανηγύρει.

ximus,feruntur ista in vniuersum.Nō permittit quenquam pro se orare,quòd ignoret, quid sibi expediat. Ebrietatem seorsum perniciem vocat, omnéque nimium reprobat dicens, non debere quempiam neque laborum, neq; ciborum transgredi modum. Ac de Venereis sic ait: Venerea hyeme, non æstate facienda, in autumno ac vere leuius. Omni autem tempore esse grauia & ad sanitatem minime idonea.Rogatus quando esset concumbendum, tunc, inquit, cum teipso infirmior fieri vis.Humanam ætatem ita distinguit,puer viginti annos implet, adolescens viginti, iuuenis viginti,senexq; viginti. Sunt autem ætates istæ & anni temporibus accommodatæ,veri puer,æstati adolescēs, autumno iuuenis, & hyemi senex. Adolescentem intelligit * puberem,iuuenem virum. Primus autē Timæo autore,amicorum omnia communia dixit,amicitiamq; æqualitatem. Ipsius quoq; discipuli facultates omnes in vnum deponebant,communesq; faciebant,quinquennium item totum silebāt, solùm quæ dicerentur audientes, ac donec probarentur nunquam Pythagoram videntes. Hinc iam ad domum ipsius, aspectumq; admittebantur. Abstinebant autem à sepulcro

* μειράκιον.

cypres

cypreſsino, quòd inde ſceptrum Iouis factum eſſet, vt Hermippus ait in ſecundo de Pythagora. Quin & venuſtiſsimæ formæ fuiſſe traditur, adeò vt illum diſcipuli opinarentur Appollinem qui ex Hyperboreis veniſſet. Nudatum aliquando eius femur aureum apparuiſſe fama eſt, Neſſumque amnem cùm tranſiret ab eo fuiſſe appellatum non defuere qui dicerent. Timæus quoque in decimo hiſtoriarum ait, dixiſſe illum, quæ cum viris habitarent, eas deorum nomine cenſeri κόρας & nymphas, & deinceps matres appellari. Hunc & geometriam perfeciſſe, cùm antea Mœris initia elemētorum eius inueniſſet, Anticlides autor eſt in ſecundo de Alexandro, maximéque vacaſſe Pythagoram circa ſpeciem ipſius arithmeticam, ac regulam quæ ex vna chorda eſt, reperiſſe. ne medicinam quidem neglexit. Refert autem Apollodorus ſupputator hecatōbem illum immolaſſe, cùm inueniſſet trianguli quod ὀρθογώνιον appellant, ſubiectum latus tantundem valere, quantum quæ illum continerent. Et eſt epigramma ſic ſe habens:

Ἥνικε Πυθαγόρης τὸ περικλεὲς εὕρατο γράμμα

Κεῖν᾽ ἐφ᾽ ὅτῳ κλεινὴν ἤγαγε βουθυσίην.

hoc est,

Pythagoras quondam diis fecit nobile sacrum,

Inuenta est illi littera quòd celebris.

Fertur & primùs athletas aluisse carnibus, antea, vt in tertio comment. ait Phauorinus, caricis siccis & mollibus & tritico solitos corpora nutrire, vt ait idem Phauorinus in octauo Omnimodæ historiæ. Alij verò Pythagoram alium quẽdam aliptem athletas ita solitum enutrire dicunt, non hunc. Quo enim pacto cùm hic & necare vetuerit, sustineat gustare animalia quæ commune nobiscum ius habeant animæ, & istud quidem fabulosum. Nam reuera animatis abstinere iussit, exercens atque assuefaciens mortales ad faciliorem victum, vt cibos semper parabiles haberent, quibus igne ad coquendum opus non esset, quíque aquam simplicem biberent. Hinc & sanitatem corpori, & ingenij acumen prouenire. Denique aram Delij tantum Apollinis genitoris, quæ post Ceratinum est, adorare, quòd frumenta & hordeum & placentas illi absque vsu ignis imponere ex more soleant, cæterum nulla iecinora, vt Aristoteles in Deliorum Rep.

Apollo γενέτωρ.

test

testatur: primumq́; hunc sensisse aiunt animam circulum necessitatis immutantem aliis alias obligari animantibus, primumq́; Græcis pondera & mensuras inuexisse, vt Aristoxenus musicus ait: Primum item vesperum atque luciferum idem sydus dixisse autore Parmenide. Adeo verò admirationi omnibus fuit, vt dicerent familiares eius, dei omnigenas voces. Ipse quoq; scribens ait, post ducentos & sex annos ex inferis se ad homines venire. Itaq; cum illo perdurabant, atq; adibant illum disciplinæ studiorumq́; causa & Lucani, & Picentes, Mesapij, & Romani. Erat autem ignotum Pythagoricum dogma vsq; ad Philolai tēpora. Hic enim tres libros illos præclaros euulgauit, quos Plato centum minis sibi emi per literas orauit. Neq; verò pauciores sexcentis erant qui noctu ad illum audiendum confluebant. Ac si qui præsentia illius frui meruissent, scribebant suis tanquam magnum quiddam ac præclarum se adeptos. Metapontini nempe illius domū Cereris delubrum vocabant, vicumq́; sacratum Musis, vt Phauorinus in omnimodis historiis tradit: dicebantq́; Pythagorici alij, non esse omnibus pandenda omnia, vt Aristo ait, in x. instituentium legum. Vbi &

Xenophilum Pythagoricum interrogatum,quo pacto optimè filium erudiret,dixisse ait, si ex bene instituta ciuitate natus esset. Quin & passim per Italiam non paucos reddidit bonos & doctos viros. Zeleucum inter cæteros & Charondam legumlatores. Erat præterea conciliandæ amicitiæ in primis studiosus, maximamq; in ea habebat vim.Ac si quem didicisset symbolis suis communicasse, eum continuò socium,amicumq; consciscebat.Erant autem ista illius symbola: Ignem gladio non fodiendum, stateram non transiliendam,super chœnice non sedendum,cor non edendum,onus vna tollendum, neq; vna deponendum,stramenta semper habenda colligata, dei imaginem in anulo minimè circunferendam,ollæ vestigium in cinere cõfundendum, oleo sedem non tergendam, conuerso ad solem vultu non mingẽdum, extra publicam viam non eundum,non facilè dextram iniiciendam,sub eodem tecto hirundines non habendas,quæ sunt vnguibus recuruis aues non nutriendas,vnguium capillorumq; partibus superfluis resectis non immingendum neq; insistendum,gladium acutũ deuitãdum.In finibus peregrinanti non redeundũ. Erant autem hæ eius

sent

ſententiæ. Ignem gladio non fodiendum, potẽtium iram tumentemq́; indignationẽ non commouendam. In chœnice non ſedendum, ex æquo futuri habẽdam curam. Chœnix enim diurna eſca eſt. Stateram nõ tranſiliendam, hoc eſt, æquum & iuſtum non tranſgrediendum. Cor nõu edendum, id eſt, animam angoribus doloribúſq; non excruciãdum. Per id autem quod peregre proficiſcenti minimè redeundum, admonebat, ne qui vita exceſsiſſent, eos vitæ cupiditate teneri non oportere, neq; voluptatibus vitæ præſentis manus dare. Ad hęc & alia iam exponenda ſunt. ne quid prætériſſe videamur. Super omnia eræthino & ſepia veſci prohibebat, corde itidem ac fabis. Addit Ariſtoteles & vuluam & triglã. Solo melle ſiue fauo ac pane contentum vixiſſe quidam autumant, vinumq́; interdiu non guſtare ſolitum. Obſonium illi erat vt plurimum cruda vel elixa olera, marinis raro vtebatur. Stola illi candida ſemper ac munda, ſtramentáque item candida ex lana. Lineorum quippe vſus necdum ad illa loca penetrarat. Nunquàm verò deprehenſus eſt ſaturari, vel Venereis rebus ſeu ebrietati operam dare. Riſu abſtinebat & facetiis & iocis, odioſiſq; narra-

tionibus. Iratus nunquam vel ſeruum vel liberum cædebat, diuinatione ea ſola vtebatur quæ fit per auguria & vaticinia, minimum verò ea quæ fit per ignẽ, ture tantum excepto ſacrificiis vtebatur inanimis. Sunt qui dicãt ſolis gallis gallinaceis & hœdis etiam lacteolis, quos teneros dicunt: agnis autem minimè. Cæterùm Ariſtoxenus cuncta illum animata in cibum permiſiſſe ait, boue aratore, & ariete exceptis. Dogmatáque * ab ea quæ in Delphis eſt Themiſtoclea accepiſse refert idem autor. Hieronymus verò deſcendiſſe ad inferos, atque Heſiodi quidem animam columnæ æreæ vinculis adſtrictam, ſtridentemq; vidiſſe, Homeri autem ex arbore pendentem ſerpentéſq; illa circundantes, propter ea quæ in diis finxerat. Eos item cruciari qui ſuis vxoribus congredi nollent, eiusq; rei gratia à Crotoniatis honoratum. Ariſtippus autem Cyrenæus in libro de phyſiologia, ait illum Pythagoram idcirco appellatum, quòd veritatem perinde atque Pythius ipſe loqueretur. Fertur diſcipulos admonere ſolitus, vt iſta quotidie cùm domum ingrederentur dicerent:

*παρὰ τῆς ἐν Δελφοῖς Θεμιστοκλέας

πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον; ὄυκ ἐτελέσθη; id eſt,

Quò

Quò prætergressus? quid gestũ in tempore? quid non?

Cruentas hostias diis offerri prohibebat, solamq; arã quæ esset sine sanguine adorandum: deierare itidem per deos vetabat. Quenq; enim id studiosè curare oportere, vt ex vitæ merito sibi fides haberetur. Seniores honorãdos, quod tempore præcederet honorabilius existimantes quemadmodum, in mundo, occasu ortum, in seculo principium fine, in vita autem generationẽ corruptione. Deos quidem semideis in honore præferendos, hominibus autem heroas, parantes verò hominibus cæteris. Inuicẽ ea ratione conuersandum, vti ne ex amicis inimicos, verũ ex inimicis amicos faciamus. Proprium nihil arbitrandum, legibus opem ferendam, iniquitatem debellandam: mitem arborem non violandam nec lædendam. Animal itidem quod hominibus non noceat. Verecundiã & pietatem esse colendam. Risui æquè ac tristitiæ non indulgendũ. Fugiendam carnis superfluam pinguedinem. Itinerationibus remissè intenteq; vtendum. Exercendam memoriam. In ira nihil aut dicẽdum aut faciendum. Diuinationẽ omnem honorandã. Cantibus ad lyram vtendum,

laudeq; deorum virorumq; præstantium habendo rationabilem gratiam. Porrò fabarum interdicebat vsum, quòd vento essent plenæ atq; animato maximè conuenirent. Ad hæc nisi sumantur leuiores, ac modestiores fieri ventres, atq; adeò quæ in somnis contingunt, imagines leues, ac perturbationes vacuas reddi. Refer autem Alexander in successionibus philosophorum, & ista se in Pythagoricis commentariis notasse, principium quidem omnium esse vnitatē. Porrò ex vnitate indefinitam dualitatē, veluti materiam autori vnitate subiecisse. Ex monade verò ac inde terminata dualitate numeros gigni, ex numeris puncta, ex punctis lineas, ex quibus planæ figuræ constent. Ex planis autem solidas figuras, ex quibus item solida consistere corpora, quorū & quatuor elementa esse, ignem, aquam, terram, aërem, quæ per omnia se mutant ac vertant; ex quibus fieri mundum animatum, intelligibile, rotundum, mediam terram continentem, quam & ipsam rotundam esse & globosam, ac circū habitari. Esse autem antipodas, nobisq; obuersa vestigia premere. * Aequis etiam partibus mundo inesse lucem ac tenebras, calidumq; & frigidum, siccum & humid

* ἰσόμοιρα.

humidum. Ex eis dum calor obtinet, æstatem, dum frigus, hyemem fieri. Ea dum æquis partibus sunt, optima anni tempora confici. Nam ea quæ viret, est veris grata salubrisq; tẽperies. Quæ verò declinat, autumni est insalubris illa pars anni. Quod autem ad diem attinet, oriri quidẽ auroram ac vesperam occidere. Quocirca insalubriorem esse eum qui terra complectitur aëra, immotũ ac morbidum, & quæ in illo sunt omnia esse mortalia. Summũ verò semper moueri, & esse liquidissimũ ac saluberrimũ, & quæ in eo sunt immortalia omnia atque idcirco diuina. Solem item & lunam & reliqua sydera deos esse, quippe in illis superare calorem, qui sit vitæ autor. Lunam quoque à sole illustrari, hominibusq; esse cum diis cognationẽ, quòd & homo caloris particeps sit. Vnde & deum nostri prouidentiam gerere. Fatum quoque omnium & eorum quæ sunt per partes administrandorũ causam esse. Penetrare item à sole radium per æthera frigidum, & corpulentum. Vocat autem aërem frigidũ æthera. Hunc verò radium etiam profunda penetrare, atq; ideo viuificare omnia. Viuere item animo quæ calori participent, atque ideo & plantas esse

animantes, animam tamen non habere omnes. Animam verò auulsionem ætheris esse, & calidi & frigidi, eò quòd sit particeps frigidi ætheris. Differre autem à vita animam, esseq; illam immortalem, quando quidem & id à quo auulsa est, immortale sit. Porrò animalia ex se inuicem nasci seminali ratione, quæ vero è terra fiant generationem nō posse subsistere. Semen autem esse cerebri stillam, quæ in se calidum contineat vaporem. Hæc verò dum infunditur vuluæ, ex cerebro saniem, & humorē sanguinemq; profluere. Ex quibus caro nerui, ossa, pili, totumq; consistat corpus: ex eo autem vapore sensum atque animam constare. Formari autem primò quidem concretum, & compactum intra dies quadraginta, iuxta verò rationē harmoniæ, intra septem aut nouem, aut decem vt plurimum menses consummatum atque perfectum infantem gigni. Habere autem in se omnis vitæ rationes, quibus sua serie connexis contineri iuxta congruentiæ rationem, cùm singula statutis temporibus accedūt. Sensum quoq; communiter omnem, ac per speciem temperamentum, vaporem esse quendam nimis calidum, atq; ideo aërem aquamq; penetrare:

trare : affligi enim calidū à frigido. Nam si esset frigidus in oculis vapor, distaret profectò aduersus aërem similem. Nunc verò in plerisque, oculos solis ianuas appellat. Eadē & de auditu decreuit, ac sensibus reliquis. Porrò humanam animam trifariam diuidit,in sensum,& mentem,& iram. Sensus igitur & iræ cæteras quoque animātes esse participes mentem verò ad solum pertinere hominē.Esse autem principium animæ à corde vsq; ad cerebrum, & eam quidem quę sit in corde ipsius partem concupiscentiam esse. Mentem verò atq; animam in cerebro constare. Guttas autem nosse ab his manare sensus.Ac partem quidem prudentiæ capacem esse immortalem,cætera verò mortalia,nutririq; ex sanguine animam,eiusq; rationes ventos esse. Ipsam verò vnam cum suis rationibus esse inuisibilem, quòd æther quoq; sit inuisibilis.Cæterùm animæ vincula venas esse & arterias & neruos.Vbi verò inualuerit & secum fuerit,quiescere,vinculaq; ipsius fieri rationes atque opera. Eiectam eam in terram in aëre vagari corpori similem.Porrò Mercurium animarum quæstorem esse, atq; ideo ductorem dici, ianitorem ac terrenū, quòd is ex corpo-

ribus,

ribus, & ex terra, & mari animas immittat, & puras quidem atque purgatas in excelſum ducat. Impuras verò illis ne appropinquare quidem neq; inuicem ſibiipſis, cæterùm vinciri à furiis infractis nexibus. Quin totum aëra plena eſſe animis, eosq; & dæmones & heroas exiſtimari, atque ab his hominibus immitti ſomnia, & ſigna atq; morbos, neque ſolum hominibus, verùm & pecudibus ac iumentis reliquis, atque ad hos referri luſtrationes & * expiationes, diuinationem omnem & vaticinia, & cætera id genus. Maximum verò eorum quæ in hominibus fingi poſſunt dixit animam eſſe, ſiue ad bonum induceret ſiue ad malum. Feliceſq; ac beatos eſſe homines, quibus bona anima aduenerit. Eam verò nunquã quieſcere, neq; eundem fluxum obtinere. Iuſtũ item vim habere iuriſiurãdi, atq; ideo & Iouem * iuratorem dici. Virtutem harmoniam eſſe, ſanitatem præterea & bonũ omne, atq; Deum, ideóque per harmoniam cõſtare omnia. Amicitiam itidem eſſe æquabilem congruentiam. Honores Diis exhibendos, heroas tamen haud æquo honore ducendos. Cæterùm Diis ſemper quidem cum laudibus amictuq; candido, & caſto corpore hono-

*ἀποτρο-πιασμοὺς

* ὅρκιον.

res

res adhibendos, heroibus verò ex dimidio diei. Eam verò munditiem expiationibus lauacrisq; atq; aſperginibus fieri, vacando à funere & cubili, & inquinamento omni, morticinisq; & pollutis carnibus abſtinẽdo, triglisq; ac ſepiis, ouisq; & quæ ex ouis naſcuntur animalibus, fabis quoq; , & cæteris quę prohibent, qui in templis myſteria ritusq; faciunt. Ait autem Ariſtoteles in libro de fabis, ideo admonuiſſe illum fabis abſtinendum, ſiue quòd pudendis ſimiles ſint, ſiue quòd inferni ianuis. Sunt enim infœcundę ſolæ, ſiue quòd corrumpãt, ſiue quòd naturæ vniuerſi ſimiles ſint, ſiue quòd paucorum dominatu gaudent: nam his in ſuffragiis vtebantur. Quæ verò ceciderint nõ tollenda, vt aſſueſcatur non niſi moderatè edere. Porrò Ariſtophanes heroum ait ea eſſe quæ cadunt, dicens in heroicis: Ne guſtato quidem ea quæ intra menſam deciderint. Gallo plumis albis abſtinendum, quòd Menſi ſacer ſit, ac ſupplex. Nam & horas ſignificat. Piſces item non guſtandos eos qui ſacri ſunt. Neque enim fas eſſe eadẽ Diis, & hominibus apponi, ſicuti nec ſeruis & liberis. Candidum quidem quod eſt, ad boni pertinere naturam, atrum verò ad mali. Panem nõ frangend

gendum. Nam in vnum veteres amici coibant, quemadmodum nunc etiam Barbari, neque diuidendum quòd illos in vnum cogat. Alij ad iudiciũ referunt quod apud inferos fit. Alij quod in bello formidinẽ faciat. Alij quòd ab hoc incipiat vniuersum, in solidarúmque figurarum omnium sphæra, planarum verò circulus sit. Senectutem, & omne detrimento obnoxium pari ratione teneri. Iuuentutem itidem & quicquid incrementa suscipit, idem esse. Sanitatem speciei esse cõsistentiam, morbum contrà esse huius violationem: de sale quod apponi conueniat idcirco statuit, quòd iustitiæ admoneat. Hoc enim quicquid occupauerit seruat, & ex liquidissimis rebus aqua & mari fit. Hæc Alexãder in Pythagoricis reperisse se in commentariis tradit. Eadẽ fermè Aristoteles. Enimuero Pythagoræ ipsius grauitatẽ, ac modestiam & Timõ in Sillis, cùm illum carpere instituisset, non reliquit intactam in hanc sententiã loquens, Pythagorã quoq; magiæ insignẽ, opinione gloriæ grauitatisq; celebrẽ. Quòd autem alius idem aliàs fuerit, Xenophanes in elegia testatur, cuius est initiũ: Nunc alia dicere aggrediar. Quod verò de illo dixit sic se habet:

Καί ποτέ μιν στυφελιζομένου σκύλακος παριόντα.
Φασὶν ἐποικτεῖραι, καὶ τόδε φάσθαι ἔπος,
Παῦσαι μηδὲ ῥάπιζ' ἐπεὶ φίλου ἀνέρος ἐστὶ
Ψυχὴ, τὴν ἔγνων φθεγξαμένης ἀΐων.

hoc est,

Qui catulum duro miseratus verbere cæsum

Cũ, vt fama est, olim præteriisset, ait,

Desine, ne miserum cædas, nam charus amici

Est anim°, quod vox indicat ipsa mihi.

Atq; ita Xenophantes sugillat illum. Cratinus in Pythagoricis atque in Tarentinis in hunc modum hæc inquit: Eis consuetudo est, si quem * simplicem vndecunque * nacti fuerint ingressum experimentũ facturum quantum illi dicendi viribus præstant, perturbare illum, obiectionibúsque versare, conclusionibus, inæqualitatibus, fallaciis, magnitudinibus, non inde emergere. Mnesimachus Dalmoni, Pythagoreo more: * soli immolamus inanimatum nihil, omnia comedentes, Aristophõ in Pythagoreo instituto ait, quòd cùm descendisset in diætam eorum, qui apud inferos sunt, vidisse singulos, Pythagoricos verò multum omnino à mortuis differre. His quip

* ἰδιώτην.

* λοξίας.

quippe solis conuesci Plutonem ob pietatem dixit. Facilem ais Deũ, si sordidis cibis adesse gaudet. Item in eodem: Comedunt olera & aquam in potu sumunt, pediculos & pallium atq; squalorem nemo ex aliis perferre posset. Moritur autẽ Pythagoras hoc modo: Consederat in domo Milonis cum sociis: eam verò domũ quispiam ex his quos ille admittere noluerat, per inuidiam incendit. Sunt qui Crotoniatas ipsos tyrãnidis suspicione ac metu hoc perpetrasse dicant. Pythagorã igitur incendij incommoda vitantem, cùm egrederetur comprehensum esse, & agro cuidam fabis pleno intrantem ibi constitisse ac dixisse, capi præstat quàm has dare pessum, cædiq; satius est, quàm quicquam loqui, atque ita iugulum persecutoribus nudasse, compluresq; ex discipulis, nam circiter quadraginta sequuti fuerant, fuisse interemptos, paucosq; effugisse, ex quibus Archytas Tarentinus fuerit, & Lysis ille quẽ suprà memorauimus. Porrò Dicæarchus Pythagoram in delubrũ musarum, quod Metaponti est, confugisse, ibiq; cùm quadraginta dies absque cibo perstitisse, defecisse ait. Heraclides verò in epitome vitarum Satyri, illum postquam in

Delo

Delo Pherecydi iusta persoluerat, rediisse in Italiam, &, cùm in domo Milonis Crotoniatæ celebritatẽ offendisset, Metapontum peruenisse, ibiq; cùm viuere diutius nollet inedia vitam finisse. Hermippus autem ait bello inter Agrigentinos atq; Syracusanos exorto, Pythagoram exisse cum sociis Arigentinis opem laturum. Versis autem in fugam illum fabarum campum circuisse, ibiq; à Syracusanis fuisse interfectum. Reliquos verò ad triginta quinque Tarenti fuisse crematos, cùm primariis ciuitatis contrà ire vellent, atque ab eis in Reipublicæ administratione dissentirent. Aliud item quiddam huiusmodi de Pythagora Hermippus refert. Ait enim illum cùm in Italiam venisset, subterraneam fecisse domum, matriq; mandasse quæ contingerẽt, tabulis inscriberet, tempusq; adnotaret, deinde illum descendisse, ac dum rediret id matrem fecisse. Anno autẽ exacto ascendisse Pythagoram ex effosa domo squalidum ac macie confectum, aduocataq; concione dixisse ex inferis se ascendere, atque vt sibi fidem faceret, recitasse quicquid euenisset. Eos verò iis quæ dicebãtur affectos in lacrymas eiulatusq; prorupisse, Pythagoramq; iam diuini quippiã

M habere

habere existimantes, vxores suas illi in disciplinā certatim dedisse, vt quidpiam ex illo addiscerent, easq; Pythagoricas vocatas esse. Hæc Hermippus. Erat autem Pythagoræ & vxor Theano nomine, Brontini Crotoniæ filia. Hanc alij Brontini vxorem Pythagoræq; discipulam tradūt. Erat illi & filia Damo, vt Lysis in epistola ad Hipparchū ait, de Pythagora in hunc modum loquens: Aiunt autem plurimi publicè te, id quod Pythagoras semper inhibuerat, Philosophari, qui cùm Damoni filiæ commentaria sua commendaret, iussit ne cui extra domum ea traderet. Eo verò cū ingenti pecunia posset illa detrahere, omnino noluit, inopiam quippe patrisq; monita auro pretiosiora cēsuit: idq; cùm esset mulier. Fuit illi & filius Telauges, qui etiā patri successit, ac iuxta quosdam Empedoclis præceptor fuit Hippobotus autē Empedoclē dixisse ait de Telauge: Clara Theanus procles Pythagoræq; Telauges autem ille nihil scripsisse fertur, at ipsius mater nonnulla. Rogata quando mulier à viro munda sit, dixisse ferunt, à suo quidē continuo, ab alieno verò nunquā: ei verò quæ ad virum ingrederetur, monebat vti cum veste & verecundiam poneret, exurgensq;
denuo

denuo cum ipsis illã vnà resumeret. Rogata quænam, hæc, inquit, per quæ mulier vocor. Igitur Pythagoras iuxta Heraclidẽ Serapionis filium octogesimo ætatis anno moritur, secundum propriam ætatum descriptionem, iuxta plurimos autem nonagesimo. Extant autem & quæ in hunc lusimus, sic se habentia:

Οὐ μόνος ἐμψύχων ἄπεχες χέρας, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς.
Τίς γὰρ ὃς ἐμψύχων ἥψατο Πυθαγόρα;
Ἀλλ' ὅταν ἑψηθῇ τε, καὶ ὀπτηθῇ, καὶ ἁλισθῇ
Δὴ τότε καὶ ψυχὴν οὐκ ἔχον ἐσθίομεν. i.

Haudquaq̃ sol^us tu animatis abstinuisti.
Quisnam animata vorat, dic mihi Pythagora.
Verùm vbi quid tostum est, elixum, vel sale sparsum,
Tunc edimus, quoniam spiritus omnis abest.

Item aliud in eundem:

Ἀλλ' ἦν Πυθαγόρας τοῖος σοφὸς, ὥστε μὲν αὐτὸς
Μὴ ψαύειν κρειῶν καὶ λέγειν ὡς ἄδικον,
Σιτίζειν δ' ἄλλους, ἄγαμαι σοφόν· αὐτὸς μὲν γὰρ
Οὐκ ἀδικεῖν ἄλλους αὐτὸς ἔτ' εἶχ' ἀδικεῖν.

hoc est,

Talis erat sapiẽs, vt nollet tãgere carnes
Pythagoras, magnum & diceret esse scelus.
Carnibus admiror socios quòd pauit, & ipse
Carnibus abstinuit, flagitium esse ratus.

Item aliud:

Τὰς φρένας ἢν ἐθέλῃς τὰς πυθαγόραο νοῆσαι
Ἀσπίδος Εὐφόρβου βλέψον ἐς ὀμφαλόεν.
Φησὶ γὰρ οὗτος ἐγὼν ἤμην πρόσθεν βροτὸς, ὅσσ' δὲ
Ὅτ' οὐκ ἦν φάσκειν, ὅστις ἔην ὅτ' ἔην.

hoc est,

Respice in Euphorbi radiantia scuta renati,
Pythagoræ mentem noscere quisquis aues.
Olim ego, dicit, eram mortalis, nec finit vnquam,
Siue erat, haud vel erat, dicere semper, eram.

In eundem:

Αἶ, αἶ, πυθαγόρης, τί τόσον κυάμους ἐσεβάσθης;
Καὶ θάνε δῆτα φοιτοῖς ἄμμιγα τοῖς ἰδίοις.
Χωρίον ἦν κυάμων, ἵνα μὴ τούτους ἢ πατήσῃ
Ἐξ Ἀκραγαντίνων κάτθαν' ἐνὶ τριόδῳ.

hoc est,

Heu, heu Pythagoras quid vile legumẽ adoras?

Quem

Quem in propriis fama eſt occubuiſſe fabis.

Nã ne fortè fabas fugiẽs calcaret ĩ agro,
Tandem Agragantino cæſus ab hoſte perit.

Floruit autem olympiade ſexageſima, ipſiusq; ſchola durauit vſq; ad nonã & decimam generationẽ. Poſtremi enim Pythagoreorum fuere quos Ariſtoxenus vidit, Zenophilus Chalcidienſis ex Thuria, & Phantõ Phliaſius,& Echecrates, & Diocles,& Polimnaſtus,Phliaſij & ipſi.Erãt autem auditores Philolari & Euryti Tarẽtinorũ Fuerũt aũt Pythagoræ quatuor eodẽ ferè tẽpore,nec multũ ab ſe inuicẽ diſtantes.Vnus quidẽ Crotoniata homo tyrãnicus. Alter Phliaſius corporum exercitator aliptes,vt quidã aiunt.Tertius Zacynthius, cuius aiunt illud eſſe philoſophiæ arcanũ, ac eius rei præceptor, à quo itẽ illud prouerbiale:Ipſe dixit, in publicum manauit. Sunt qui & alium ſculptorem Rheginum fuiſſe dicant Pythagorã, qui primus viſus ſit numerorũ ac modorum repertor fuiſſe.Alium item ſcultorem Samium, & aliũ oratorem non bonum,& alium medicum qui de hernia ſcripſerit, ac de Homero quædam compoſuerit. Alium item qui

Doricè ſcripſerit, autore Dionyſio. Porrò hunc Eratoſthenes, quem & Phauorinus in omnimoda hiſtoria ſequitur in libro octauo, primũ fuiſſe tradit, qui XLVIII. Olympiade peritus ac exercitatus pugil euaſerit; quem comatum atque purpuratum, eiectumq; ex puerorum ludo atque irriſum continuò viros petiſſe ac viciſſe. Simplex eſt huic epigramma quod fecit Theætetus:

Πυθαγόρην τινὰ ὦ ξεῖνε κομήτην ἀιδόμενον
πύκτην, εἰ κατέχεις Σάμιον, Πυθαγόρης ἐγώ
εἰμι.
Τὰ δ' ἔργα μου εἴ τιν' ἔροιο Ἠλείων, φήσεις
Αὐτὸν ἄπιστα λέγειν. hoc eſt,

Pythagoram quendam comatum hoſpes nobilem
Pugilem Samium, ſi contines, Pythagoras ego ſum.
Quæ geſſerim verò ſi quempiã Eleum rogabis,
Dices illum incredibilia narrare.

Hunc Phauorinus ait definitionibus ob mathematicam vſum materiam, ampliaſſe verò illam Socratem, & qui ab eo fluxere. Poſtea autem Ariſtotelem & Stoicos, primoq; cœlum appellaſſe mundum terramq; rotundam. Id autem Theophra-

ſtus Parmenidi, Zeno Heſiodo aſsignant. Huic autem reſtitiſſe Cydonem, ſicut Antidicum Socrati. De Pythagora autẽ athleta circumfertur hoc epigramma:

Οὗτος πυκτεύσων ἐς Ὀλύμπια παισὶν ἄνηβος
Ἤλυθε Πυθαγόρης ὁ Κράτεω Σάμιος.

hoc eſt,

Hic puer & pugil à pueris ad Olympia venit
Pythagoras Samius, patre ſatus Crateo.

At verò philoſophi epiſtola legitur in hunc modum.

PYTHAGORAS ANAXIMENI.

AT TV virorum optimè ſi nihil Pythagora & genere & gloria præſtantior eſſes, profectò ad nos iam ex Mileto migraſſes; nunc verò te continuit paterna & auita gloria, quæ & me continuiſſet ſi eſſem Anaximeni ſimilis. Cæterùm vos ſi augurio vrbes deſeretis, eis quidem ornatus adimetur, Mediq; illis infeſtius inſtabunt. Neque verò ſemper cõuenit aſtrorum ac cœli veſtigare rationes. Præſtat interdum ad patriam curas cogitationesq; conuertere. Quanquam ego non ſemper meis vaco fabulis, verùm & bellis inter-

dum, quibus inter se inuicem Itali dissident. Quoniã verò de Pythagora diximus, dicendum iam de Pythagoricis illustribus viris, post quos dicendum erit de his qui sparsim à plerisque referuntur, tum deinceps adnectemus succesionis seriem memorabilium virorum vsq; ad Epicurum, sicuti suprà promisimus. De Theano autem & Thelauge iam diximus, dicendum modò de Empedocle primum. Nam, vt quibusdã placet, Pythagoræ auditor fuit.

EMPEDOCLES.

EMpedocli, vt ait Hippobotus, Meto pater, auus Empedocles Agrigentinus fuit. Idẽ & Timæus refert in decimoquinto historiarum libro, insignem fuisse virum Empedoclem poëtæ auum. Hermippus eadem ferme ait. Heraclides itidem de insulis, clara ex familia fuisse auum, equosq; nutrisse tradit. Dicit & Eratosthenes in Olympionicis, LXXI. Olympiadem vicisse Metonis patrem, Aristotelis vtens testimonio. Apollodorus autem grammaticus in Chronicis, Metonis quidem filium fuisse ait, cæterùm ad Thurios nuper omnino conditos venisse Glaucus ait: deinde post pauca, Qui verò, inquit, domum profugum venisse Syracusas, &

cum

cum illis aduersus Athenienses bellasse aiunt, prorsus id mihi ignorare videntur. Aut enim iam defecerat, aut omnino valde senex erat, id quod minimè verisimile est. Nanq; & Aristoteles ipsum & Heraclitum L X. ætatis anno vita excessisse ait, qui verò L X X. & primam Olympiadem vicerat eques, eodem censebatur nomine. Ita & tempus ab Apollodoro significatur. Satyrus autem in vitis Empedoclem ait filium fuisse Exanæti. Reliquisse autem & illum filiũ Exanætum, eademq; olympiade ipsum quidem equestri certamine vicisse, filium verò illius lucta, siue vt ait Heraclides in epitome, cursu. Verũ enimuerò in Phauorini commentariis reperi, Empedoclem & bouem mactasse spectatoribus ex melle & farina, fratremq; habuisse Callicratidem. Telauges autem Pythagoræ filius in epistola ad Philolaum, Empedoclem ait Archinomi fuisse filiũ. Quòd autem Agrigentinus ex Sicilia fuerit, ipse in primo lustrationum refert:

ὦ φίλοι οἱ μέγα ἄστυ κατὰ ξανθοῦ Ακράγαντος
Ναίετ' ἀν' ἄκρα πόλιος. hoc est,
O' socij ingentem flauas Acragantis ad vndas

Vrbem qui colitis positam sub mœnibus altis.

Hactenus de genere ipsius. Audisse autem Pythagoram Timæus autor est in nono historiarum dicens, deprehensum quòd orationem furatus esset, sicuti & Plato, atque ideo ad consortium sermonum admitti prohibitum, ipsumq; meminisse Pythagoræ,

ἦν δέ τις ἐν κείνοισιν ἀνὴρ περιώσια εἰδώς·
ὃς δὴ μήκιστον πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον. hoc est,

Quidam & in his vir summus erat, rerumq; peritus
Diuitiis qui animi cordatos vinceret omnes.

Sunt qui ista de Parmenide dixisse putãt. Refert Neanthes Pythagoricos vsque ad Philolaum & Empedoclem ad sermonũ communionem admitti solitos. Vbi verò ipse poëmata illa vulgare cœpit, latã esse legem vti versificator omnis inde arceretur. Idem & Platonem pertulisse aiunt, quippe & hunc fuisse prohibitum, quem tamen illorum audiuerit Empedocles, non dixit. Eam enim quæ Telaugis fertur epistolam, quòd Hippasum ac Brontinum audierit, nõ vsquequaque probari.

Enimu

Enimuero Theophraſtus Parmenidem illum imitatum dixit, ipſiusq́; æmulum & in poëmatibus fuiſſe, quippe & illum in verſu phyſicæ rationis ſequi exprimeréque. Hermippus autem nõ Parmenidis, verùm Xenophanis fuiſſe imitatorem tradidit, qui cùm diu verſatus eiusq́; carmen imitatus ſit, poſtmodum Pythagoricis congreſſum eſſe. Alcidamas verò in Phyſico refert eodem tempore Zenonem & Empedoclem vnà audiuiſſe Parmenidem, demum ab ſe diſceſsiſſe, ac Zenonem quidẽ ſeorſum philoſophatum eſſe, hunc verò Anaxagoram & Pythagoram audiſſe, atq; alterius conſtantiam & grauitatem vitæ atque habitus, alterius de natura rationes fuiſſe imitatum. Ariſtoteles verò in ſophiſta, primum Empedoclem oratoriæ inuentorem ait, Zenonémque dialecticæ. In libr. autem de poëtis aſſerit Homericum Empedoclem, acutúmq; * in dicendo fuiſſe, translationibus item ac cæteris poëticis figuris vſum. Atque ideo cùm & alia poëmata ſcripſiſſet, & Xerxis tranſitum, & in Apollinem procemiũ, ea poſteà ignibus tradidit ſoror quædam ipſius ſiue filia, vt Hieronymus meminit, procemium quidem imprudens, Perſica autem prudens ac ſciens,

* τὶμφρά σιμ.

sciens, quòd ea imperfecta essent. Tragœdias illum præterea scripsisse refert, ac politica. Verùm Heraclides Serapionis filius, tragœdias alterius fuisse memorat. Hieronymus verò quadraginta tria illius opuscula se legisse asserit. Neanthes autem ad hūc iuuenem scripsisse, & ipsum tragœdias, in quas se postea incidisse. Porro Satyrus in vitis refert & medicum illum fuisse, oratoremq; optimum, Gorgiamq; Leontinū ipsius fuisse discipulum, virum in oratoria insignem, qui & artem rhetoricam scripserit, quem tradit Apollodorus in chronicis centum & nouem ætatis implesse annos. Hunc ait Satyrus dicere solitum affuisse se Empedocli magiam exercēti, ipsumq; in poëmatibus id profiteri, & complura alia inter quæ profitetur,

Φάρμακα δ' ὅσα γεγᾶσι κακῶν, καὶ γήραος ἄλκαρ
Πεύσῃ, ἐπεὶ μούνῳ σοι ἐγὼ κρανέω τάδε πάντα
Παύσεις δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵτ' ἐπὶ γαῖαν
Ορνύμενοι πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἀρούραν.
καὶ πάλιν ἢν κ' ἐθέλησθα παλίντιτα πνεύματ' ἐπάξεις.
Θήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ, καίριον αὐχμὸν,

Ἀνθρώποις, θήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμεῖο θερέος
Ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τὰ δ' ἐν θέρει ἀήσαντα.
Ἄξεις δ' ἐξ ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός. hoc est,

Pharmacha quîs pellas morbos, leuesq; senectam
Percipies, quæ cũcta tibi cõmunico soli.
Cõpescésq; truces vẽtorũ rite procellas,
Exorti insanis qui vastant flatibus agros.
Rursum, si libeat, mox flamina pigra ciebis,
Et media induces è tempestate serenũ,
Induces media pluuias æstate salubres,
Et flatus sicca qui perflẽt omnia messe.
Extinctúmque hominem nigro reuocabis ab Orco.

Multis item modis eum virum admirationi habitum Timæus in decimo octauo historiarum autor est. Namque Eteisis aliquando vehementer flantibus, adeò vt fruges corrumperent, excoriari asinos iussit, factísque vtribus eos collibus & montium verticibus admoueri ad compellendos flatus, cessantibúsque ventis ab euentu rei * κωλυσανέμαν vocatum esse. Heraclides quoque in libro de morbis, ait ipsum Pausaniæ * dictasse quæ de Apno ille scripsit.

* ὑφηγήσαστι τὴν περὶ ἀπνου.

Erat

Erat autem Pauſanias, vt Satyrus & Ariſtippus ait, amator eius, cui & de natura libros compoſitos ita declarauit:

Παυσανία σὺ δὲ κλῦθι δαΐφρονος Ἀγχίτου υἱέ.

hoc eſt,

Pauſania Anchiti ſapientis percipe fili.

Sed & epigramma in eum ſcripſit in hanc ſententiam:

Παυσανίην ἰητρὸν ἐπώνυμον Ἀγχίτου υἱὸν
φῶτ' Ἀσκληπιάδην πατρὶς ἔθρεψε Γέλα,
ὃς πολλοὺς μογεροῖσι μαραινομένους καμάτοισι
φῶτας ἀπέστρεψεν Περσεφόνης* ἀδύτων.

* al. θαλάμων.

hoc eſt,

Pauſaniam Anchiti natum, Phœbíque nepotem,
Clarũ aluit medicũ patria clara Gela.
Qui multos diris homines languoribus ægros
Eripuit furnis Perſephones thalamis.

Ἄπνουν igitur Heraclitus tale quiddam eſſe ait, quod triginta dies corpus abſque ſtrepitu integrum, incorruptúmque ſeruaret. Vnde illum & medicum & vatem dixit, vt ex eius verſibus patet, quibus incolas ampli Agrigenti ſaluere iubet, à quibus & deum ſe credi vult, diuinóſq; ſibi petit honores. Verſus autẽ ſic ſe ferè habent.

Ὦ φίλ

Ὦ φίλοι οἳ μέγα ἄστυ κατὰ ξανθοῦ Ἀκρά-
γαντος
Ναίετ' ἄκρα πόλεως ἀγαθῶν μελεδήμονες
ἔργων
Καίρετ' ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι
θνητὸς
Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμημένος, ὥσπερ
ἔοικε,
Ταινίαις τε περίστεπτος στέφεσί τε θαλείοις
Τοῖσιν ἅμ' εὖτ' ἂν ἵκωμαι ἐς ἄστεα τηλε-
θόωντα
Ανδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ σεβίζομαι, οἱ δ' ἅμ'
ἕπονται
Μύριοι, ἐξερέοντες ὅπῃ πρὸς κέρδος ἀταρπὸς
Ἢ δὲ μαντοσυνέων κεχρημένοι, οἱ δ' ἔτι νούσων
Παντοίων ἐπύθοντο κλύειν δυσικέα βάξιν.

hoc est,

Vrbẽ qui flaui ad ripas Acragantis amici
Incolitis magnã, res & curatis honestas,
Saluete immortalis ego cõuersor apud
vos,
Vt par est, deus, & tali me dignor ho-
nore
Formosis vinctus vittis roseisq; corollis.
Quis quando egregias veniam comita-
tus ad vrbes,
Mulieribus maribusq; calor, comitésq;
sequentur

Innum

Innumeri, ad lucrum quos ardens semita ducit,
Quique prophetiam exercent, qui dicere morbi
Omnigeni curam cupiunt artésque salubres.

Amplum verò Agrigentum dixisse ferũt, quòd in illa octingenta hominum milia inhabitarent. Vnde & Empedoclem illis deliciis vacãtibus dixisse, Agrigentini deliciis quidem ita quotidie se dedunt, ac si postridie morituri: domos verò ita ædificant, quasi perpetuò victuri. Eas verò ipsas expiationes in vnum corpus coëgisse fertur Cleomenes coarceruator, quemadmodum & Phauorinus in commemorationibus ait. Fuisse verò eum in primis liberum atque ab omni imperandi fastu remotissimum Aristoteles tradit, siquidem & regnum cùm sibi offerretur constanter renuit, sicuti Zanthus in illius laudibus meminit, simplicitatem vitę quàm regum delicias charius amplectens, eadem & Timæus refert, causam simul adiiciens cur ita popularis fuerit. Inuitatus enim fuerat à quodam ex principibus, ac procedente conuiuio cœna non inferebatur. Tacentibus aliis indignè ille ferens inferri iussit,

iuſsit. Qui verò illum inuitarat præſtolari ſe curiæ miniſtrũ dixit. Vbi verò ille aduenit, conuiuij princeps conſtitutus eſt, id nimirum agente eo qui illum vocauerat, tũ ille tyrannidis initia haud obſcura præ ſe ferens, iubebat aut bibere, aut in caput effundi merum. Tunc igitur Empedocles tacuit. Poſtridie verò coacto iudicio damnauit vtrunq;, ac peremit inuitatorem & conuiuij principẽ. Iſtud enim eius reipublicæ tractãdæ initium fuit. Rurſus Acrone medico locum ſibi ad conſtruendũ paternum monumentũ à ſenatu poſtulante, quòd inter medicos arte præcipuè excelleret, in mediũ ſurrexit Empedocles, ac fieri prohibuit, atq; inter cætera quæ de æqualitate diſſeruit, ita illũ rogare cœpit, cuiuſmodi monumento incidemus elogiũ? Num hoc?

Ακρον ἰητρὸν ἄκρων' Ακραγαντῖνον πατρὸς ἄκρυ

Ακροτάτης κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος. hoc eſt,

Acronem ſummum medicum ex Agragante profectum

Qui ſummo in patriæ culmine habet tumulum.

Quidam autem ſecũdum verſum ita pronunciant:

Ακροτάτης κορυφῆς τύμβος ἄκρος κατέχει.
hoc est,
Vertisis excelsi celsa sepulcra tenent.
Hoc quidem Simonidis esse tradiderunt. Postea verò Empedocles & mille hominum cœtum antiquauit, constituto triennij magistratu, ut non solùm esset diuitum, verùm & mediocrium ac ciuilium rerum non expertium. Denique & Timæus in primo & secundo libro. (Ipsius enim sæpe mentionem facit) contrariam reipublicę tradidit putatum eum habuisse sententiam, quandoquidem iactantia & amore sui ferebatur immodicè, quippe qui in carmine se deum dixerit. Quando item ad Olympia peregrinaretur, in se cunctorum vertebat ora, vt nullius inter loquendum tanta quanta Empedoclis fieret mentio. Postremò cùm Agrigentum conderetur, obstiterunt illius instituto inimicorum nepotes, vndę in Peloponesum secessit, ibiq; obiit diē. Timæus autē ne hunc quidem pretermisit, sed ipsum mordet cùm ait, Et Empedocles forensium formator verborum quantum valuit, tantum cepit imperans, qui disposuit magistratus indigentes alijs. De illius verò obitu varia fertur opinio. Heracli-

des

des enim cum enarraſſet * de Apno, vt * τὰ πε-
Empedocles maximam ex eo gloriam ρὶ τ̃ ἄπ-
conſecutus eſſet, quòd mulierem defun- νου.
ctam viuam miſiſſet, ait, illum ſacrificium ad Piſianactis agrum feciſſe, conuocatis plerique ex amicis, inter quos & Pauſanias erat. Vbi verò conuiuio peracto alij quidem loco paululum digreſsi, alij ſub arboribus villæ ſe ad quieſcendum compoſuerunt, alij quocunque viſum eſt in loco quieuerunt, ipſe vbi accubuerat permanſit. Mane autem facto è ſomno excitis cæteris, ſolus ipſe repertus non eſt. Facta aũt diligenti inquiſitione è ſeruis qui rogabantur, vnus aſtitit qui diceret ſe nocte media ingentem audiſſe vocem Empedoclem vocantem. Tum verò vbi ſurrexiſſet, cœleſtem vidiſſe lucem & ſplendorem tedarum, nihil aliud. Illis verò in eo quod contigerat ſtupentibus, deſcendit Pauſanias vt mitteret qui quærerent. Poſtea verò prohibitus eſt curioſius quærere, dicens rem non indignam accidiſſe precibus ac diuino cultu, ibiq; veluti deo hoſtias offerri oportere. Hermippus autem illum cum Pantheam quandam Agrigentinam deſperatam à medicis curaſſet, hoſtias ob id mactaſſe.

Qui verò inuitati erant ad L X X X. ferme fuisse. Hippobotus verò illum ait vbi exurrexerat Aetnã petisse, quòd cùm peruenisset, in ignis crateres se iniecisse, ibiq; dum fidẽ cupit facere famamq; adstruere quòd deus effectus sit, ignibus consumptũ esse. postea vt sese res haberet agnitũ esse, vna ex illius crepidis vi flammæ ex intimis ad exteriora reiecta, quippe calciari solebat ære. Huic famæ Pausanias reluctabatur. Cæterùm Diodorus Ephesius de Anaximandro scribens ait illũ huius æmulum fuisse, imitando tragicam grandiloquentiam vestisq; grauitatem. Enimuero dum Selinuntios ex adiacentis fluuij fœtore pestis inuasisset, adeò, vt & ipse, & vxores partu periclitarentur excogitasse Empedoclem duos quosdam ex vicinis amnibus proprio sumptu in flumen illud immittere, vt ex cõmixtione aquæ dulcescerent, ac sedata peste epulantibus Selinuntiis, Empedoclem apparuisse, illi eo cõspecto surrexerũt, eiq; velut deo diuinos honores detulerunt. Eam de se opinionẽ firmare volentem se in ignes coniecisse. Verum hiscæ Timæus refragatur apertè asserens illum vbi in Peloponesum se recipit, nunquam omnino redisse atque ideo illius in-

cert

certum esse obitum. Heraclidi verò nomi natim cõtradicit Pisianacta Syracusanũ dicens, neq; villã Agrigenti habuisse, verùm à Pausania factum amico monumentum. Is enim huiusmodi vulgata fama, breuem statuã illi (nam diues erat) siue arã, vt deo condidit. Quonam ergo pacto, inquit, se in crateras iniecit, quorũ nullam vnquã fecit mentionẽ, & quidem cũ prope essent? Mortuus enim est in Peloponneso. Quòd si illius sepultura nõ cernitur, nihil est cur admiremur. Nãq; & aliorum multorum sepulcra ignorantur. Ista & huiusmodi Timæus refert. Verùm semper Haraclidi cõsuetudo est miracula ista confingere, qui & ex luna cecidisse hominem dicit. Porrò Hippobotus ait statuam Empedoclis opertam Agrigenti primùm stetisse, postea verò ante Romanorum curiam constitutam fuisse, Romanis eam illuc transferentibus apertam. Pictæ quidem & nunc eiusmodi quædam inueniuntur.

Neanthes verò Cyzicenus, qui & de Pythagoricis scripsit, refert Meone vita functo tyrannidis pullulare exordia cœpisse. Tum verò Empedoclem Agrigentinos induxisse, vti seditionibus omissis equalitatem ciuilem amplecterentur: multas

itidem ciuium quæ ſine dote erant ex relictis ſibi opibus adiecta dote viris tradidiſſe, atq; ideo & purpuram ſe induiſſe, & ſtrophium aureum circundediſſe. Phauorinus in commentariis autor eſt, crepidas item æreas & Delphicam ſumpſiſſe coronam. Coma item illi prolixa fuit, & pueri ſe deducẽtes, & ipſe grauis ſemper atq; in vno ſeueritatis habitu perſtitit. Eiuſmodi igitur progrediebatur, vt ciuibus ſibi occurrentibus, ac pro magno id munere habentibus, ſpecimen quoddam, & inſigne regium præ ſe ferre videretur. Poſtremò verò dum celebritatis cuiuſdã cauſa, Meſſanam curru inuectus proficiſceretur, cecidiſſe, coxámque fregiſſe. Quo etiam ex morbo defunctum eſſe ætatis anno LXXVII. eſſe item ſepulcrum eius Megaris. De ætate verò ab Ariſtotele diſſentit. Ille enim LXV. annorũ defeciſſe ait. alij centum, & nouem vixiſſe annos contendunt.

Floruit autem circa LXXX. & IIII. Olympiadem. Democritus autem Trœzenius in libro contra ſophiſtas, refert illum iuxta Homerum,

Ἀψάμενον βρόχον αἰπὺν ἀφ᾽ ὑψηλοῖο κρανέης

Αὐχέν᾽ ἀποκρεμάσαι, ψυχὴν δ᾽ ἀΐδόσδε κατελ

κατελθεῖν. hoc eſt,

Connexo ex alta laqueo ſua guttura cornu
Inſeruiſſe, anima vt tetrum penetraret ad Orcum.

In ea verò quã prædiximus Telaugis epiſtola, fertur illum ex ſenio in mare prolapſum, extinctúmque eſſe. Hæc de ipſius morte. Fertur & noſtrum in eum ex Pammetro noſtra carmen in hunc modum:

Καὶ σύ ποτ᾽ Ἐμπεδόκλεις διερῇ φλογὶ σῶμα καθήρας
Πῦρ ἀπὸ κρητήρων ἔκπιες ἀθανάτων.
Οὐκ ἐρέω δ᾽ ὅτι σαυτὸν ἔβαλλες ἐς ῥόον Αἴτνης
Ἀλλὰ λαθεῖν ἐθέλων, ἔμπεσες οὐκ ἐθέλων.

hoc eſt,

Empedocles rapida purgaſti corpora flamma,
Aeternos ignes fortiter ore trahens.
Non dicam quòd te in feruentem miſeris Aetnam,
Lapſus es at nolens, delituiſſe volẽs.

Et aliud,

Ναὶ μὴν Ἐμπεδοκλέα θανεῖν λόγος, ὥς ποθ᾽ ἁμάξης
Ἔκπεσε, καὶ μηρὸν κλάσατο δεξιτερόν.
Εἰ δὲ πυρὸς κρητῆρας ἐσήλατο, καὶ πίε, τὸ ζῆν

Πῶς ἄρ᾽ ἔτ᾽ ἐν Μεγάροις δέκνυτο τῦδε τάφος. hoc eſt,

Crurib⁹ Empedocles colliſis, dicit̃ eſſe
Mortuus, è curru cũ cecidiſſet humi.
Si ſe flagrãtẽ malè ſanus iecit in Aetnã,
Quomodo adhuc Megaris ſtructa ſepulcra iacent?

Timon verò ne ab eo quidem laceſſendo abſtinuit dicens, Empedoclesq; forenſium opifex carminum, & cætera. Hæc autem illi viſa ſunt ac placita, Elementa eſſe quatuor: ignem, aquam, aërem, terram amicitiamq; qua copulentur, & diſcordiam qua diſsideant. Ait autem ſic:

Ζεὺς ἀργὴς Ἥρητε φερέσβιος, ἠδ᾽ ἀϊδωνεὺς
Νῆστις θ᾽ ἣ δακρύοις ἰκπιμοῖ ὄμμα βρότειον.
hoc eſt,

Iupiter albus, & alma ſoror Iuno, atq; potens Dis,
Et Neſtis lacrymis hominum quæ lumina complet.

Iouem ignem, Iunonem terrã, Aidoneum aërem, Neſtin aquam dicens, & hæc ait aſsiduas verſare vices, deſinere nuſquam. Eſtq; ęternus iuxta illum hic rerum ordo. Denique infert:

Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν᾽ εἰς ἓν ἅπαντα,

Ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει. id est,

Nonnunquam connectit amor simul omnia, rursus

Nonnunquam seiuncta iubet contentio ferri.

Solem ait ignis ingentē * massam, lunaq; maiorē, lunamq; disci habere similitudinem. Cœlū ipsum crystalli obtinere speciem, & animam, & omnigenum animalium atq; arborū species indui, ait nempe, *ἄθροισμα.

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε κόρη τε
Θάμνος τ' οἰωνός, τε γ' ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος ἰχθύς.
hoc est,

Nam, memini, fueram quondam puer atque puella,

Plantáque, & ignitus piscis, pernixque volucris.

Quæ igitur ille de natura deq; expiationibus scripsit, ad quinque millia versuum pertingunt: quæ verò de medicina, ad sexcentos. De tragœdiis suprà iam diximus.

EPICHARMVS COVS.

EPicharmus Elothalis filius, Cous, & ipse Pythagoræ auditor fuit. Trimestris verò cùm esset è Sicilia profectus, peruenit Megara, inde contendit Syracusas, vt & ipse in suis testatur libris. Eius

ſtatuæ eiuſmodi carmen inſcriptum eſt:

Ὅτ' εἰ παραλλάσσει φαέθων μέγας ἄλιος ἄστρων
Καὶ πόντος ποταμῶν μείζον' ἔχει δύναμιν.
Φημὶ τοσοῦτον ἐγὼ σοφίᾳ προέχειν Ἐπίχαρμον
Ὃν πατρὶς ἐστεφάνωσ' ἅδε Συρηκοσίων.

hoc eſt,

Quantum ſol vincit ſublimis ſydera cœli,
Quãto vis pelago maior ineſt fluuiis.
Tantum ego profiteor ſophia præſtare Epicharmum,
Cui Syracuſa comis patria ſerta dedit.

Commentaria reliquit in quibus de natura rerum, de ſententiis, de medicina diſſeruit. Notáſque breues commentariorum locis appoſuit, quibus apertè indicat ab ſe elaborata opuſcula. Obiit anno ætatis nonageſimo.

ARCHYTAS TARENTINVS.

Archytas Mneſagoræ, ſiue vt Ariſtoxenus ait Heſtiei filius Tarentinus Pythagoricus nobiliſsimus fuit. Hic Platonem cùm à Dionyſio necãdus eſſet, per epiſtolam eripuit. Admirationi ſummæ apud plurimos habitus eſt in omni virtutis genere. Nam ſepties ciuibus præfectus eſt,

est,cùm cæteri plus quàm annũ imperare lege prohiberentur. Ad hunc Plato scribit epistolas binas, quòd is ad eum prior scripsisset, in hunc modum:

ARCHITAS PLATONI S.

FACIS tu quidem rectè quòd nobis te conualuisse ex ægritudine significaris: de Damisco item certiores feceris. De cõmentariis autem curauimus, venimúsque ad Lucanos, ibiq; cõuenimus Occelli nepotes. Quæ igitur de regno, legibus, iustitia, omniumq; generatione, & ipsi habemus, & ex his quædam misimus. Reliqua modò reperiri non possunt, cùm inuenta fuerint, ad te deferentur.

In hunc modum Archytas. Plato autem ita rescripsit:

PLATO ARCHYTAE S.

QVAE abs te nobis allata sunt commentaria, dici non potest quàm libenter accepimus, quiq; illa scripsit, in primis admirati sumus. Ostendit enim profectò vir ille dignũ se maioribus illis suis antiquissimis atque optimis viris. Feruntur autem isti viri Myræi fuisse. Hi autẽ ex illis fuere Troianis, qui cum Laomedonte migrarunt, viri boni, vt de illis tradita significãt. Quæ apud me sunt commentaria, de quibus

bus ſcripſiſti,nōdum ſatis elucubrata ſunt, neque vnquam ſatis erunt, ea tamen miſi. De cuſtodia verò ambo conſentimus. Nihil itaque adhortatione opus eſt. Vale.

In hunc modum illi ad ſe inuicem ſcripſerunt. Porrò Archytæ quatuor fuere: Primus hic ipſe, Secundus, Mitylenæus muſicus, Tertius, qui de agricultura ſcripſit, Quartus,poëta epigrammatũ, Quintum, plerique addunt architectum, cuius proferunt librum de machina, cuius iſtud initiũ eſt, Hæc de Teucro Carthaginienſi audiui, De muſico autem dicitur, quòd cùm probro ſibi daretur, quòd non exaudiretur, dixerit, organũ verò pro me pugnans loquitur. Pythagoricum verò Ariſtoxenus refert cum exercitui præeſſet, nunquam fuiſſe ſuperatum.Semel autem dum inuidiæ cederet, ſeſe imperio abdicaſſe, móxque exercitum in ius hoſtium cōceſsiſſe. Primus hic mechanica mechanicis principiis vſus expoſuit, primúsque motum organicum deſcriptioni geometricæ admouit,ex dimidij cylindri ſectione duas medias ſecundum proportionem ſumere quærens, ad cubi publicationem: hic in geometria cubum primus, vt Plato in Republica teſtatur, inuenit.

ALCMAEON CROTONIATA.

ALcmæon Crotoniates,& Pythagoræ auditor fuit,vt plurimũ verò in medicina versatur: plerunque item de natura disputat, dicens,multas humanarũ rerum causas. Videtur autẽ primus de naturæ ratione scripsisse, vt Phauorinus in omnimoda tradit historia, lunamq; hãc sempiternam habere naturam dixit. Fuit autem Pirithi filius, sicut & ipse in principio sui operis testatur. Alcimæõ Crotoniates hæc ait Pirithi filius Brotino & Leoni, & Bathyllo. De inuisibilibus,de immortalibus rebus, manifestam quidem scientiam habent dij,quantum verò coniicere hominibus licet,&c. Animam verò immortalem dixit,mouerió; perpetuò instar solis.

HIPPASVS METAPONTINVS.

HIppasus Matapontinus,& ipse Pythagoricus fuit. Ait autem definitum esse, tempus esse mundi mutationis, finitumq; hoc vniuersum esse ac semper moueri. Demetrius autem in æquiuocis refert illum nullum opus reliquisse. Fuerũt autem Hippasi duo, hic, & qui Lacedæmoniorum Rempu. quinque libris compreh

prehendit. Erat autem & ipſe Lacon.

PHILOLAVS.

PHilolaus Crotoniata Pythagoricus, & ipſe fuit. Ab hoc Pythagoricos libros emendos vt curaret, Dioni ſcribit Plato. Moritur autem ſuſpectus quòd tyrannidem inuadere moliretur. Noſtrum eſt in ipſum epigramma hoc,

Τὴν ὑπόνοιαν πᾶσι μάλιστα λέγω θεραπεύειν
Εἰ γὰρ καὶ μὴ δρᾷς, ἀλλὰ δοκεῖς, ἀτυχεῖς.
Οὕτω καὶ Φιλόλαον ἀνεῖλε Κρότων ποτὲ πάτρη
ὥς μιν ἔδοξε θέλειν δῶμα τύραννον ἔχειν.

hoc eſt,

Suſpicio haud res eſt minimi, mihi crede, pericli,
Non pecces quicquã, ſi videare facis.
Sic Philolaë Croton te patria perdidit olim,
Te arbitrata trucem velle tyrannum agere.

Opinatur autem omnia harmonia, ac neceſsitate fieri, terram iuxta primum circulum moueri dicit. Alij Hicetam Syracuſanum id ſenſiſſe affirmãt. Scripſit autem librum in quo illum Hermippus quempiam ſcriptorem dixiſſe refert Platonem,

philo-

philoſophū cum in Siciliā ad Dionyſium profectus eſſet, emiſſe à Philolai conſanguineis argenti minas Alexandrinas quadraginta, atq; inde tranſcripſiſſe Timæū. Alij Platonem dicunt hæc à Dionyſio accepiſſe, reluctantē licet abductum ex carcere adoleſcentem ex Philolai diſcipulis.

Demetrius in homonymis Pythagorica de natura rerum hunc primū edidiſſe teſtatur, quorum eſt initium, In mundo natura coacta eſt ex infinitis ac finitis, mundusq; totus, & quæ ſunt in ipſo omnia.

EVDOXVS.

EVdoxus Aeſchini filius, Cuidius, Aſtrologus, geometra, medicus, ac legumlator fuit. Geometriā quidem ab Archita didicit. In medicina verò Philiſtione Siculo præceptore vſus eſt, vt Callimachus in tabulis. Porrò Sotion in ſucceſsionibus, Platonis quoque auditorem fuiſſe ſcribit. Nam cùm annum vigeſimū tertium ætatis ageret, ſummoq; inter paupertatis anguſtias diſcēdi ſtudio flagraret, Socraticorum gloria percitum Athenas cōtendiſſe cum Theomedunte medico, à quo & nutriri ſolitum, nec defuerunt qui dicerent ipſius delicias fuiſſe. Deuectus autē in Piræum Athenas quotidie aſcendebat, ibiq; cùm

cùm Sophiſtas audiſſet, ad portum regrediebatur. Duos autẽ ibi menſes moratus domũ reuertitur. Vnde rurſus amicorum largitate ſuffultus in Aegyptũ cum Chryſippo medico profectus eſt, commendatitias ab Ageſilao literas ad Nectanabin ferens, à quo & ſacerdotibus commendatus eſt. Ibi annũ vnum & menſes quatuor moratus mento attonſo atq; ſupercilio, octo annorum hiſtoriam, ſecundum quoſdam, conſcripſit. Inde iam Cyzici atq; in Propontide Phantus Mauſolum itidem viſere voluit. Tum verò Athenas rediit habẽs ſecum diſcipulos plurimos, contriſtandi, vt quidam volunt, Platonis gratia, quòd is ab initio illum ab ſe dimiſerat. Sunt qui dicant conuiuiũ Platoni celebranti ipſum adſtantibus plurimis, hemicyclium in accubitũ introduxiſſe. Enimuerò Nicomachus Ariſtotelis filius illũ ait voluptatem bonum dicere. Exceptus autem in patria magno cum honore eſt, cuius rei indicio eſt honorificum de illo factum decretum. Apud Græcos quoque clariſsimus fuit, ciuibusq; ſuis leges conſcripſit, vt Hermippus in IIII. de ſeptem ſapientibus libro refert. Scripſit autem de aſtrologia & de geometria, & de aliis quibuſdam inſignia

opuſc

opuſcula. Tres autem habuit filias, Actidē, Philtidem, Delphidem. Refert Eratoſthenes in libris ad Hecatonem, ipſum & Cyniaorum dialogos compoſuiſſe, alij Ægyptios lingua ſua illos conſcripſiſſe. Hunc verò traductos Græcis edidiſſe tradūt. Eius Chryſippus Erinei filius Cnidius auditor fuit, in his quæ de diis, de mundo, de cœleſtibus docentur. In medicina verò Philiſtione Siculo præceptore vſus eſt. Reliquit autem commentaria pulcherrima & eruditionis plena. Huius filius Ariſtagoras fuit, cuius Chryſippus Aethlij diſcipulus fuit, cuius feruntur modi illi ad videndas ſpeculationes naturales quæ in mentem eius venerant accommodati. Fuerunt autem Eudoxi tres: Primus hic ipſe: Secundus Rhodus hiſtoriarum ſcriptor: Tertius Siculus Agathoclis filius, poeta comicus, qui ter vrbana vicit certamina, quinquiéſque Lenaica, vt Apollodorus in chronicis ait. Inuenimus & alium medicum Cnidiū, quem ait Eudoxus in terræ ambitu, ſemper admonere ſolitum articulos continua agitatione exercendos, ſenſuſq; ſimiliter. Idem verò refert Eudoxum Cnidium circa centeſimam & tertiam olympiadem claruiſſe, atque lineas curuas reperiſſe.

Moritur autem tertium & quinquagesimum agens annum. Cùm verò adhuc in Ægypto moraretur cùm Iconuphy Heliopolitano Apis illius pallium lingere visus est. Celebrem ergo illum fore nec longæuum ex eo ostento sacerdotes dixere, vt Phauorinus in commentariis refert. Sic autem se habet carmen quod in eum scripsimus:

Ἐν Μέμφει λόγος ἐστὶ προμαθεῖν τὴν ἰδίην Εὔδοξον ποτὲ μοῖραν, παρὰ τοῦ καλλικέρω ταύρου. κ' οὐδὲν ἔλεξε· βοὶ γὰρ πόθεν λόγος; φύσις οὐκ ἔδωκεν μόσχῳ λάλον Ἄπιδι στόμα. παρὰ δ' αὐτὸν λέχριος στὰς ἐλιχμήσατο στολὴν, προφανῶς τοῦτο διδάσκων ἀποδύσῃ βιοτὴν ὅσον οὔπω. διὸ καὶ οἱ ταχέως ἦλθε μόρος, δεκάκις πέντε ἐπὶ τρεῖς ἀσιδόντι πλειάδας. hoc ést,

Fama est Eudoxùm quondam in Memphi fatum suum sciscitatum, à pulchrè cornuto boue. Neque illi respondit quicquam. Nam vnde sermo boui contigisset? Siquidem Apidi vitulo os loquax non dedit natura, verùm obliquus cùm staret, vestem lambebat, hoc apertè innuens, illum propediem vita excessurum: quare & breui postea mors hominem inuasit, cùm nimirum decies quinque super tres vixisset annos Hunc pro Eudoxo ἔνδοξον ob famę

clarit

claritatem gloriamq; appellabant. Quoniam ergo de nobilibus Pythagoricis diximus, nunc iam sparsim, vt aiunt, de claris quibusdam philosophis loquamur, ac primùm de Heraclito dicendùm.

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHORVM VITA, LIBER IX.

HERACLITVS EPHESIVS.



ERACLITVS Blysonis, siue vt quidam volunt, Herationtis filius Ephesius, circa LXIX. olympiadem clarus est habitus. Fuit autem vltra cæteros alto animo & cõtemnente omnes, vt ex ipso eius opere ostenditur, vbi ait, Multa peritia mentem non decet. Hesiodum siquidem docuit & Pythagoram, rursusq; Xenophontem atq; Hecatæum. Nã licere scire sapientem sententiã qua gubernãtur omnia per omnia. Homerumq; dicebat dignum qui ex certaminibus eiiceretur, colaphisq; cæderetur, Archilochumq; similiter. Dicebat

bat autem & iniuriam extinguere oportere magis quàm incendium, plebémque pro lege non secus ac pro muro pugnare. Acriter autem Ephesios carpit, quòd amicum suum Hermodorum eiecerāt, dicens: Merentur Ephesij omnes adulti mori, impuberibúsque vrbem derelinquere, quoniam Hermodorum sui præstantissimum expulerunt, dicentes, nostrum nemo inæqualis sit, quoniam si quis erit talis, alibiq; & cum aliis. Cùm autem rogaretur à ciuibus vt leges eis poneret, contempsit, quòd iam ciuitas pessima consuetudine imbuta esset. Secedens verò ad phanum Dianæ cum filiis ludebat. Circunstantibus autem Ephesiis, quid, inquit, miramini ò perditi, non'ne præstat isthuc facere, quàm vobiscum Rempub. administrare: tandem hominum odio secessit, vitamq; in montibus ducebat, olera ac herbas comedens. Atqui ob eam causam morbo aquæ intercutis arreptus ad vrbem descendit, medicosq; per ænigmata sciscitabatur, an possent ex imbre siccitatem facere. Illis non intelligentibus, seipsum boum stabulo includens, & fimo bubulo obruens; eo calore arbitrabatur noxium ac exundantem humorem exhauriri posse. Vbi verò ne

sic quid

ſic quidem aliquid proficere conſpexerat, moritur LX. ætatis agens annum: eſtq; in ipſum noſtrum ſic habens epigramma,

πολλάκις Ἡράκλειτον ἐθαύμασα, πῶς ποτὲ τὸ ζῆν
ὧδε διαντλήσας δύσμορος, εἶτ' ἔθανεν.
Σῶμα δ' ἀρδεύσασα κακὴ νόσος ὕδατι, φέγγος
ἔσβεσεν ἐκ βλεφάρων, καὶ σκότον ἠγάγετο. hoc eſt,

Mecum ego Heraclitum mirabar ſæpe, quòd olim
Sic vitã infelix hauſit, & inde obiit.
Nam malus oſſa rigans, & aquoſus corpora languor
Extincto inuexit lumine mox tenebras.

Hermippus autem refert illum medicis dixiſſe, Num poſsit quiſpiam preſsis inteſtinis humorem exhaurire, negantibus autem ſeipſum ſolis obieciſſe radiis, ac iuſſiſſe pueris boum fimo ſe oblinere, eo calore maceratum poſtridie obiiſſe diem, ſepultumq; in foro fuiſſe. Neanthes verò Cyzicenus ait, illum fimo bubulo cùm ſe eximere non poſſet, ita perſtitiſſe, atque ob eam mutationem ignotum à canibus diſcerptum eſſe. Fuit autem à puero non

paruæ admirationi, & cùm esset iuuenis, nihil se dicebat scire. Vbi verò ad virilitatis annos euaserat, nihil ignorare. Neminem quidem audiuit, verùm semet inuestigandæ veritati dedisse, omniaq; ex semetipso didicisse ait. Sotion autem quosdam dixisse refert Xenophanis illum fuisse auditorem, Aristonemq; in libro de Heraclito dicere, aquæ intercutis illum curatum ægritudine, morbo alio vitam finisse. Ei opinioni & Hippobotus accedit. Eius verò qui legitur liber, generaliter quidē de natura est, cæterum treis in partes scinditur. Nanque & de vniuerso, & de Repu. & de theologia disserit. Illum verò in templo Dianæ deposuit, vt quidam putant de industria obscurius scriptum, vt soli eruditi illum legerent, ne si à vulgo paßim legeretur, contemptibilis esset. Hunc verò & Timon descripsit, appellans maledicum & turbæ infestum, Theophrastus illum atra bile laborantem, alia semiperfecta, alia aliter scripsisse refert. Eius alti animi signum Antisthenes in succeßionibus id asserit, quòd fratri concesserit regnum. Tantum verò gloriæ promeruit ipsius liber, vt sectatores habuerit qui appellarentur Heracliti. Sunt autem ista quæ illi summatim

matim visa sunt: Ex igne cuncta constare in eumq; resolui omnia. Fato omnia fieri, & ex conuersione contraria quæ sint, omnia congruere & cooptari. Animarum item & dæmonum plena esse omnia. Dixit & de his quæ in mundo contingunt variis mutationibus ista: Solis eã esse magnitudinem quæ cernitur oculis. Dicitur & id de animæ sensisse natura, nunquam illam reperiri posse, quantalibet quis viæ conficiat spatia, adeò profundam eius esse rationem. Opinionem siue æstimationem sacrum morbum appellabat, aspectumq; mentiri. Lucidè quidem interdum & apertè in suo opere loquitur, & vt tardisimo cuique facilis ad intelligendum sit. Breuitas quoque & interpretationis grauitas incomparabilis est. Iam verò per partes digesta sic se habent eius decreta. Ignem elementum esse dicit, ignisq; vicissitudinem tum raritate, tum densitate constare, quæ fiunt omnia. Apertè verò nihil explicat, fieriq; omnia per contrarietatem, & fluminis in morem vniuersa decurrere, finitumq; esse hoc vniuersum, & vnum esse mundum, eumq; ex igne nasci, & rursus per quosdam ambitus per vices hoc omne seculum ignescere. Id autem fato fieri.

Ex his verò quæ cõtraria ſunt, id quidem quod ad generationẽ adducat vocari bellum & contentionem: quod autem ad incenſionẽ, concordiã & pacem. Mutationẽ quoq; viã eſſe ſupra infraq; ducentẽ, ſecũdum quam fieri mũdum arbitratur. Denſatum quippe ignem liqueſcere, conſtantemq; aquam fieri, cõcretam verò aquam in humum verti, idq; inter inferiora adeſſe. Humũ ipſam denuo effundi, atque ex ea fieri humorem. Ex eo autem reliqua ferme omnia, ad euaporationem eam referens quæ ex mari fit, ipſamq; ad ſuperiora viam eſſe. Porrò euaporationes ex terra fieri & mari, alias quidem perſpicuas & liquidas, alias verò tenebroſas. A' liquidioribus ignem, à reliquis humorem incrementa capere. Aërem verò cuiuſmodi ſit non ſignificat, eſſe tamen ſcaphas per concauum ad nos conuerſas, in quibus conuenientes euaporationes liquidas reddere flammas quæ ſint ſydera dicit. Eſſe autem lucidiſsimam calidiſsimamq; ſolis flammam, nanque aſtra cætera remotiora eſſe, neque adeò terræ vicina, atq; ideo minus lucere minusq; calefacere. Lunam quæ terræ vicinior ſit, nõ per liquidum locum deferri.

deferri. Solem in suo splendore, nulli admixtioni obnoxium durare, certis à nobis spatiis mensurisq; distantem. Ex eo igitur magis calescere, atque illustrare. Deficere item solem ac lunam cùm scaphæ ad superiora vertuntur, menstruasq; figuras lunæ fieri, dum in illam sensim vertitur scapha. Diem item ac noctem & menses & annos anniq; statuta tempora, pluuias & ventos & his similia secundum euaporationes varias fieri. Nam liquidam euaporationẽ in solis circulo inflammatá diem facere, contrariam verò vbi obtinuerit efficere noctem, atque ex lumine calorem augeri, æstatemq; perficere, ex tenebris humorem abundare, vnde hyems oriatur. In hunc modum & de causis cæteris disputat. Enimuero de terra cuiusmodi sit, penitus tacet, ac de scaphis. Itidem ista eius dogmata fuere. Porrò quod ad Socratem attinet, quæ nam eius de illo sententia fuerit, cùm eius legisset librum ab Euripide sibi delatum, vt Ariston ait, diximus cùm de Socrate loqueremur. Seleucus tamen grammaticus ait Crotoniatem quendam, in eo, quem Catacolymbitem inscripsit libro, tradere Cratem quendam hunc li-

brum primo Græcis inuexiſſe, ac dixiſſe, librum ipſum Delio aliquo indigere natatore, qui in illo non ſuffocaretur. Inſcribunt illum plerique muſas, alij, de natura. Diodorus verò, gubernaculum exploratũ certumq́; ad libram vitæ, quidam ſententiam morum, vnius omnium inſtituti ornamentum. Aiunt illum cùm rogaretur, cur taceret, dixiſſe vt vos loquamini. Eius frui contubernio & Darius optauit, ſcripſitq́; ad illum ita:

REX DARIVS HISTAPIS FIlius Heraclitum Epheſium ſapientem virum ſalutat.

LIBRVM de natura ſcripſiſti obſcurum, difficilemq́; in pleriſq́;, qui ſi ad verbum exponatur, vim quandam ſpeculationis continere videtur, mundi totius, & quę in eo fiunt omnium, quæ quidem ſunt in diuino motu cõſtituta, in quibus plurimi hæſerunt, adeò vt & qui complura legerũt ambigant, cùm recta abs te narratio conſcripta videatur. Rex igitur Darius Hiſtapſis filius auditor eſſe tuus cupit, participsq́; Græcæ eruditionis fieri. Venias itaque quàm primùm ad cõſpectum meum ac regiam domum. Græci enim vt plurimum ſapientibus viris obſeruandis minus

dediti, aspernantur ea quæ ab his rectè fuerint elucubrata, tametsi eiusmodi sint vt eruditione & grauitate non careant.

Apud me autem aderit tibi omnis honor, priuatúsque omnis, quotidiéque solicita obseruatio, & grata collocutio, vitaq; tuis moribus probabilis. Vale. His ille ita respondit:

HERACLITVS EPHESIVS
Regi Dario Histapis
filio s.

QVOTQVOT mortales in terris viuunt à veritate ac iustitia abstinent, auaritiæ autem & inani gloriæ inexplebiliter intendunt, perditæ dementiæ caussa. Ego autem omnis immemor nequitiæ, fastidiumq; deuitans omnis inuidiæ, domesticæ, quæ splendorem comitari solet, nunquam in Persarum solum aduenirem paucis contentus, quæ sunt secundũ meam sententiam. Huiusmodi ille & aduersus regẽ fuit. Demetrius autẽ in æquiuocis ipsum & Athenienses aspernatum ait, apud quos magna de illo erat opinio, & cum Ephesiis esset cõtemptui, nusquã alibi maluisse cõuersari. Meminit illius Demetrius quoque Phalereus in Socratis defensione, plurim

pluriniiq; fuere qui illius exponerent librum, quippe & Antisthenes & Heraclides Pontic. & Sphærus Stoic. Pausanias præterea qui ἡρακλειτιστὴς appellatus est. Nicomedes quoque ac Dionysius, & ex grammaticis Diodorus, qui opus illud non de natura, sed de rep. dixit disserere. Nam quæ de natura disserit, in exempli speciem inserta illic esse. Hieronymus autem Scythinum quendam iamborum poëtam in illius librum metro iocari, illumq; euertere, dixit. Multa autem epigrammata in ipsum feruntur, cuiusmodi sunt hæc:

Ἡράκλειτος ἐγὼ, τί μ' ὧν κάτω ἕλκετ' ἄμουσοι;
Οὐχ ὑμῖν ἐπόνουν, τοῖς δ' μ' ἐπισταμένοις.
Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι, οἱ δ' ἀνάριθμοι
Οὐδεὶς ταῦτ'. αὐδῶ καὶ παρὰ Περσεφόνῃ.

hoc est,

Sum Heraclitus ego, quid me vexatis inepti?
Non vos, sed doctos tam graue quærit opus.
Vnus homo est nobis id quod ter mille, sed vnus
Vix sunt innumeri, & manibus hæc recito.

Item

Item aliud in hanc sententiam,

Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτου ἐπ' ὀμφαλὸν εἴλει βίβλον

Τοὐφεσίου· μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός,

Ὄρφνη καὶ σκότος ἐστὶν ἀλάμπετον· ἢν δέ σε μύστης

Εἰσαγάγῃ, φανεροῦ λαμπρότερ' ἠελίου.

hoc est,

Noli Heraclitũ rabido pcurrere cursu,
Est via difficilis, luce papyrus eget.
In sua si doctus te duxerit atria vates,
Cuncta videbuntur lucidiora die.

Quinq; autem Heracliti fuere. Primus hic ipse. Secundus poëta lyricus cuius est illa duodecim deorum laus. Tertius elegiæ poëta Halicarnasseus, in quem Callimachus sic scripsit,

Εἶπέ τις, Ἡράκλειτε, τεὸν μόρον, ἐς δέ με δάκρυ

Ἤγαγεν, ἐμνήσθην δ' ὁσσάκις ἀμφότεροι

Ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν, ἀλλὰ σὺ μέν που

Ξεῖν' Ἁλικαρνασσεῦ τετράπαλαι σποδιή.

Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ᾗσιν ὁ πάντων

Ἁρπακτὴς Ἀίδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.

hoc est,

Heraclite mihi quidã tua funera dixit,

Et

Et subitò lacrymis immaduere genę.
Cùm memini longos quoties consumpsimus ambo
Soles, miscentes seria multa iocis.
Puluis at es tenuis nunc hospes, sed tua musa
Viuit, Plutonis nec timet illa manus.

Quartus Lesbius qui Macedonum scripsit historiam. Quintus ex industria * ridiculus, qui ex cytharę pulsu transiui ad speciē.

* σπουδογέλοιος.

XENOPHANES.

Xenophanes Dexij, siue vt Apollodorus ait, Orthomenis filius Colophonius, à Timone laudatur, vbi ait:

Ξεινοφάνην ὑπάτυφον, ὁμηροπάτην, ἐπικόπτην. hoc est,

Xenophanem subacerbum, & Homeri nobile flagrum.

Pulsus autem patria in Zancla Siciliæ moratus est, atq; Catanæ. Sunt qui neminem audisse dicāt, neq; desunt qui Botonis Atheniensis auditorem fuisse asseuerent. Alij Archelaum audisse, atq; vt Sotion ait, Anaximandri ætate vixit. Scripsit autem versus, elegias & iambos contra Hesiodū atq; Homerum, subsannans ea quæ de Diis dixere, ipse quoq; sua * resarciebat poëmata. Thaletis ac Pythagoræ opinionibus cōtrar

* ἐρραψῴδει.

traria sensisse fertur, Epimenidemq; suggillasse. Fuit autem & longæuus maximè, sicuti & ipse quodam in loco testatur, dicens septuaginta septem annos se à patria peregrinatum esse, cùm tum viginti quinque esset annorum. Ait autẽ quatuor esse omnium rerum elementa infinitosq; mundos, neq; variabiles, nubes consistere cùm solis vapor sursum fertur, easq; in aërem cogi. Dei substantiam rotundam esse, & globosam, nihilq; cum hominibus habere commune, totum cernere, totumq; audire, non tamen respirare, simulq; esse omnia, mentem, prudentiam, æternitatẽ. Primúsque definiuit omne quod fiat corruptioni obnoxium esse. Animamq; esse spiritum ait, & plurima deteriora mente esse. Tyrãnis congrediendum aut minimè aut suauissimé. Empedocle autem dicente, difficile inueniri iuuenem posse sapientem, recté inquit. Nam sapiens sit necesse est, qui norit explorare sapientẽ. Omnia in cõprehensibilia esse primum hunc dixisse, Sotion autor est, sed fallitur. Scripsit autem de Colophonis conditione, & de Italica in Eleam colonia versus ad duo millia. Claruit circa sexagesimã olympiadem. Refert Demetrius Phalereus in libro de senectu-

te,

te. Panetiusq; Stoicus in libro de tranquillitate filios illum suos propriis sepelisse manibus, sicuti & Anaxagoram. Videtur autem à Pythagoricis Parmenisco & Orestade, vt Phauorinus in primo commentariorum ait, defecisse. Fuit autem & alius Xenophanes poëta Iambicus ex Lesbo. Atque hi quidem quos commemorauimus sparsim.

PARMENIDES.

PArmenides Pyretis filius, Eleates, Xenophanis auditor fuit, tametsi eũ Theophrastus in epitome Anaximandrum audisse tradat. Licet autem Xenophanis auditor fuerit, secutus tamen illum non est, adiunctus est & Ameniæ & Diochætæ Pythagorico, vt Sotion ait, pauperi illi quidem, sed honesto sanè viro ac bono, quem etiã ob hoc potius secutus est, ac vita functo sacellum ædificauit. Cùm & genere & opibus illustris esset, tamen ab Amenia non à Xenophane ad quietã vitam inductus est. Primus hic terram globosam dixit, ac rotundam, & in medio sitam. Duoq; esse elementa, ignem & terram, illum opificis, hãc materiæ tenere ordinem. Generationem item hominum ex sole primum esse ortam. Solem ipsum calidum esse atq; frigidum.

dum,ex quibus constāt omnia. Animam ac mentem idem esse, sicuti & Theophrastus in physicis meminit,cùm ferè omniū opiniones exponeret. Vnde quodā in loco ait:

-Χρέω δὲ σε πάντα πυθέσθαι
Ἠμὲν ἀληθείης εὐπειθέος ἀτρεκὲς ἦτορ
Ἠδὲ βροτῶν δόξας, ταῖς οὐκ ἔνι πίστις ἀληθής. i.
-Velim simul omnia noscas
Aut verum simplex, & pectore semper aperto,
Aut malè constantis laudem, & suffragia vulgi.

Philosophiam & ipse carmine expresit, quemadmodum Hesiodus, & Xenophanes,atq; Empedocles. Iudiciū rationis esse dixit, sensusq; minus esse exactos & idoneos ad iudicandum.ait enim:

Μή σε θεὸς πολύπειρον ὁδὸν κατὰ τήνδε βιάσθω,
Νωμᾶν ἄσκοπον ὄμμα, καὶ ἠχήεσσαν ἀκουὴν,
Καὶ γλῶσσαν, κρῖναι δὲ λόγῳ πολύδηριν ἔλεγχον. hoc est,
Nec tibi cōmunis sensus psuadeat vnquā
Quicquam vt fallaces oculi, aut vt iudicet auris,
Aut lingua, at ratio dirimat discrimina rerum.

Quamobrem & Timon de eo ait:

παρμενίδου τε βίην μεγαλόφρονα, τὴν πολύ-
δοξον,
Ος ῥ᾽ ἐπὶ φαντασίας ἀπάτης ἀνενείκατο ὤσεις.

hoc eſt,

Parmenidæ ingentes animos, viréſque potentes
Qui ſéſus vanis ſimulacris fallier inquit.

Floruit autē olympiade XCIX. primusq; animaduertiſſe videtur eundem eſſe veſperum atq; luciferum, vt Phauorinus in quinto cōmentariorum ait, alij Pythagoram dicūt. Negat Callimachus ipſius poëma eſſe. Fertur ciuibus ſuis tuliſſe leges, vt Speuſippus in libro de philoſophis ait. Huius nomine Plato dialogum inſcripſit, vocauitq; Parmenidem, ſiue de ideis. Primus itē ſermone interrogaſſe Achillem, vt Phauorinus ait in omnimoda hiſtoria. Fuit autem & alius Parmenides orator, qui artem ſcripſit oratoriam.

MELISSVS.

Meliſſus Ithegenis filius Samius, Parmenidis auditor fuit, & cum Heraclito item venit in colloquium; quo tempore illum etiam ignorantibus commendauit Epheſiis, ſicuti Democritum Hippocrates Abderitis. Fuit autem & ciuilis inprimis vis ciuibus maximè acceptus atque

char

charus. Vnde & præfectus classis magna virtutis documēta dedit. Placuit autem ei vniuersum infinitum esse & immutabile atq; immobile, & vnum, sibiipsi simile ac plenum, motumq; non esse, verum videri esse. De diis nihil definiendum dicebat, neq; enim illorum certam esse cognitionem. Floruisse circa LXXXIIII. olympiadem Apollodorus refert.

ZENO.

Zeno Eleates Pyreti, vt Apollodorus ait in chronicis, filius, Parmenidē verò natura quidem Teleutagoræ, adoptione verò Parmenidis filium dixit. De hoc atque Melisso Timon hæc ait:

Ἀμφοτερογλώσσου τε μέγα σθένος οὐκ ἀλαπαδνὸν
Ζήνωνος πλάτων, ἐπιλήπτορος ἠδὲ Μελίσσου
Πολλῶν φαντασμῶν ἐπάνω, παύρων δὲ γε ἥσσω. hoc est,

Expreſsitq; Plato vires vtriusq; periti
Linguæ Zenonis, iurgatorisq; Melisi,
Phantasias qui aluit paucas, multásque subegit.

Enimuero Zeno Parmenidis auditor ac pædica fuit. Fuit autem proceræ staturæ, quemadmodum Plato in Parmenide indicat, idemq; in Sophista ipsum Eleaticum

Parmenidem vocat. Inuentorem Dialecticæ, ſicuti & Empedoclem Rethoricæ, fuiſſe, Ariſtocles autor eſt. Fuit & in Philoſophia, & in Republ. vir ſanè nobiliſsimus. Feruntur nempe ipſius volumina ſapientiæ pleniſsima. Is cùm Nearchum tyrannum, ſeu vt alij volunt, Diomedontē deiicere ac profligare voluiſſet, comprehenſus eſt, vt in Satyri epitome ait Heraclides. Quo tempore cum de cōſciis & armis quæ in Lipara habuit, inquireretur, volens ipſum deſertum deſtitutumq; oſtendere, omnes illius amicos coniurationis eſſe conſcios dixit, deinde cùm de quibuſdam dixiſſet, quiddam ſibi ad aurem loqui velle, eam mordicus apprehenſam non antè dimiſit quàm dentibus perforaret, idē agens quod Ariſtogiton tyrannicida. Demetrius verò in æquiuocis naſum ei præſcidiſſe ait. Porrò Antiſthenes in ſucceſsionibus, illum cùm amicos indicaſſet, rogatum à tyranno, eſſet'ne alius quiſpiam, dixiſſe, tu ciuitatis pernicies, atque adſtantibus ita loquutum eſſe, admiror equidem veſtram ignauiam, ſi horum gratia quæ non ego tolero, tyranno ſeruire ſuſtinetis. Demum præciſam linguam in ora tyrāni, cōſpuiſſe ciuéſq; cōtinuo facto impetu lapidibus tyrann

rannum obruiſſe. Hæc omnes ferme ita tradiderunt. Cæterùm Hermippus illum in cauum * lapidem iniectum cōtusúmq; * ὅλμῳ. fuiſſe ait. In hunc autem nos ſic diximus:

Ἤθελες ὦ Ζήνων καλὸν, ἤθελες ἄνδρα τύ-
ραννον
Κτείνας, ἐκλῦσαι δουλοσύνας Ἐλέαν.
Ἀλλ' ἐδάμης δὴ γάρ σε λαβὼν ὁ τύραννος
ἐν ὅλμῳ
Κόψε τί τοῦτο λέγω; σῶμα γὰρ οὐχὶ δὲ σε.

hoc eſt,

Fortiter extincto voluiſti Zeno tyrāno
Triſti Eleā patriā ſeruitio excutere.
Victus es infelix ſæui tamē arte tyrāni,
Arreptum qui te contulit ære cauo.

Præclarus & in cæteris fuit Zeno, maiorumq; non ſecus atq; Heraclitus quadā animi altitudine contemptor. Nam & ipſe prius quidem Hylen, poſtea verò Eleam Phocenſium coloniam, ſuamq; patriam ciuitatem humilem, bonos tantum viros nutrire ſolitam, dilexit magis quàm Athenienſium magnificentiam, ad quos raro proficiſcebatur, domi aſsiduè commorans. Hic & Achillem primus oratione compellauit, quamuis Phauorinus Parmenidem & alios complures profert. Placet autem illi mundos eſſe plures, vacuumque non

esse.naturam omnium rerum ex calido & frigido aridoq; & humido fuisse profectá, cùm ista in alterutrum commutentur. Generationem hominum è terra esse, animámque ita ex his omnibus commixtam quæ prædiximus, vt à nullo eorum plus quàm à cæteris obtineatur. Hunc aiunt cùm maledictis ageretur, indignari solitum, causantibúsque quibusdam dixisse, si maledicta æquo animo admittam, ne laudes quidem sentiam. Octo verò fuisse Zenones, cùm de Cittico loqueremur, diximus. Floruit autem olympiadem circiter sexagesimam.

LEVCIPPVS.

Leucippus Eleates, siue vt aliis placet, Abderites, aut iuxta alios Milesius, Zenonis auditor fuit. Placebat illi infinita esse omnia, & in seipsa commutari, atque vniuersum istud inane esse plenumq; corporibus, mundosq; fieri corporibus in hoc inane incidentibus, & in se inuicē implicatis, atq; ex motu secundum illorum incrementa naturam syderum fieri. Solem in circo maiori secūdum lunam ferri, terram vehi, ac circa medium verti, figurámque illius tympano similem. Primus hic atomos principia subiecit. Summatim ista

illi

illi visa sunt, sed sunt explicanda per partes. Vniuersum quidem, vt diximus, infinitum ait. Huius partem plenã esse, partem inanem, & elementa ait, mundosq; ex eis infinitos esse, & in illa dilabi atque dissolui. Sicut autem fieri mũdos ex infinito per abscisionem, multa corpora figuris omnigena in magnum vacuum ferri, eáque in vnum coacta vnam vertiginẽ efficere, secundum quam offendere, ac circumuolui modis omnibus, atq; ita discerni, vt seorsum similia quæ sunt sui similia petant. Cæterũ æquilibra cùm ob multitudinem minimè iam circũferri posśint, exilia quidem ad exterius vacuũ contendere sic ordinante natura, cætera subsidere & innexa atq; in se implicata inuicem concurrere, atque ea concursione prius quandam * concretionem efficere rotundam. Hanc autem veluti membranã subsistere, continentẽ in se omnigena corpora, quæ dum secundum medij reluctationem circumuoluuntur tenuem per gyrum membranulam fieri iuxta vertiginis tractum corporibus perpetuis semper confluentibus, atque ita fieri terram, manentibus quæ semel in medium iniecta erãt, ipsumq; rursus continentem membranæ instar augeri

*σύστημα

iuxta externorum influentiam corporũ, & cum vertigine fertur, quæcunque attigerit ea acquirere. Ex his quædam complicata concretionem facere, primò quidem humidam ac luteam, exiccata & circumacta cum totius vertigine: deinde incensa & ignita syderum efficere naturam, esseq; solis circulum extimum. Lunæ verò terræ proximũ, cæteris in medio horum positis, ac sydera quidem omnia ob celeritatem motus ignescere, solem verò inflammari à syderibus, lunã paululum ex igne sibi vsurpare, solem lunamq; deficere, quòd terra ad meridiem vergat, quæ ad septentrionem sunt, niuibus conspergantur, & pruinis algeant, in glaciemq; concrescant. Solem quidem rarò deficere, lunam verò perpetuò, quòd sint impares eorum circuli. Enimuero vt generatio, ita & incrementa mundi esse, & diminutiones, & corruptiones ex quadã necessitate, quæ cuiusmodi sit, ipse exponit ac disserit.

DEMOCRITVS.

DEmocritus Hegistrati, siue secũdum alios, Athenocriti, vel certè Damasippi filius, siue vt alij putãt, Milesius fuit. Magos autem quosdam, & Chaldæos audiuit

diuit Xerxe Rege, patri illius præceptores, quando apud illum hoſpitatus eſt relinquente, vt etiam refert Herodotus, à quibus & Theologiā, & Aſtrologiam didicit cùm adhuc puer eſſet. Poſtea verò Leucippum conuenit, & ſecundum quoſdam Anaxagoram, cùm annis x l. iunior quàm ille eſſet. Refert Phauorinus in omnimoda hiſtoria, Democritum de Anaxagora dixiſſe, nō illius eſſe quas ſcripſerit de ſole, ac luna opiniones, verùm illo antiquiores, ipſumq; ſibi eas furatum eſſe, derogaſſe item iis quæ de mundi compoſitione & mente dixiſſet, infeſto aduerſus illum animo. Cùm ergo illum improbarit, quo pacto ille eius auditor fuit? Demetrius autem in æquiuocis, & Antiſthenes in ſucceſsionibus tradūt, illum in Aegyptum cōtendiſſe ad ſacerdotes geometriam percepturū, & in Perſidem ad Chaldæos atque ad rubrum mare. Non defuere qui dicerent, & Gymnoſophiſtis in India congreſſum eſſe atque in Aethiopiam veniſſe. Cumq; tertius eſſet frater, diuiſiſſe ſubſtantiam, minorémque portionem, quæ erat in pecunia ſibi elegiſſe, qua illi in peregrinatione opus erat, hoc illis dolo factum arbitrantibus. Demetrius ipſius

partem centũ talenta excesſiſſe autor eſt, eumq́; illa breui conſumpſiſſe. Adeò verò ſtudioſum fuiſſe, vt ex vicino hortulo ſibi cellulam ſeligeret, ibiq́; ſeipſum includeret, & cùm aliquando ipſius pater bouem ad immolandum adduxiſſet, ibiq́; alligaſſet, tandiu hoc ab illo non fuiſſe cognitũ, quo ad hunc ille ſacrificij cauſa excitauit ac bouis admonuit. Conſtat, inquit, illum Athenas veniſſe, atq; ob deſpectum gloriæ agnoſci noluiſſe: & cùm agnouiſſet Socratem ipſum à Socrate fuiſſe ignoratum. Veni enim Athenas, inquit, & me nemo cognouit. Siquidem Platonis illic riuales ſunt, ait Traſyllus: hic profectò obſcurus ac ſine nomine veniſſet, qui de Oenopidis familia, & Anaxagoras alter colloquio cum Socrate habito de philoſophia, hic, inquit, philoſophus ſimilis eſt quinq; certaminum victori. Et erat reuera in philoſophia πένταθλος, hoc eſt, quinque certaminum. Namq́; naturalia, moralia, mathematica, liberalium diſciplinarũ rationes, artiumq́; omnem peritiam callebat. Huius illud eſt, Sermo operis vmbra. Porrò Demetrius Phalereus in Socratis defenſione, ne veniſſe quidem illum Athenas dixit. Id autem profectò maius eſt, ſi

quidem

quidem tantam contempſit ciuitatẽ. Non enim ex loco gloriam aucupari cõtendebat, verùm loco gloriam imponere. Conſtat autem ex ſcriptis eius cuiuſmodi fuerit. Videtur autem, vt ait Traſyllus, & Pythagoreorum fuiſſe imitator. Ipſius enim Pythagoræ meminit, illum ſingulari admiratione proſequutus in æquiuoco opere. Adeò autem videtur ab illo accepiſſe omnia, vt niſi temporum ratio obſtaret, illum & audiſſe putaretur. Pythagoreorum tamen quempiam audiſſe Glaucus Rheginus, qui eius ſeculo vixit, omnino affirmat. Refert autem, & Apollodorus Cyzicenus Philolao illum in amicitiam veniſſe, illoq; familiariter vſum fuiſſe. Nitebatur autem, vt ait Antiſthenes, etiam varie probare imaginationes, ſæpe ſolitarius viuens, atque etiam ſepulcra incolens, regreſſum ex peregrinatione humilimè vixiſſe ait, quippe qui omnẽ ſubſtantiam conſumpſerat atque à Damaſo fratre propter ſummam inopiam nutritum fuiſſe. Vbi verò futura quædam prædixerat, ſequénſque rerum euentus fidem fecerat, diuinis iam honoribus dignus à pleriſq; iudicatus eſt. Cùm verò lege cautum eſſet, vt qui patrimonium conſumpſerat,

pſerat, ſepulcro patrio non dignaretur, eo cognito, vt ait Antiſthenes, ne inuidorum & detrahentium pateret calumniæ, legiſſe illis conſtat magnum Diacoſmũ, quod cunctis illius operibus facilè excellit. Et prætereà quingentis talentis honoratum eſſe, neque id ſolum, verùm & æreis imaginibus, vitáque functus publicè ſepultus eſt, cùm vixiſſet vltra centum annos. Cæterùm Demetrius propinquos eius magnum illud opus recitaſſe refert, ſolumq; centum talentis fuiſſe honoratos. Hæc & Hippobotus ait. Porrò Ariſtoxenus in hiſtoricis commentariis, Platonem Democriti commentaria, quæ colligere potuit, voluiſſe comburere, verùm ab Amycla & Clinia Pythagoricis fuiſſe prohibitũ, nihil id adferre vtilitatis dicentibus. Iam enim eos libros apud pleroſque ſeruari. Quod item ex eo colligitur, quòd cùm antiquos fermè omnes memorauerit ſapientes Plato, Democriti nuſquam mentionẽ vllam fecerit, ne in eis quidem locis vbi quidpiam contradicendum erat, ſciens & prudens vt intelligi datur, ne cõtra optimum philoſophorum certamẽ iniſſe videretur, quem & Timon laudat, cùm ait:

Οἷον Δημόκριτόν τε περίφρονα ποιμένα μύθων

Ἀμφ

ἀμφίνοον λέσχην ἃ μετὰ πρώτοισιν ἀνέγνων. hoc est,

Qualis erat prudens Democritus, autor amœni
Sermonis, lepidíque ioci, in primísque facetus.

Erat autẽ vt ipſe in paruo Diacoſmo refert, iuuenis eo tempore quo iam ſenior viuebat Anaxagoras, illo minor natu annis XL. Paruum verò illum Diacoſmum à ſe compoſitum refert anno poſt Troiæ excidium quingenteſimo trigeſimo. Vixit, vt ait Apollodorus in chronicis, olympiade LXXX. vt autem Thraſyllus in eo libro, qui inſcribitur de legendis Democriti libris, memorat, LXXVII. anno maior natu quàm Socrates, ætate nimirum Archelai Anaxagoræ diſcipuli atque Oenopidæ. Nanque & huius mentionem facit. Meminit item & opinionis Parmenidis ac Zenonis. De vno vt maximè ſua ætate claro, & Abderite Protagora, qui omnium cõſenſu Socratis æqualis fuit. Refert autem Athenodorus in VIII. deambulationum lib. cùm ad illum Hippocrates veniſſet, iuſsiſſe afferri lac, inſpectoq; lacte dixiſſe, & capellæ primi partus & nigræ eſt. Vnde maximum diligentiæ ſuæ mirac

miraculũ Hippocrati fecisse. Sed & puellam Hippocratis comitem primo die ita salutasse, Salue virgo, postridie verò, salue mulier. Fuerat enim puella nocte illa vitiata. Moritur autem Democritus iuxta Hermippum in hunc modum: Cùm iam ex senio deficeret, & propinquus videretur morti, mœrentem sororem, quòd ille in celebritate Cereris moriturus ipsa deæ vota exoluere nequiret, bono animo esse iussit, panesq; calidos sibi quotidie afferre, eos igitur naribus cùm admouisset viuum se dum ea celebritas transiret seruauit. Vbi verò dies illi transierunt, tres autem erant, quietissimè ac minimo dolore conclusit vitam, vt Hipparchus ait, c i x. ætatis anno. Nos sic, de eo lusimus in pammetro,

Καὶ τίς ἔφυ σοφὸς ὧδε, τίς ἔργον ἔρεξε τοσοῦτον
Ὅσον ὁ παντοδαὴς μήνυσε Δημόκριτος;
ὃς θάνατον παρέοντα τρὶ' ἤματα δώμασιν ἔσχεν,
Καὶ θερμοῖς ἄρτων ἄσθμασιν ἐξένισεν.

hoc est,

Quisnam tam sapiens visus qui tale patrarit
Vnquam, quale sciens omnia Democritus?

Qui

Qui per tres tenuit præſentia fata dies, &

Illa recens cocti panis odore aluit.

Hominis igitur vita ad eum habet modum. Sunt autẽ quæ ille opinatus eſt iſta: Principia omnium eſſe atomos atq; inane, cætera omnia legitimum eſſe opinari. Infinitos eſſè mundos, generationi & corruptioni obnoxios. Nihil ex eo quod non ſit, fieri, neque in id quod haudquaquam ſit corrumpi. Atomos præterea & magnitudine, & numero eſſe infinitos, ferriq; in toto ac rotari, atque ita concretiones omnes gignere, ignem, aquam, aërem, terram. Quippe & hæc ex atomis quibuſdam conſtare, eſséque paſsioni & immutationi ob firmitatem ac ſoliditatem minimè obnoxia. Solem item & lunam ex huiuſmodi vertiginibus tumorumq; circumferentiis eſſe compoſitam, animámque itidem quam idem eſſe quod mentem dicit. Intueri nos, incidentibus in nos rerum imaginibus, cunctaq; ſecundum neceſsitatem fieri, cùm ſit vertigo cauſa generationis omnium, quam neceſsitatem dicit. Finem verò eſſe rectum quietúmque animi ſtatum, quam εὐθυμίαν vocat, quæ, vt quidam obliquè interpretantur, non idem ſit quod

quod voluptas, verùm secundū quam animus magna tranquillitate constantiáque beatus est, dum nullo metu, nulla superstitione, aut alia quauis perturbatione agitatur. Eandem verò & εὐεστὼ appellat, à bonitate constantiæ, multisq; nominibus aliis, quæ verò fiant esse legitima, natura verò indiuidua atque inania. Ita ille opinatus est. Cæterùm ipsius libros & Thrasyllus notauit, atque in ordinem digessit secundum Platonis quadripartitum ordinem. Sunt autem isti morales, Pythagoras, de affectu sapientis, de his quæ sunt apud inferos. Tritogenia, hoc est, quòd ex ea tria fiant quæ humana cuncta contineant, de probitate, seu de virtute, de Copiæ cornu, de sedatione animi, commentariorum vel domorū. Nam is quem appellauit Euesto non inuenitur: atque isti quidem morales. Porrò naturales hi, magnus diascomus, quem Theophrastus Leucippi esse ait, paruus diascomus. Cosmographia, de syderibus vagis, de natura vnus, de natura hominis, siue de carne duo, de mente, de sensibus. Hos quidam illis adscribunt, de anima, de liquoribus, de coloribus, de differentibus fragoribus, περὶ ἀμὶ ειψιῤῥυσμιῶν, κρατυντήρια, hoc est iudicium

cium ferentia, de ſupradictis, de imagine, ſiue de prouidentia, de peſtibus, normæ, tres ambiguorum. Et iſti quidẽ naturales: porrò incompoſiti ſunt iſti, cœleſtes cauſæ, aëriæ cauſæ, planæ cauſæ, de igne & his quæ ſunt in igne cauſæ, cauſæ de vocibus, cauſæ de ſeminibus, arboribus, fructibus, cauſæ de animalibus tres, promiſcuæ cauſæ, de lapide, & hi quidem incõpoſiti. Mathematici verò hi ſunt, de ſententiæ differentiis, ſiue de contactu circuli & ſphæræ, de geometria, geometricorum numeri, de*mutis ac ſolidis lineis duo, explicationes, magnus annus ſiue aſtronomia, παράπηγμα, certamẽ clepſydræ, cœli deſcriptio, terræ deſcriptio, poli deſcriptio, radiorum deſcriptio. Hactenus de mathematica. De muſica hi ſunt, de cõcentu & harmonia, de poëſi, de carminis venuſtate, de conſonis & diſſonis rebus, de Homero, ſiue verſuũ rectitudine & linguis, de carmine, de verbis & nominibus. Hæc ille de muſica. De medicina, & de his quæ ſub artem cadunt iſta ſcripſit. Prænotio de ratione victus, ſiue medicinæ ſententia, cauſæ de intẽpeſtiuis, de tempeſtiuis, de agricultura ſiue geometricus, de pictura, de re militari & armis, de his hactenus. Sunt qui ſeorſum & com- *ἀλόγων

Q ment

mentariis iſta conſtituant, de ſacris in Babylone literis, de his quæ ſunt in Meroë, Oceani nauigatio, de hiſtoria Chaldaica & Phrygia, de febre, & de his quæ ex morbo tuſsi agitantur, legales cauſæ, cherniua, ſiue problemata. Cætera quæ ad illum quidam referũt, partim ex eius opuſculis decerpta, partim omnino aliena conſenſu omnium ſunt. Hæc de illius voluminibus. Sex autem fuere Democriti. Primus hic ipſe. Secũdus Chius muſicus, coætanei ambo. Tertius ſculptor, cuius Antigonus meminit. Quartus qui de tẽplo Dianæ Epheſiæ ſcripſit & ciuitate Samothraca. Quintus epigrammatum poëta clarus & floridus. Sextus Pergamenus orator clarus.

PROTAGORAS.

Protagoras Artemonis, ſiue vt Apollodorus & Dion in Perſicis ait, Mæandri filius Abderites fuit, vt Heraclides Ponticus in libris de legibus tradidit, qui illum & Thuriis leges dediſſe ait. Vt autem Eupolis in tragœdia quæ inſcribitur Colaces refert, Teius fuit. Ait enim ille,

Ἔνδοθι μὲν ἐστι πρωταγόρας ὁ Τήϊος.

hoc eſt,

Eſt intus ille Protagoras iam Teius.

Hic &

Hic & Prodicus Cæus libros prælegentes sibi quæstum faciebant. Plato denique in Protagora graui voce fuisse Prodicum ait. Audiuit autem Protagoras Democritum, vocabáturq; sapientia, vt Phauorinus in omnimoda historia refert. Primus dixit duas omnium rerum esse rationes inuicem contrarias, quibus etiam interrogando vtebatur, atque in hunc fermè cœpit modum. Omnium rerum modus & mensura homo est: earum quidem quæ sunt vt sunt, quæ verò nō sunt tanquam non sint, dicebatq; nihil esse animam præter sensus, sicut & Plato refert in Theæteto, omniaq; esse vera. Alio autem in loco in hūc cœpit modum: De diis quidem statuere nequeo, neque an sint, nec'ne. Sunt enim Plurima quæ id scire prohibeant, quippe & summa rei incertitudo & breuis hominis vita. Ob hoc autem principium operis pulsus ab Atheniensibus est, libriq; illius in foro cremati sunt sub præconis voce à singulis, qui illos habebant inuestigati. Hic primus pro mercede minas centum exegit, primusq; temporis vires exposuit, orationumq; certamina spectauit, & sophisma his qui contentionis studio delectantur, induxit: & omissa mente de nomi

ne disseruit, ac superficiale & illud leue contentionis genus. Vnde & ipsum Timon mixtum contentiosumq; appellauit, cùm de eo sic scribit.

πρωταγόρης τ' ἐπίμικτος ἐριζέμεναι εὖ εἰδώς. id est.

Protágoras mixtus, simul & contendere doctus.

Hic & Socraticum dicendi genus primus mouit, Antisthenisq; rationem, qua demonstrare nititur contradici non posse, vt Plato in Euthydemo loquitur, primus iste versauit primúsque, vt ait Artemidorus dialecticus in libro aduersus Chrysippum, argumentá ad quæstiones docuit. Ac primus quam nuncupauit τύλην in quã onera portant, inuenit, vt Aristoteles in libro de disciplina ait. Erat enim vafer, vt memorat sanè epicurus, atque aduersus Democritum hunc in modum elatus est, cum ligna dedisse visus esset. Diuisit autem orationem primus in quatuor, precationem, interrogationem, responsionem, præceptum. Alij septem in partes distinxisse aiunt, narrationem, interrogationem, responsionem, præceptum, promissionem, precationem, vocationem, quas etiam fundamenta orationis dixit. Porrò Alcidamas

mas orationis quatuor partes dixit, dictionem, pronuntiationem, interrogationem, appellationem. Primum verò librorum suorum de diis recitauit eum, cuius initiũ suprà posuimus. Recitauit autem Athenis in Euripidis, siue vt quidam volũt, in Megaclidis domo, vt alij in Lycæo, Archagora Theodoti filio discipulo recitante. Accusauit autem Pythodorus Polyseli filius vnus ex quadringentis. Aristoteles Euathlum accusasse ait. Sunt autem qui seruantur eius libri hi, Ars contentionis, de lucta, de disciplinis, de repub. de libertate, de virtutibus, de prisco statu, de his quæ sunt apud inferos, de his quæ non rectè ab hominibus geruntur, de præcepto, causa de mercede, contradictionum duo. Et ij quidem eius libri. Scripsit autẽ & Plato dialogum in eum. Refert Philochorus eo nauigante in Siciliam, nauim qua ferebatur submersam fuisse, idq; Euripidem in Ixione innuere ait. Quidam illum in via defecisse iter agentem, cum ad nonagesimum ætatis peruenisset annum, siue vt ait Apollodorus L X X. Porrò in studiis philosophiæ versatum annis quadraginta, circa septuagesimam quartam olympiadem claruisse. Est in hunc nostrum ita se

habens epigramma:

Καί σου Πρωταγόρη φάτιν ἔκλυον, ὥς ῥ' ἀπ' Ἀθηνῶν
Ἐκ ποτ' ἰὼν, καθ' ὁδὸν πρέσβυς ἐὼν ἔθανες.
εἵλετο γάρ σε φυγεῖν Κέκροπος πόλις, ἀλλὰ σὺ μέν που
παλλάδος ἄστυ φύγες, πλουτέα δ' οὐκ ἔφυγες.

hoc est,

Te quoque Protagoram redeuntē fertur Athenis
Iam vetulū media mortē obiisse via.
Cecropis vrbs potuit, potuisti Palladis vrbem
Linquere, non potuit styx violentia fugi.

Fertur cùm mercedē aliquando exigeret, Euathlúsque illius discipulus diceret, sed nondum quicquam vici, dixisse, at equidē si vicero, quodcunq; vicero, accipiam necesse est, sin verò tu viceris id in tuum ius necessariò cōcedet. Fuit autē & alius Protagoras astrologus, in quē & Euphoriō epicediū scripsit. Terti⁹ Stoicus philosophus.

DIOGENES APOLLONIATES.

Diogenes Apollothemidis filius, Apolloniates fuit, vir Physicus & eloquentia

tia & ſapientia in primis clarus. Anaximenis auditorem fuiſſe Antiſthenes tradit: fuit autem Anaxagoræ temporibus. Hunc ait Phalereus Demetrius in Socratis defenſione Athenis præ nimia inuidia periclitatum de vita. Quæ autem opinatus eſt, ſunt iſta, Elementum eſſe aërem, mundos infinitos, & inane infinitũ, denſumq; aërem, ac rareſcentem, mundos gignere, nihil ex eo quod non ſit fieri, neque in id quod nõ ſit corrumpi. Terram eſſe rotundam, atque in medio ſitam, eamq; cepiſſe *conſtantiam ſecundum illam quæ ex calido eſt circunferentiam, ex frigido concretionem ac ſoliditatem accepiſſe. Eſt autem initium operis hoc, Qui docere aliquid inſtituit, ei mea quidem ſententia, operæpretium eſt certum & indubitatum præſtare principium, orationeq; ſimplici atque pudica vti.

*σύστασιν.

ANAXARCHVS.

Anaxarchus Abderites Diomenis Smyrnæi auditor fuit, alij Metrodori Chij auditorẽ tradunt. Hic ſe ne id quidem ſcire dicebat, quod nihil ſciret. Porrò Metrodorum alij Neſum Chium, alij Democritum audiſſe tradunt. Anaxarchus igitur Alexandro etiam cõgreſſus eſt, floruitq;

ruitq; circa c. & x. olympiadem. Inimicū autem habuit Nicocreontem Cypri tyrannum. Et cum illum Alexander aliquando in conuiuio rogaſſet, quid nam de cœna illa ſentiret, dixiſſe ferunt, cuncta magnifice ô rex, verùm oportebat iam caput ſatrapæ cuiuſdam apponi, Nicocreontem intuens. Hoc ille ægrè ferens, memor iniuriæ, poſt mortem regis, cùm naui ferretur Anaxarchus, inuitusq; applicuiſſet Cyprum, cōprehenſum eum in *ſaxum concauum iniecit, iuſsitq; ferreis malleis cædi: illum pœnæ ſuæ negligentem, celebre id dictum ingeminaſſe aiunt, Tunde tūde Anaxarchi vaſculum, nā Anaxarchū nihil teris. Iubente verò illo ipſius præcidit linguam, fama eſt præciſam mordicus in eius faciem conſpuiſſe. Eſt noſtrum in ipſum tale carmen:

*ὄλμον.

πτύσσετε μᾶλλον ἔτι κὴ μᾶλλον, θύλακός ἐστι
 πτύσσετ᾽, Ἀνάξαρχος ἐν Διός ἐστι πάλαι
Καί σε διαστείλαι ὀλίγον δυσνεφῆ τάδε λέξει
 Ῥήματα πῤῥσεφόνη ἔρεε

hoc eſt,

Contrahite in rugas tritum hunc magis ac magis vtrem,
 Tutus Anaxarchus iam Iouis arce latet.

Et te

Et te hæc mox melius distinguere verba iubebit

Percussor, stygiis & recitare deis.

Hic ob animi constantiam & facilem victum fortunatus appellabatur, habebatq; ad*emendãdum maximam autoritatem. * σωφρονίζειν.
Alexandrum enim deum se esse arbitrantem auertit cum ex ictu quodam sanguinem illi fluere vidisset, digito ostendens, ita illi ait, Hoc quidẽ sanguis est, nõ autem

Ἰχὼρ οἷος πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.

hoc est,

Ille cruor, diuis qualis solet esse beatis.

Plutarchus Alexandrum ipsum amicis hoc dixisse refert. aliâs item Anaxarchum illi cũ præbibisset, ostendisse calicẽ, & dixisse:

βληθήσεταί τις θεῶν βροτησίᾳ χερί. hoc est,

Ferietur aliquis mox deûm humana manu.

PYRRHO HELIENSIS.

PYrrho Heliensis Plistarchum habuit patrem, quòd etiam Diocles tradit. Is, vt Apollodorus ait in chronicis, pictor fuit primum, atq; vt Alexander in successionibus scribit, Drysonẽ Stilponis filium audiuit, deinde Anaxarchum illi vbiq; adhærens, ita vt Gymnosophistas in Indiã adierit, Magisq; congressus sit. Vnde & nobilissimè

lisſimè philoſophiã tractaſſe videtur, com mẽtus modum, quo de omnibus nihil decerneret, neq; quicquã comprehendi poſſe diceret, vt Aſcanius Abderites autor eſt, negabat enim quicquã turpe eſſe aut honeſtum, iuſtum vel iniuſtum, eadẽ ratione & in omnibus nihil vere eſſe, cæterũ lege atque conſuetudine cuncta homines facere. Neque enim eſſe quicquam iſtud potius quàm illud, conſentanea ad hæc illi & vita erat. Nihil declinans nihilq; deuitans, ſuſtinebat omnia: currus ſi fortè occurriſſent, & præcrupta, & canes, & talia, nihil omnino ſenſibus permittens. Seruatum autem, vt Cariſtius Antigonus refert, à ſequẽtibus ſe neceſſariis. Porrò Aeneſidemus ipſum de aſſenſu quidem retinendo philoſophatum eſſe tradit, non tamen imprudenter geſſiſſe ſingula. Vixit autem ad annos fermè x c. Cæterùm Antigonus Cariſtius in libro quẽ de Pyrrhone ſcripſit, hæc de illo memorat, ipſum principio quidem obſcurum & pauperem, pictoremq; fuiſſe, ſeruariq; in Helide in gymnaſio λαμπαδιςὰς nô infeliciter ab eo elaboratos. Quin egredi ſolitum & ſolitariũ viuere, raroq; apparere domeſticis. Hoc autẽ idcirco facere, quòd audiſſet Indum

quendam

quẽdã Anaxarcho exprobrantẽ, quòd nullum doceret virũ bonũ fieri. cùm ipſe regias aulas frequens tereret & regibus obſequeretur, ſemperq; eodem perſeueraſſe vultu atque habitu, & ſi quiſpiam illum inter dicendũ deſereret, ipſe tamen quod cœperat perageret, & quidem cùm in adoleſcentia mobilis fuerit. Sæpe, inquit, peregre proficiſcebatur, nemini quò pergeret prædicens, & quibus volebat congrediebatur. Et cùm aliquando Anaxarchus in ſcrobem incidiſſet, ille pertranſit nihil ei opem ferens. Idque cùm plerique culparent, Anaxarchus ipſe laudabat, vt indifferenter & ſine affectu ſe habentem. Cùm ſecum loqui, aliquando deprehenſus eſſet, rogatus cur id faceret, meditor, inquit, bonus vt ſim.

In quæſtionibus à nemine contemnebatur, quòd obiter ſolumq; ad interrogata diceret, qua ex re factũ eſt, vt Nauſiphanes adhuc adoleſcentulus ab eo captus & allectus. Aiebat enim oportere affectus quidem eſſe Pyrrhonis, ſuiipſius autẽ verborum. Dicebatq; ſæpenumero Epicurum conuerſationem inſtitutumq; Pyrrhonis admiratum, ipſum de ſe percontari aſsiduè ſolitum. Tanto autẽ in honore à

patria

patria sua habebatur, vt eũ Pontificem constituerit, atq; illius gratia philosophos publico decreto omnes immunitate donauerit. Cõplures item habuit instituti sui, hoc est, rerum negligentia & contemptu æmulos. Vnde & illum complectitur mirificè Timon in Pythone, & in Sillis, quòd liber euaserit omnibus perturbationibus, superstitionéq; & vanitate, & captione sophistica, ac dei instar inter homines regnarit.

Ὦ γέρον ὦ Πύῤῥων, πῶς ἢ πόθεν ἔκλυσιν εὗρες
Λατρείης δοξῶν τε κενοφροσύνης τε σοφιστῶν,
Καὶ πάσης ἀπάτης πειθοῦς τ' ἀπελύσαο δεσμὰ,
Οὐδὲ μέλει σοι ταῦτα μεταλλῆσαι τινὸς αὔρας
Ἑλλάδ' ἔχουσι πόθεν τε, καὶ εἰς ὅτι κυρεῖ ἕκαστα.

hoc est,

Miror quî tãdẽ potuisti euadere Pyrrho
Turgentes frustra, stupidos vanósque Sophistas,
Atq; imposturæ fallacis soluere vincla,
Nec fuerit curæ scrutari, Græcia quali
Aëre cingatur, neq; vbi aut vnde omnia constent.

Et iterum in Indalmis,

Τοῦτό μοι ὦ Πύῤῥων ἱμείρεται ἦτορ ἀκοῦσαι
πῶς

πῶς ποτ' ἀνὴρ ἔτ' ἄγεις ῥᾷςα μεθ' ἡσυχίας

Μοῦνος ἐν ἀνθρώποισι θεοῦ ῥόπον ἡγεμονεύων.

hoc est,

Abs te illud misere optarim cognoscere Pyrrho,

Quî fuerit facilis, lætaq; vita tibi,

Sol᷒ vt in viuis gereres te numinis instar.

Hunc autem Athenienses etiã ciuitate honorauerunt, vt refert Diocles, quòd Cotyn Thracium interemisset. Piè verò & cum sorore sua obstetrice vixit, vt Erastothenes in libro de diuitiis & paupertate refert, quo tempore ipse publicè auiculas porcellósq; venũdabat, domiq; indifferenti munditia erat. Fertur ob eiusmodi indifferentiam, & scrofam lauare solitus, & cum sorori quandoq; succensuisset (Philista autem vocabatur) arguerétq; illum quispiam, vt immemorem instituti sui, non, inquit, muliercula documentum erit nostræ indifferentiæ. Rursum cùm se inuadentem canẽ repulisset, causantiq; cuidam, graue, inquit, est, & perdifficile hominẽ penitus exuere. Certandũ verò pro viribus, primum quidẽ operibus, alioqui vel ratione aduersum res. Aiunt illũ & medicamẽta putria, & sectiones, & vstiones sibi vlceri cuipiã adhibitas tanta

tanta tulisse constantia, vt supercilia ne cõtraxerit quidem. Eius animi magnitudinẽ & Timon in his quæ scripsit ad Pythonem prosequitur. Philo quoq; Atheniẽsis ipsius necessarius, illum Democriti meminisse, tũ etiam Homeri dixit, miratũ illum eius versiculum, asiduéq; pronuntiare solitum,

Οἵη περ φύλλων γενεὴ τοίηδε καὶ ἀνδρῶν. id est.

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Amplectiq; quod homines muscis & auibus comparet.

Illos item perlibenter & sæpe proferre,

Ἀλλὰ φίλος θάνε, καὶ σὺ τίη ὀλοφύρεαι αὔτως,

Κάτθανε καὶ Πάτροκλος ὅσπερ σέο πολλὸν ἀμείνων. hoc est,

Quin tu igitur morere, & plora mihi, amice, vicisim,

Nam & periit Patroclus qui se superabat abunde.

Sicut & cætera illius quibus infirmitas & inania studia atq; pueriles hominum motus indicantur. Posidonius autem de illo tale quiddam retulit. Naui aliquando ferebatur, & cùm socij tẽpestate acti deiectiore essent animo ipse trãquillo animo porcellum in naui edentem ostendebat, dicens opor

oportere ſapientem hanc illius imitari ſecuritatem. Solus hunc Numenius dogma etiam edidiſſe ait. Huius præterea memorabiles iſti fuere diſcipuli, Eurylochus, cuius id notatur vitium. Aiunt illũ aliquando ita furore inſtigatum, vt ſumpto veru cum carnibus cocum in forum vſq; perſequeretur, & , in Helide quæſtionibus eruditorum fatigatum abiecto pallio Alphæum tranaſſe fluuium. Erat autem Sophiſtis infeſtiſsimus, ſicuti & Timonem ferũt. Philo autem in diſputationibus erat frequẽtior. Vnde & Timon de illo ait,

ἢ τὸν ἄπ' ἀνθρώπων ἀπόσχολον, αὐτολαλητὴν
ἠ ἐμπαιζόμενον δόξης ἐρίδων τε Φίλωνα.

hoc eſt,

Aut ſecum meditantem, & ſtrepitu turbáque remotum,
Litibus aut ſtolidæ addictum, famæque Philonem.

Hecatæus præterea Abderites, & Timon Phliaſius poëta, Sillorum ſcriptor, de quo dicemus. Nauſiphanesquoque Teius, cuius plerique Epicurum auditorem fuiſſe tradunt, eius diſcipuli fuerunt. Hi omnes à magiſtro quidem Pyrrhonij, cæterùm à dogmate aporetici & ſceptici, prætereáque & ephectici, & zetetici appellabantur.

Eſt

Eſt enim Zetetica philoſophia ſic dicta, quòd ſemper in veritatis inquiſitione verſetur. Porrò ſceptica, quòd ſemper quærat & nunquam inueniat. Ephectica autẽ dicitur ab euẽtu, quòd poſt inquiſitionem ambigatur itidem: Aporetica verò quòd eius ſectatores ſemper addubitent. Atq; à Pyrrhone Pyrrhonij, vt diximus, denominati ſunt. Enimuero Theodoſius in ſcepticis capitulis ſcepticam Pyrrhoniam minimè appellari oportere ait. Nam ſi quidem motus & agitatio mentis alterius comprehendi à nobis non poteſt, profectò Pyrrhonis affectum ignorabimus. At ſi illũ ignoremus, Pyrrhonij haudquaquam dicemur, præterquam quòd neq; Pyrrho primus ſceptices inuentor fuerit, neque ea dogma aliquod habeat. Rectius autem diceretur Pyrrhonis moribus ſimilis. Eius ſectæ principem Homerum fuiſſe plerique autumant, quòd is in ſuis ſcriptis de rebus eiſdẽ præter cæteros aliâs aliter loquitur, neq; certò quicquam in rebus pronuntiat ac fert ſententiam. Denique & ſeptem ſapientes in hoc genere fuiſſe verſatos quorum illa ſint, Nihil nimis, & ſponſioni adiacet damnum, quo ſignificetur qui fideiuſſor exiſtat, illum è veſtigio certa com-
pert

pertáque incommoda ſubſequi. Archilochum item & Euripidem id genus exercuiſſe. vbi Alchilochus quidem ait:

Τοῖς ἀνθρώποισι νοῦς Γλαῦκε Λεπτίνε ὦ παῖ
Γίνεται θνητοῖς, ὁκοίην ζεὺς ἐφ᾽ ἡμέρην ἄγει.

hoc eſt,

Ea mens eſt hominibus, Glauce Leptine fili,
Qualẽ mortalib⁹ in dies Iuppiter mittit.

Item Euripides,

Τί δῆτα τοὺτους τοὺς ταλαιπώρους φρονεῖν
Βροτοὺς λέγουσι; οὐ γὰρ ἐξηρτήμεθα,
Δρῶμεν τοιαῦτ᾽ ἂν σύ γε τυγχάνῃς θέλων.

hoc eſt,

Sentire verò quippiam quid hos ferunt
Homunciones: nã ne ſcimus id quidem
An rectè agam⁹, an ſec⁹ quod quis velit.

Sed & Xenophanes, & Zeno Eleates, ac Democritus ſecundum eos ſceptici ſunt, ex quibus Xenophanes quidem ait:

Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν, οὐδέτις ἔσται,
Εἰδώς.

hoc eſt,

Nemo aliquid certò nouit, vel nouerit vnquam.

Zeno autem motum tollit dicens, omne quod mouetur, neque in quo eſt mouetur loco, neq; in quo non eſt. Porrò Democri-

tus exclusis qualitatibus, aut ait lege calidum, aut lege frigidum. Est autem causa atomi & vacuum. Ac rursus: Causę quidem nihil nouimus, nā veritas in profundo est. Plato item id quidem quòd verum sit diis, deorumq; filiis concedit, cæterùm rationē probabilem perquirit. Euripides quoque dubitat ac viuere sit emori, moríque viuere mortales putent, ait enim:

Τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν νομίζεται βροτοῖς;

hoc est,

Quis nouit aūt an viuere hoc sit emori,
An emori hoc sit quod vocamus viuere?

Empedocles item quædam vix dixi posse, alia neq; auditu percipi, neq; mente comprehendi ait, idq; solū probari quod quisque putarit. Heraclitus itidem de rebus maximis coniectandum adstruendúmque esse quippiam temere negat. Hippocrates item ambiguo atq; humano more loquitur, atq; longè antè Homerus,

Στρεπτὴ δὲ γλῶσσ' ἐστὶ βροτῶν πολέες δ' ἔνι μῦθοι.

hoc est,

Lingua volubilis est hominum verbísque referta. &

Ἐπέων δὲ πολὺς νόμος ἔνθα καὶ ἔνθα.

hoc est,

Verb

Verborum hinc atq; hinc ingens eſt copia cuiuis. &

ὁποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

hoc eſt,

Quale prior dixti, reddetur tale viciſſim.

Aequas verborum vires obiectionéſque ſignificans. Itaque huiuſmodi ſceptici ſectarum omnium dogmata euertere perſtabant, nihil ipſi dogmatis afferentes, atque cæterorum tantum enuntianda dogmata atq; enarranda preponentes nihil definiendo, neq; hoc ipſum quidem etiã, & ipſum quoque nihil definire tollebant, dicentes illud, nihil definimus. Nam profectò definirent. cæterùm ſententias aliorum proferimus noſtræ infirmitatis indicium, perinde ac ſi annuentes hoc indicare poſsibile eſſet. At voce definiemus nihil. Ex eo igitur quod dicunt nihil definimus, morbus qui ἀῤῥεψία dicitur, quòd neutram in partem ſententiam propenſius inclinet inſinuatur. Ac per id ſimiliter quod proferunt, nihil magis, atque id, omni rationi ratio obiecta reperitur, & ſimilia. Dicitur autem nihil magis etiam poſitiue de quibuſdam quaſi ſimilia ſint, vt nihil magis pirata malus eſt, quàm mendax. Verùm ab

huiusmodi scepticis non positiuè, sed negando dicitur, sicuti ab improbante cùm dicitur, non magis Scylla fuit quàm chimæra. Ipsum vero magis aliquando per comparationem pronuntiatur, vt cùm dicimus, magis dulce mel, quàm vuam esse, aliquando item positiuè, aut per negationem, vt cùm dicimus magis prodest virtus quàm obest. Significamus enim virtutem prodesse non obesse: Verùm & ipsam vocem nihil magis sceptici tollunt. Sicuti enim non magis est prouidentia quàm nõ est, ita & ipsum nihil magis, nihil magis est quàm non est. Significat igitur & ea vox, sicut & Timon in Pythone ait, nihil definire, verùm hærere ambiguum. Porrò quæ verbis omnibus inest vox, ea quo-
*ἐποχήν. que cogit * assensus detentionem. Nam si quidem dissidentibus rebus, verba tantundem valeant, veritatis ignoratio sequitur, ne huic quidem rationi deest ratio quę aduersetur. Quæ & ipsa cum sustulerit reliquas à semetipsa sublata peribit, non secus atque medicamenta, quæ vbi epota prius materiam exhauserint, & ipsa egeruntur ac pereunt. Aiunt autem dogmatici se non modò non tollere, verùm & asserere & confirmare rationem. Solùm itaq;
minist

miniſtris vtebãtur,rationibus. Neq; enim fas erat rationẽ à ratione non tolli.quemadmodum dicere conſueuimus, locum nõ eſſe, & locum omnino dicere oportet, & ſi non dogmatis at demonſtrationis ratione. Nihilque ſecundum neceſsitatem fieri, & tamen neceſsitatem dicere oportet. Tali quodam interpretationis modo vtebantur, res non eiuſmodi per naturam eſſe, quales viderentur,ſed videri tantum, atque ea inquirere dicebant, non quæ intelligerent, quod enim intelligitur liquet, ſed quæ ſenſibus perciperentur ac communicarent. Eſt igitur Pyrrhonis ratio memoria quædam earum rerum quæ videntur, ſiue quomodolibet intelliguntur, ſecundum quam omnia omnibus conferuntur, eáque comparata vtiliſsima, plenáque perturbationis eſſe cernuntur, ſicut ait Aeneſidemus in introductione in Pyrrhonia. Porrò ad eas quæ in ſpeculationibus ſunt opoſitiones, cùm prius oſtenderint quibus modis res perſuadeant, eiſdem autoribus illarum fidem tollunt.

Nam perſuadere quidem ea quæ ſecundum ſenſus concorditer ſe habent, & quæ nunquam vel certè rarò incidunt. Conſueta item, & quæ legibus viſa ſunt diſtin-

cta atque admirationi habita. Demonstrabant itaque ex his quæ contraria sunt persuasiones æquales esse persuadentibus. Porrò ambigua secundum cõcordiam earum rerum quæ vel aspectu vel intelligentia percipiuntur, decem modis tradebant, quibus subiecta differre videbantur. Ex his primus est qui constat ex animalium indifferentiis ad* voluptatem & dolorem, commoda & incommoda. Ex eo autem colligitur nõ easdem ac eisdem imaginationes incidere, quódque eam pugnam necessariò sequitur ambigere, quippe animalium alia absque coitu gigni, vt sunt quæ in igni viuunt, quæ πυρίβια vocantur: phœnixque Arabicus atque teredines, alia item ex congressu, vt sunt homines & cætera, atque alia, sic alia sic comparata sunt. Quocirca etiam sensibus differunt, nam aquilæ acutissimè vident, canis sagacissimè olfacit. Est igitur consentaneum quæ differenter oculis incidunt, eorum itidem differre phantasmata. Nam capræ quidem virgulta alimento esse, homini autem amara atque insuauia. Cicutam quoq; coturnici nutrimentum, homini in-
* ἀπίστα ferre perniciem. Suem itẽ * fimum edere,
τος. quem minimè equus attingat. Secundus ex
homi

hominum ingeniis per gentes comparationesq; colligitur. Demophon enim mēsis præfectus Alexandri ad vmbram calefiebat, soléque rigebat. Andron item Argiuus, vt ait Aristoteles, per arida Lybiæ loca absque potu iter agebat. Alius item medicinæ, agriculturæ alius, alius mercaturæ studiosus est. Atque ista quidem aliis prosunt, aliis obsunt, qua ex re continendus assensus est. Tertius ex differentibus sensuum poris accipitur. Nanque malum aspectui quidem * pallidum, gustui dulce, tactui leue, olfactuiq; fragrantia odoris gratissimum incidit. Eademq; forma pro speculorum varietate nō eadem cernitur. Consequens igitur est, quod apparet non magis id esse quàm aliud. Quartus, circa affectus communiter vicissitudinesq; versatur, puta sanitatem, morbum, somnum, euigilationē, gaudium, tristitiam, iuuentam, senectam, audaciam, metū, indigentiam, copiam, amicitiam, odium, calorem, frigus, quòd videlicet respiretur, ac vicissim spiritus meatus intercludātur. Diuersa ita videntur quę incidunt præter dispositiones quaslibet. Neque enim qui vesani sunt præter naturā se habent. Quid enim illi magis quàm nos? nanque & nos solem

*ὠχρόν.

veluti ſtantem intuemur. Theon autẽ Tithoreus Stoicus dormiens in ſomnis ambulabat, Periclísque ſeruus in ſummo tecto. Quintus circa leges atque inſtituta, fabuloſasq; probationes, atq; artificialia fœdera, dogmaticasq; opiniones vertitur. In eo continentur quæ de honeſtis, ac turpibus, verisq; & falſis, deq; ſummo bono, de diis, & generationibus, & corruptione omnium quæ apparent, diſputantur. Denique quòd apud alios iuſtũ, apud alios iniuſtum eſt, idemq; aliis bonum, aliis malum putatur. Nam Perſis quidem filiabus miſceri legitimum eſt. Id verò Græcis nefarium exiſtimatur. Atque Maſſagetæ, vt Eudoxus quidem in primo periodi refert, vxores habent cõmunes, Græci eam communionẽ deteſtantur. Cilices item latrociniis gaudent, Græci non. Sic de diis quoque alij aliter ſentiunt. Quippe illorum prouidentiam alij cõfitentur, alij negant. Aegyptij quoq; condientes ſepeliunt corpora, Romani verò incendentes, Pæonésque in ſtagna proiiciunt. Vnde circa veri profeſsionem continetur aſſentio. Sextus in congreſsionibus, ſocietatibúsque conſiſtet, ſecundum quem liquidè nihil per ſe, & integrè apparet, ſed cum aëre ac lumine, liq

ne,liquido ac ſolido, calore, frigore,motu,euaporatione, ac viribus aliis. Conſtat enim purpurã colorem ſuum varium præ ſe ferre ad ſolem, ac lunam & lucernam. Color item noſter diuerſus ſub meridiem apparet. Itidem,Sol quoque qui à duobus in aërẽ tollitur lapis, in aqua facilè tranſfertur. At enim grauis exiſtens ab humore leuigatur, ſiue leuis ab aëre grauatur. Ignoramus igitur quid ſeorſum ſit, veluti in vnguento oleum. Septimus circa ſubſtantias, & poſitiones quaſdam, & loca, & ea quę in locis ſunt verſatur,per eum quæ videntur magna eſſe, modica apparent,vt ſi quadrata, rotunda, plana,tumere,recta, obliqua,pallida coloris alterius. Sol denique longius quàm ſit abeſſe videtur,montéſque procul in morem nebulæ, & plani leueſq; propè aſperi eſſe cernũtur ac prærupti. Sol itidem oriens quidem alius videtur, alius cùm medio cœlo ſe fuderit. Atq; idem corpus in nemore aliud, aliud in aperta terra apparet, effigieſq; præter propriam poſitionẽ, vt columbæ collum in conuerſione videtur. Quoniam igitur extra loca,& poſitiones iſta cõſiderari nequeunt, illorum quoq; natura ignoratur. Octauus qui præter ſuas quantitates ſiue

calore vel frigore, velocitate vel tarditate, siue pallore, siue colore quouis alio consistit. Nanq; vinum modicè sumptum firmat ac roborat: immodicè, statum mentis euertit: idem de cibo & similibus. Nonus est qui præter solennem naturæ morem, vel nouũ, vel rarum contingit. Nam terræ motus apud quos crebro cõtingunt admirationi non sunt. Sol itidem quia quotidie cernitur. Decimus ex alterna collatione constat, puta graue ad leue, fortè ad imbecillum, maius ad minus, superius ad inferius. Dextrum autem non per naturam dextrum est, verùm ex sinistri collatione intelligitur: nam si tollatur sinistrũ, dextrum non erit. Eadem ratione, & pater, & frater, velut ad aliquid dicuntur, & dies veluti ad solem, atque omnia veluti ad mentem. Quæ igitur ad aliquid dicuntur, per seipsa incognita sunt. Atq; hi quidem decem modi sunt quos prædiximus. Cæterùm Agrippa his quinq; alios inuexit, eum videlicet qui ex dissonantia colligitur, & qui in infinitum progreditur, & eum qui ad aliquid dicitur, quiq; ex subiectione, & qui ex mutua successione constat. Qui igitur ex dissonantia est, quæstio quæcunque fuerit apud philosophos proposita

posita quæ ex consuetudine, ingentis pugnæ, & perturbationis plena ostenditur. Qui verò in infinitũ procedit, quod quæsitum fuerit affirmari minimè permittit, quòd aliud ab alio fidem capiat, atque ita in infinitum res procedat. Qui autem ad aliquid, nihil percipi per omnia dicit, sed cum altero: quocirca & ignota est. Porrò tanquam ex probato constat modus, cùm putant quidam ex seipsis principia rerum oportere admittere, vt certa ac indubitata, neque vltrà debere inquiri quod stultum atque inane est. Contrarium enim quispiam subiiciat. Per inuicem autem modus consistit, cùm quod quæsitam rem firmare debere debuit, ipsum opus habet ab eo quod quæritur fidem capere, puta si poros quispiam idcirco esse asseueret quòd vapores fiant, ipsum ad affirmationem sumit, quod minimè debuit. Tollunt autem isti omnem demonstrationem, omnéque iudicium, & signum, & causam, & motum, atq; * discentiam, & generationem, & quod natura quippiam aut bonum aut malum sit. Omnis enim, aiunt, demonstratio, aut ex demonstratis rebus constat, aut ex non demonstratis. Si igitur ex demonstratis, & illa demonstratione aliqua

* μάθησιν.

egeb

egebunt, atque ita in infinitum pergetur. Sin verò ex non demonſtratis, ſi omnia,ſi quædam, ſi vnum etiam ſolum diſsideat, totum demōſtratione carere. Quòd ſi videntur, inquiunt, quædam eſſe quæ demonſtratione non egeant, mira illorum ſcientia eſt,& mens,ſi non intelligunt hoc ipſum in primis quod fidem habeat ex eis probatione indigere. Neq; enim quatuor eſſe elementa, inde aſtruendum eſt, quòd quatuor ſint elementa. Præterea ſi negentur particulares demonſtrationes, generalem quoque demonſtrationem tolli neceſſe eſt. Vt autem ſciamus demonſtrationem, iudicium erit neceſſarium. Itidem, vt iudicium eſſe nouerimus, demonſtratione opus erit. Vnde ſi vtraque cùm adinuicem referantur incomprehenſibilia ſunt, quónā modo percipiantur quæ manifeſta ſunt, ſi ignoretur demonſtratio? Quæritur autem num talia appareant: verùm ſi per ſubſtantiam ita ſe habeāt, ſtultos dogmaticos dicebant. quod enim ex tanquam probato concluditur, non contemplationis, verùm poſitionis rationem habet. Porrò eadem ratione etiam de impoſsibilibus argumentari liceret. Cæterùm qui arbitrentur minimè oportere ex
his

his quę ſecundum circunſtantiam ſunt verum iudicare, neq; ex his quæ ſecundum naturam ſunt leges ferre, eos dicebāt modos rerum omnium ſibi definire, nequaquam intuentes quod manifeſtū eſt, omne id ſecundum reluctationem affectúmque opparere. Aut igitur vera omnia eſſe, aut falſa omnia dicendum eſt. Sin autem quædam vera ſunt, quónam ea diſcernemus modo? Neque enim ſenſu quæ ſecundum ſenſum ſunt, cùm omnia illi videantur æqualia, neque intelligentia ob eandem cauſam. His autem exploſis, nulla iudicandi vis reliqua cernitur. Qui igitur, inquiunt illi, de aliqua ſiue ſenſibili ſiue intelligibili re aſtruit, prius quæ de ea re ſunt opiniones conſtituere debet: alij enim iſta, alij iſta abſtulerunt. Neceſſe eſt autem vel ſenſu vel intelligentia iudicari. Cæterùm de vtriuſq; contentio eſt. Non igitur poſsibile eſt, opiniones de rebus ſenſibilibus intelligibilibusq; iudicare. Atqui ſi propter eam quæ eſt, in intelligentiis pugnam omnibus renūtiandum eſt, tolletur menſura ad quam cuncta diligenter exacta videntur. Omnia igitur æqualia arbitrabuntur. Ad hæc, aiunt, qui nobiſcum diſputat quod apparet probabile

bile ſit nécne, ſi quidem probabile eſt, nihil aduerſus illum dicere potuerit, cui cõtrà videtur. Sicut enim ipſe probabilis eſt qui perſpicuum eſſe affirmat, ita & aduerſarius. Sin autem non probabilis, neque ipſi crederetur qui clarum eſſe, ac manifeſtum dicit: quod autem perſuadet, verum eſſe arbitrandum non eſt. Neq; enim idem omnibus perſuadet, neque eiſdem ſemper. Fit autem perſuaſio etiam præter id quod extrinſecus eſt, ſiue præter dicentis opinionẽ, ſiue præter curam, ſiue præter ſuauitem, ſiue præter conſuetudinem ſiue præter id quod gratum eſt. Tollebat autem, & iudicium iſta ratione. Aut iudicatum eſt iudicium aut iniudicatum eſt: at ſi quidem iniudicatum eſt, improbatum conſiſtit excidítque à veri falſiq; iudicio. Sin verò iudicatũ, vnum erit eorum quæ per partes iudicantur. Itaque ſi idem eſt, & iudicare & iudicari, id quoq; quod iudicium iudicauit ab altero iudicabitur, illudq; rurſus ab alio atq; in infinitum procedet, præterquam quòd de iudicio ſententia concors non eſt, aliis hominem iudicium eſſe dicentibus, aliis ſenſum, aliis rationem, quibuſdam item perceptibilem imaginationem. Atqui homo quidem, &

ſecum

ſecū & cum aliis diſsidet, quod ex legum conſuetudinúmque differentiis conſtat. Porrò ſenſus falluntur mentiunturq́;, ratio autem diſcordat, perceptibilisq́; fantaſia ab animo iudicatur, animusq́; ipſe variis motibus circumagitur. Hac ergo ratione ignotum eſt iudicium, ac per id veritas quoque ignoratur. Signum item eſſe negant. Nam ſi quidem ſignum eſt, inquiunt, aut ſenſibile eſſe neceſſe eſt, aut intelligibile. At ſenſibile non eſt: nam ſenſibile cõmune, ſignum verò proprium eſt, ac ſenſibile ſecundum quidem differentiam, ſignum verò eorum, quæ ad aliquid dicuntur, eſt. Intelligibile itidem non eſt. Nam intelligibile non eſt, ſiue quod appareat ex eo quod videtur, ſiue quod non appareat ex eo quod non videtur, ſiue quod non videtur ex eo quod apparet, ſiue quod videtur ex eo quod non apparet: nihil autem horum eſt, non igitur ſignū. Ex eo autem ſequitur nihil incertum comprehendi poſſe. Nam per ſigna dicuntur obſcura, ac incerta comprehendi poſſe. Cauſam itidem hac ratiocinatione tollunt: Cauſa eorū quæ ad aliquid dicuntur eſt, quippe ad cauſale. Quæ verò ad aliquid dicuntur, ſolùm intelliguntur,
non

non autem exiſtunt, cauſa igitur tantum intelligitur. Nam ſi quidem cauſa eſt, id deeſſe non debet cuius dicitur cauſa, alioqui cauſa non erit. At quemadmodum pater, niſi adſit is ad quem pater dicitur, nequaquam pater eſt, ita & cauſa. Non autem adeſt ad quod cauſa intelligitur, neq; enim generatione, neq; corruptione, neq; aliud quippiam, non ergo cauſa eſt. Atqui ſi quidem cauſa eſt, aut corpus, aut incorporea eſt cauſa, aut certè incorporale incorporalis. Nullum eſt autem horũ, non igitur eſt cauſa. Nam vtraque eandem habent naturam: & ſi alterum dicitur cauſa, quantum attinet ad corpus, & reliquum corpus cùm ſit, efficietur cauſa. At ſi communiter ambo cauſæ erunt, nihil erit incommodi. Porrò incorporeum incorporei nequaquam cauſa erit, ob eandem rationem: incorporeum item corporis cauſa non erit, quia nihil incorporeum corpus facit. Corpus itidem incorporei cauſa non eſt, quia quod fit ex patiente ſubiecta materia eſſe debet. Nihil autem patiens ex eo quod incorporeum ſit, nec ab aliquo quidem ſit. Non eſt igitur cauſa. atq; ita colligitur minimè ſubſiſtere principia rerum. Aliquid enim ſit neceſſe eſt quod

quod facit atque operatur. Enimuero neque motus eſt:. nam quod mouetur vel in loco vbi eſt, vel in eo vbi non eſt mouetur, non in loco vbi eſt, in quo autem non eſt, neque mouetur, non eſt igitur motus. Diſciplinas item hoc modo auferebant. Si quid (aiebãt) docetur, ſiue quod eſt eo ipſo quod eſt, ſiue quod non eſt, eo ipſo quod non eſt, docetur. Neque verò quod eſt, eo ipſo quod eſt, docetur. Nanque natura omnium quæ ſunt, omnibus patet, atq; cognoſcitur id quod non eſt, éo quod nõ eſt. Ei quod non eſt, nihil contingit, ita ne doctrina quidem, neque generatio quidem ipſa, inquiunt, eſt. Neque enim fit quod eſt, cùm iam ſit: neque quod non eſt, neq; enim ſubſiſtit. Quod autẽ nõ ſubſiſtit, neq; eſt, neq; fieri quidẽ meruit. Natura quoq; bonũ aliquod aut malũ eſſe, ita negant. Si quid (aiunt) natura bonũ aut malũ eſt omnibus bonũ aut malũ eſſe debuit, quemadmodum & nix omnibus æquè frigida eſt: nullum eſt autẽ bonũ aut malum quod ſit cõmune omniũ, non igitur eſt natura bonum aut malum. Aut enim omne quod à quopiam exiſtimatur bonum dicendum eſt, aut contrà. At omne dicendum nõ eſt: nanque idem ab aliquo putatur bonum,

S ſicut

ſicut voluptas ab Epicuro, ab aliquo è con uersò malum, nimirum ab Antiſthene. Contingit igitur id quod fieri non poteſt, idem & bonum eſſe & malum. Quòd ſi nō omne quod ab aliquo putatur, bonum dixerimus, neceſſe erit nos diſcernere opiniones, quòd per parem rationū vim poſſibile non eſt. Ignoratur itaque quòd ſit natura bonum. Licet autem totum cōcluſionis illorum modum ex his quæ relinquêre monumentis animaduertere. Quāquàm Pyrrho quidem ipſe nullum reliquit opus, verùm diſcipuli & neceſſarij eius, Timon & Aeneſidemus, Numenius ac Nauſiphanes, atq; alij huiuſmodi, quibus obſtrepētes dogmatici aiunt illos cōprehēdere & decernere. Nam in eo quod arguere, & cæteros euertere conantur, profectò comprehēdunt, atque in eo ipſo, & aſſerunt, & dogmata aſtruunt. Nam cùm ſe nihil definire aiunt, omniq; rationi contrariam obiectam eſſe rationem, ea ipſa & definiunt & proferunt. Aduerſus quos illi reſpondent. Atqui ea quæ patimur vt homines, fatemur: nam & quòd dies ſit, quòd ſit generatio, quodq; viuamus, & cætera in hunc modum, quæ in vita noſtra manifeſta ſunt ſcimus: cæterùm

in his

in his quæ dogmatici aſſerunt, ea ſe ratione comprehendere dicentes, veluti de incertis neutiquam conſentimus, ſolas verò paſsiones agnoſcimus. Nam & nos videre confitemur, noſq; intelligere ſcimus: verùm quo pacto videamus, aut intelligamus, ignoramus. Quin quòd hoc album videatur narrando dicimus, non aſſerendo an reuera ita ſit. Porrò de ea voce qua nihil nos definire dicimus, atque ſimilibus quæ dicuntur dogmatibus, neque enim ſimilia ſunt his quæ illi aſſerunt, puta quòd globoſus ſphæræ inſtar ſit mundus. Nam id quidem incertum eſt. Hæ verò certæ conſenſiones ſunt. In eo itaque quod nihil definire dicimus, neque hoc ipſum definimus. Rurſus illos dogmatici vitam etiam tollere aſſerunt, dum omnia ex quibus vita cõſtat euertunt. at contrà eos illi mentiri aſſeuerant, non enim viſum ſe auferre, ſed quomodo ſe habeat vis vidēdi ignorare ſe dicunt. Atque quod apparet ponimus, non quòd tale, quale cernitur, ſit. Nā quod vrit ignis ſentimus, verùm an habeat incendendi naturam, non pronuntiamus, quodq; moueatur quiſpiam, & quòd pereat videmus, verùm iſta quo pacto fiant ignoramus. Eis igitur, aiunt, ſolùm relu-

ctamur, quæ in conſpicuis rebus proximè aſsiſtunt incerta. Nanque dum ſtatuam eminentias habere dicimus, quod videtur exponimus: cùm verò non habere eminẽtias aſſerimus, non iam quod cernitur, ſed aliud dicimus. Vnde & Timon in Pythone ait, non exceſsiſſe conſuetudinem: at in Indalmis ita dicit:

Ἀλλὰ τὸ φαινόμενον παντὶ σθένει οὗπερ ἂν ἔλθῃ. hoc eſt,

Quòd verò apparet tota vi vtcunque profectum.

Atque rurſus in libro de ſenſibus: Quòd, inquit, iſtud dulce ſit non pronuntio, quòd autem videatur aſſentior. Aeneſidemus quoq; in primo de Pyrrhonis rationibus, nihil ait per modum dogmatis definire Pyrrhonem, propter cõtradictionem, verùm quæ ſunt conſpicua ſequi. Eadem fermè ait in libro contra philoſophiam, & in libro de quæſtione. Zeuxis itidem Aeneſidemi neceſſarius in libro de duplicibus rationibus. Antiochus item Laodicenus & Apelles in Agrippa ea ſolùm ponunt quæ videntur. Eſt igitur iudicium ſecundũ Scepticos quod videtur ſicuti & Aeneſidemus ait: ea in ſententia & Epicurus fuit. Porrò Democritus nihil ſe noſſe ait eorum quæ

videntur.

videtur. Quædam verò ex his ne esse quidem. Aduersus huiusmodi iudicium, eorũ nimirum quæ videntur, dogmatici aiunt ab eis ipsis varias fantasias incidere, quemadmodum à turre vel rotunda, vel quadrata. Scepticus si neutrã præfert sine effectu erit: sin verò alteram sequitur, nõ iam, inquiunt æquas vires his quæ vidẽtur reddet. Ad quos aiunt Sceptici, quòd quando variæ incident imaginationes vtrasque videri dicemus, atque ideo visibilia ponere, quia videntur. Postremò autem Sceptici finem aiunt, nihil quicquam definire neq; pronuntiare, quam rem sequatur vmbræ in morem animi tranquillitas atque constantia, vt ait & Timon & Aenesidemus. Neque enim ista aut fugeremus aut eligeremus, quæ in nobis sunt: quæ verò in nobis non sunt, sed per necessitatem vitare nõ possumus, vt est esurire, & sitire, & dolere. Neque enim ista ratione auferri possunt. Dicẽtibus verò dogmaticis, posse viuere Scepticum non detrectando, si iubeatur etiam patrem necare, respondent illi de dogmaticis, quo modo viuere poterit & abstinere quæstionibus, non de rebus vitæ communis & obseruandis. Itaque & eligimus aliquid ex consuetudine, & fugi-

mus,& legibus vtimur. Sunt qui dicãt Scepticos finem dixisse * tranquillum animi statum, sunt qui mansuetudinem.

* ἀταράξιαν.

TIMON NICAEVS.

Timon Apolloniates Nicæus, de quo in primo commentariorum in Sillos libro diximus, quod opus suũ ille Tiberio Cæsari dedicauit, Timonem asserit patre Timarcho, genere Phliasium fuisse, iuuenemq; saltationi operã dedisse, choreasq; duxisse, postea verò mutata sententia Megara se ad Stilponem contulisse, qui cùm diutius commoratum, rursus in patriam redisse, vxoremq; duxisse. Tum in Elidem venisse cum vxore ad Pyrrhonem, ibiq; moratum esse, quoad illi filij nati essent, quorum qui maior natu erat, Xanthum vocasse, medicinamq; docuisse, vitæ etiamnum & instituti sui successorẽ reliquisse. Erat autem, vt & Sotion in decimo testatur, eloquentia & sapientia insignis, qui cùm egeret alimentis, vt Hellespontum Propontidemq; concessit, atque in Chalcedone philosophiam, & oratoriã exercens, multum admirationis emeruit. Hinc iam locupletior factus, Athenas profectus est, atque illic ad obitum vsq; perseuerauit, cùm breue tempus Thebis egisset.

ſet. Quin & Antigono Regi & Ptolemæo Philadelpho cognitus & charus fuit, ſicuti ipſe in Iambis atteſtatur. Erat autē, inquit Antigonus, & potationis ſtudioſus, atque Philoſophis interdum vacabat. Nam & poëmata conſcripſit, & verſus, tragœdias, & ſatyras,& comœdias triginta,tragœdias verò ſaxaginta,Sillos item & cinædos. Feruntur eius & libri varij ad viginti verſuū millia producti, quorum & Antigonus Caryſtius meminit, qui vitam ipſius conſcripſit. Sillorum verò libri tres ſunt, in quibus vtpote ſcepticus in dogmaticos omnes maledicta atque conuitia ingerit,ex his primus planam atque perſpicuam habet interpretationem,enarrationis in modum.Porrò ſecūdus & tertius dialogi ſpeciem tenent. Videtur autem Zenophanē Colophontum de ſingulis percontari, atque ille ſibi reſpondere.Atque in ſecundo quidem de antiquioribus, in tertio autem de poſterioribus agit.Vnde illum quidem epilogum inſcripſere. Primus autem eadem continet, præterquam quod poëſis illa ex perſona ſua eſt. Hoc autem illius fuit initium:

Ἔσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονές ἐστε σοφισταί. id eſt,

Nunc mihi adeste omnes gens importuna sophistæ.

Hunc ego luscum didici. Nam & ipse Cyclopem se appellabat. Fuit & alter Timon hominum osor. Fuit autem hic philosophus Timō, hortorum studiosus maximè, ac solitudinis amans, quemadmodum & Antigonus refert. Fertur Hieronymus Peripateticus de illo dixisse, Sicut apud Scythas & qui fugiunt, & qui persequuntur sagittas torquent, ita & apud philosophos, alij persequendo discipulos capiunt, alij fugiendo, quemadmodum & Timon. Erat autem acri ingenio ad percipiēdum, atque ad irridendum promptus & vehemes, literatorq; illustris, & vt poëtis fabulas scriberet, ac tragœdias conderet in primis valebat. Alexandrum enim & Homerum tragœdiarum socios accersere gaudebat. Et facillimè ferebat cùm vel ab ancillis vel à canibus perturbaretur, nihil æquè studens, atque tranquillam vitam apprehendere. Aiunt Aratum ab illo quæsisse, quo pacto quispiam Homeri poëma sine menda consequi posset, illumq; dixisse, antiqua si incidat in exemplaria, non ea quæ nuper emendata sunt. Neglecta quoque apud illum poëmata iacebant aliquā-

do & corrosa, adeò vt cùm & Zopyro oratori quiddam recitaret, euolueretq; volumen, & quod occurreret legeret, in medio ferme operis principiū notarit auulsum, lego eatenus ignorans. Adeò verò frugi ac facilis in victu erat, vt nullum prandij tempus obseruaret. Aiunt autem ipsum cùm vidisset Arcesilaum assentatorem incedentem medium dixisse, quid huc tu venisti vbi nos liberi sumus? Assiduè dicere solitus erat in eos qui sensus cum animi attestatione diiudicant. Conuenit Attagasq; & Numenius: consueuerat & ista ludere. Ad eum enim qui cuncta mirabatur ait, quid autem non miraris, quia tres cùm simus, quatuor habemus oculos? Erat autem ipse vnoculus, & Dioscorides discipulus eius. Rogatus autem aliquando ab Arcesilao cur ex Thebis adesset, ait, vt vos in aperto intuens rideam. Arcesilaum tamen cùm in Sillis carperet, laudauit illum in eo libro qui inscribitur, Arcesilai de cœnis. Huius successor, vt Menedotus refert, nemo fuit, sed eius deficit institutum donec illud Ptolemæus Cyrenæus instaurauit. Porrò Hippobotus & Sotion, ipsius auditores fuisse tradunt Dioscoridem Cyprium, & Niolochum Rhodium Euphranoremq; Se-

leucium, & Praylum à Troade, qui adeò constanti animo fuit, vt tradit Philarchus historicus, vt pateretur se iniustè, vt proditorē affici supplicio, ciues ne verbo quidē supplicatus. Euphranorē autē Eubulus Alexandrinus audiuit. Eubuli verò Ptolemæus auditor fuit. Eū verò Sarpedo & Heraclides audiuere. Porrò Heraclidē Aenesidemus Gnosius audiuit, qui Pyrrhoniarū rationū octo cōscripsit libros. Aenesidemū Zeutippus Polites, Zeutippum verò Zeuxis qui γωνιώπυς dicebatur. Hūc Antiochus Laodicenus ex Lyco, quem rursus Menodotus Nicomedensis medicus empiricus, & Theodas Laodicenus audiere. Menodotum autem Herodotus Ariei filius Tarsensis, Herodotum verò Sextus empiricus audiuit, cuius sunt decem illa volumina, aliaq; pulcherrima. Porrò Sextum Saturrius audiuit cognomento Cythenas & ipse empiricus.

*

DIOG

DIOGENIS LAERTII DE PHILOSOPHORVM VITA, LIBER X.

EPICVRVS.



PICVRVS Neoclis & Chæreſtratę filius, patria quidem Atheniensis, pago verò Chagettius ex Philaidarum familia, vt Metrodorus in libr. de ingenuitate refert, fuit. Sunt qui illum dicant, & in primis Heraclitus in Sotionis * breuiatione, cùm Athenienses Samum ſortiti eſſent, illic nutritum eſſe, ac demum octauum & decimum agentem ætatis annum, rurſus Athenas conceſsiſſe, quo tempore & Xenocrates in Academia, Ariſtoteles Chalcide ſcholam habebant. Defuncto autem Alexandro Macedone Rege, & Athenienſium ſub Perdica afflictis rebus, Colophonem ſe ad patrem contuliſſe. Vbi cùm aliquandiu commoratus eſſet, congregaſſetq; diſcipulos, Athenas iterùm rediſſe ſub Anaxicrate, ibiq; aliquouſque cum cæteris in com- * ἐπιτμῇ

munne

mune philoſophatum eſſe, deinde ſeorſum ſectam à ſe vocatam conſtituiſſe. Decimoquarto verò ætatis anno philoſophiæ dare operam cœpiſſe ipſe teſtis eſt. Apollodorus autem Epicureus in primo de vita Epicuri, refert illum ad philoſophiam ſe contuliſſe grammaticos inſectantem, ac ſophiſtas, quòd percontanti quidnam eſſet apud Heſiodum chaos, exponere non potuiſſent. Grammaticam verò illum docuiſſe primum, ac demum lectis Democriti libris philoſophiæ dediſſe operam Hermippus autor eſt, atque ob id Timonem de illo dixiſſe:

Ὕστατος ἐν φυσικὸς, καὶ ὕστατος ἐκ Σάμου ἐλθὼν,
Γραμματοδιδασκαλίδης ἀναγαγότατος ζωόντων.

Vltimus ex phyſicis Samiáque hic vltimus ora
Præceptor iuuenum & morum formator amœnus.

Adiecti ſunt autem illi ad philoſophandū, ipſo hortante tres ipſius fratres, Neocles, Chæredemus, & Ariſtobulus, vt ait Philodemus Epicureus in x. de philoſophorum compoſitione. Seruus item illius Mus nomine, vt Myronianus refert in legibus hiſt

historicis capitulis. Enimuerò Diotimus Stoicus infesto aduersus illum animo, accerrimè insectatus est, quinquaginta circunferens impudicas & lasciuas veluti ab Epicuro scriptas epistolas, easq; quæ Chrysippi feruntur veluti sub eius nomine cõponens. Posidonius item Stoicus & Nicolaus & Sotion in XII. eorum quæ inscribuntur Dioclis argumenta. Sunt autem fere XXIIII. & Dionysius Halicarnasseus, vnà cum matre ędiculas circuisse purgamenta legentem, literásq; cum patre docuisse mercedis exiguæ stipe tradunt. Vnus quoque è fratribus lenocinatum esse, ipsumq; Leontiæ meretrici congredi solitum. Democriti quoq; de atomis, Aristipiq; de voluptate libros vt suos asseruisse, neq; fuisse legitimum ciuem, vt Timocrates ait, & Herodotus in libro de pubertate Epicuri. Mithræq; Lisimachi dispensatori per epistolas fœde adulatum esse, Pæanem illum ac regem appellando. Idomeneum itidem & Herodotum atque Timocratem qui se adhuc obscurum suáq; dogmata illustrarent, per epistolas laudare, eisque ob hoc ipsum assentari. Scribens ad Leontiam in epistola id agit, inquiens in hũc modum, παιὰν ἄναξ. ò mea Leontiola, cuiusmodi me

me impleuit plausus tuam epistolulā cùm legerem. Ad Themistam item Leontis vxorem, Quotus enim, inquit, ego sum nisi vos ad me proficiscamini? promptus ipse quocunque vos ac Themista me accersatis irrumpere. Ad Pytoclem verò formosum adolescentem, Consumor, inquit, atque deficio, amabilem tuum atque diuinum ad te ingressum operiens. Rursumq; ad Themistam scribens, monere ipsum arbitratur, vt Theodotus in quarto aduersus Epicurum libro ait. Aliis item compluribus meretricibus scribit, & Leontiæ in primis, quam & Metrodorus amarit. In libro quoque de finibus sic loquitur. Nam equidem nihil habeo quod bonum intelligam, si saporum voluptates, & quæ ex Venereis constant, & quæ auribus percipiuntur, quæq; ex formæ venustate blandiuntur oculis, auferam. Scribit item in epistola ad Pytoclem, Omnem autem disciplinam ô fortunati fugite. Epictetus quoque vt lasciuius loquentem sugillat, maximísque probris incessit. Timocrates item in his quæ inscribuntur de lætitia, Metrodori frater ipsiúsque discipulus, eius relicta schola bis illum diebus singulis vomere solitum è nimiis deliciis solutum refert,

fert,ſeq; ipſum narrat vix effugere potuiſſe nocturnam illam philoſophiam, arcanámque illam conuentiunculam. Epicurum quoque multa in oratione peccare, atque in vita longè plura, corporeq; adeò miſerabiliter affectum, vt multos annos conſurgere è ſella nequiuerit, minam interim quotidie in cibos conſumere, vt ipſe in epiſtola ad Leontiam ſcribit, atq; in eis quas ad Mitylenenſes philoſophos ſcripſit. Congredíque illi vnà cum Metrodoro & ſcorto alia. Marmarium,& Hediam, Erotium,& Nicidium, in eis quoque voluminibus quæ de natura ſcripſit triginta quinque numero, complura huiuſmodi inſerere, contrariáque in ipſis aliis quidem multis, Nauſiphani verò in primis ſcribere, ita ferè ad verbum dicens, Sed, habuit ille velut parturiens ab ore iactantiam ſophiſticam, quemadmodum & alij complures ex mancipiorum numero. Ipſumq; Epicurum in epiſtolis iſta de Nauſiphane dicere. Adduxit illum in eiuſmodi animi exceſſum, vt ne maledictis impeteretur, magiſtrúmque inuocaret, πλεύμονα quoque ipſum ac deceptorem, & ſortum ac ſine literis vocabant. Platonis item ſectatores, Dionyſij aſſentatores, Platonem quoque

que ipſum aureum, Ariſtotelem prodigum, qui paterna ſubſtantia conſumpta militaſſet, & * venena vendidiſſet. Appellabat baiulum Protagoram, & librarium ac ſcribam Democritum, qui in comeſſationibus vixiſſet literáſque docuiſſet. Heraclitum quoque κυκητὴν merobibum. Democritum Lemocritum, & Antidorum σαννίδωρον. Cyzicenos inimicos Græciæ, & dialecticos nimium inuidos. Pyrrhonem quoque indoctum & imperitum appellabat. Sed hi profectò inſaniunt. Namque viri huius aduerſus quoſuis incredibilē gratitudinem permulti teſtantur: patria item quæ ſtatuis æreis illum honorauit: amici quoque tam multi, vt eos ne vrbes quidem integræ capere poſsint: familiares præterea omnes ac diſcipuli quos illius dogmaticę Syrenes occuparunt: præter vnum Metrodorum Stratonicenſem, qui ab illo ſe ad Carneadem contulit: cui forte grauis erat viri incomparabilis & immenſa bonitas: illiúſque ſcholæ perpetua ſucceſſio: quæ cæteris ferme omnibus deficientibus ſola perſiſtit: perpetuis vicibus diſcipulis ſibi inuicem ſuccedentibus. Summa præterea in parentes pietas, atque præcipua in fratres beneficentia, manſuetudoq; in ſeru

* φαρμακοπωλῶν

inſeruos, quemadmodum & ex eius teſtamentis liquet, & quòd ſecum illi vnà philoſophati ſunt, ex quibus tamen clariſsimus fuit is, quem prædiximus. Eximia, vt in ſumma complectar, eius in omnes humanitas fuit. Nam quid de cultu in deos, & de amicitia aduerſus patriam dicam, quam conſtantiſsimè vſque ad finem tenuit? quippe qui per ſummam modeſtiam ad Rempublic. accedere noluit. Ei cùm difficilima tempora tunc Græciam premerent, ſemper ibi perſeuerauit, bis aut ter ſolum ad Ioniæ loca profectus, ad amicos, qui ad illum vndique numeroſiſſimi conueniebant, ac vnà cum illo in horto viuebant, vt ait etiā Apollodorus, quem & octoginta minis cōparauit. Porrò Diocles in tertio * incurſionis libro illos ait vilisſimis & ſimplicisſimis cibis vixiſſe. Parcisſimo enim, inquit, vini poculo contenti erant omníſque aqua illis ad potum cedebat. Nolebat autem Epicurus ſectatores ſuos in commune opes deponere veluti Pythagoras, qui communia omnia amicorum dicebat. Nam id, inquit, eorum qui diffiderent potius fuit quàm amicorum. Ipſe quoque in epiſtolis aqua tantum & cibario pane ſe contentum eſſe teſtatur, &

* ἐπιδρομῆς.

mitte, inquit, mihi casei cythridi paululũ, vt cum epulari pretiosius voluero possim. Huiusmodi illius vita fuit qui voluptatem finem asserit, quem Athenæus ita suo laudauit epigrammate:

Ἄνθρωποι μοχθεῖτε τὶ χέιρονα, καὶ διὰ κέρδος
Ἄπληστον: νεικέων ἄρχετε καὶ πολέμων;
Τῆς φύσιος δ' ὁ πλοῦτος ὅρον τινὰ βαιὸν ἐπίσχει.
Αἱ δὲ κεναὶ κρίσιες τὰν ἀπέραντον ὁδόν.
Τοῦτο νεοκλῆος πινυτὸν τέκος, ἢ παρὰ μουσῶν
Ἔκλυεν, ἢ πειθοῦς ἐκ ἱερῶν τριπόδων.

hoc est,

Quis furor, ô ciues, vt vos ob vile lucellũ
Rixas, & bellum sollicitetis atrox?
Nam natura opibus facilè est contenta pusillis,
Contenta nullis ambitio est opibus.
Hoc Epicurus ait, dulces quem nempe camœnæ
Aut Suadæ tripodes edocuere sacri.

Sciemus id manifestius in sequentibus, ex dogmatibus & ex verbis eius. Maximè verò, autore Diocle, ex antiquis amplectebatur Anaxagoram, etsi in quibusdam illi contradixerit. Archelaum quoque

Socrat

Socratis magiſtrum. Exercebat, inquit, diſcipulos vt etiam memoriter tenerent ipſius ſcripta. Hunc apollodorus in chronicis Nauſiphanem & Praxiphanem audiſſe tradit. Verùm hoc ille de ſe non dixit in ea quæ extat eius ad Euridotum epiſtola. Sed neque Leucippum aliquem philoſophum fuiſſe ait, neque ipſe neque Hermachus, quem Democriti fuiſſe præceptorem, cum alij tradunt, tum etiam Apollodorus Epicureus. Cæterùm Demetrius Magneſius Xenocratis eum quoque auditorem fuiſſe aſſerit. Vtitur autem in rebus vocabulis propriis, quæ quoniam ſimplicisſima ſunt, ea Ariſtophanes grammaticus taxat. Adeò autem apertus dictione fuit, vt in lib. de oratoria, nihil aliud quàm perſpicuitatem orationis inquirendum ac perſequendum moneret. Atque in epiſtolis vbi cæteri ſcribebant χαίρειν ipſe εὐπράττειν, & honeſtè viuere præclarum eſt. Alij tradunt in vita Epicuri normam illum ſcripſiſſe, de Nauſiphanis tripode, cuius fuiſſe auditorē tradunt, & Pamphili Platonici in Samo, cœpiſſe duodecimum agentem ætatis annum philoſophię operam dare, circiter trigeſimum quintū ſcholæ præeſſe. Naſcitur autem, inquit,

Apollodorus in chronicis, centeſimæ nonæ olympiadis anno tertio, ſub Soſigene principe, menſis gamelionis ſeptimo ſeptem annis poſt Platonis obitum. Cùm verò triginta duorum eſſet annorum, primum Mitylenæ & Lampſaci ſcholam inſtituit annis quinque, demum Athenas migrauit, vbi diem obiit anno centeſimæ ſeptimæ olympiadis ſub Pytharato, cùm ſeptuaginta & duos vitæ impleſſet annos. Succeſsit illi in adminiſtratione ſcholæ Hermachus Agemarchi filius Mityleneus. Obiiſſe calculo vrinæ exitum impediente Hermachus in epiſtolis ait, morbo quatuordecim diebus fatigatum. Quo etiam tempore tradit Hermippus deſcendiſſe illum in peluim æream aquis calentibus plenam, petiſſeque merum ſibi ad ſorbendum dari, atque monentem amicos vt ipſius decretorum memores eſſent, inter verba defeciſſe. Eſt autem in eum quod ſcripſimus epigramma in hunc modum:

Χαίρετε καὶ μέμνησθε τὰ δόγματα τοῦτ' Ἐπίκουρος
Ὕστατον εἶπε φίλοις οἷσιν ἀποφθίμενος.
Θερμὴν δὲ πύελον γὰρ ἐσήλυθε, καὶ τὸν ἄκρατον

Ἔσπα

ἔσπασεν, εἶτ' ἀΐδην ψυχρὸν ἐπεσπάσατο.

hoc est,

Hoc moriēs charis Epicur⁹ dixit amicis,
Dogmatis ô memores vsq; valete mei.
Qui calidam ingressus peluim, sitientius hausit
Suaue merum, hinc stygias ebrius hausit aquas.

Hæc viri vita, hic finis fuit. Testamentum quoq; ipsius legimus. Mea omnia Amynomacho Philocratis filio Batithæ do, Timocratíque Demetrij filio Potamio secundum eam, quæ in metro scripta est vtrique factam donationem, ea conditione, vt hortum quidem, & quæ in illo sunt Hermacho Agemarchi filio Mitylenæo asignent, eísque qui cum illo vnà philosophantur & aliis philosophiæ successoribus quos reliquerit Hermachus, vt in eo philosophiæ dare operā posint. Vtq; semper hi qui à nostro nomine philosophi appellantur perdurent, Amynomacho & Timocrati eam quæ in horto est scholam, depositi iure commendo, ipsorumq; posteris. Cauebunt autem ipsi mandabuntq; hæredibus hortum illum seruent, quemadmodum & ipsi, tradántque philosophantibus ex nostro nomine. Porrò domum quæ

est in Melite, dabunt Amynomachus, & Timocrates Hermacho inhabitãdam, vnáque his qui secum philosophantur quamdiu Hermachus vixerit. Ex earum autem rerum reditibus quæ à nobis legatæ sunt Amynomacho, & Timocrati, quantũ fieri possit cum Hermacho diuidant, curent vt natalis dies parentibus, & fratribus ac nõbis quotãnis solenniter agatur, intra diem decimam Gamelionis, vt etiam in cõuentu solenni eorũm qui nobiscum philosophantur, cuiusque mensis vigesima die in nostram, & Metrodori ordino. Curent quoq; diem fratrum, Posidæonis. Insuper curent diem Polyæni Metagitnione, sicut & nos fecimus. Curæ autem sit Amynomacho & Timocrati; Metrodori filium Epicurũ, filiumq; Polyæni educare, dum philosophantur, & cũ Hermacho degunt. Similiter & Metrodori filiæ curam habeant, & cum ad ætatem peruenerit, tradant eam viro quẽ elegerit. Hermachus, ex his qui secum philosophantur, sitq; illa obtemperans, & pareat Hermacho. Dent autem Amynomachus, & Timocrates ex reditibus nostris in cibũ his singulo quoque anno, vt ipsis quàm commodissimè fieri posse videbitur, id cum Hermacho

delib

deliberantes. Faciant item secũ redituum dominum Hermachum, vt ex eius consilio qui nobiscum cõsenuit in philosophia, princepsq; relictus est scholæ nostræ, fiant singula. Dotem verò puellæ cum ad annos nubiles venerit, dare curabunt, Amynomachus, & Timocrates quantum eis sàtis esse videbitur ex bonis auferentes, cõmunicato prius cum Hermacho consilio. Curam item habeant Nicanoris quemadmodum & nos ipsi, vt quotquot nobiscum philosophati sunt, atque res suas in communem vsum contulerunt, omnemq; alacritatem ostendentes, nobiscum in philosophiæ studiis consenuerunt, pro modulo facultatum nostrarum nulla re quæ ad victum necessària est, egeant. Libros autem omnes nostros Hermacho tradant. Quòd si quid humanum Hermacho contigerit prius quàm Metrodori liberi ad ætatem perueniant, curæ sit Amynomacho, & Timocrati, vt liberaliter illi educentur, accipiàntq; ex facultatibus nostris quæcunque illis erunt necessaria, curamq; cæterarum rerum, vt à nobis institutũ est agant, vt singula quantum fieri potest fiant. Ex seruis autem liberos dimitto Murem, Niciam, & Lyconẽ, Phædrion item dimitto

liberam. Iam verò moriens ſcribit ad Idomeneum epiſtolam huiuſmodi,

CVM ageremus vitæ beatum,& eundem ſupremum diem, ſcribebamus hæc. Tanta autem vis morbi vrgebat veſicæ, & viſcerũ,vt nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere. Compenſabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationũ inuentorumq; noſtrorum. Sed tu,vt dignum eſt, tua erga me & erga philoſophiam voluntate ab adoleſcentulo ſuſcepta, fac vt Metrodori tueare liberos. Hoc illius extremũ teſtamentum fuit.Fuerunt autem illi *diſcipuli* plurimi egregij, & ſapientiſsimi, Metrodorus Athenienſis, Timocrates, & Sandes Lampſacenus, qui & ex quo agnouit virum,ab eo numquam diſceſsit,niſi tantùm ſex menſes, quibus domum profectus denuo ad illum reuerſus eſt. Fuit autem vir per omnia bonus, quemadmodũ & Epicurus in * præcipuis ſcribit. Atteſtatur autem in tertio, & Timocrates. Huiuſmodi autem cum eſſet,ſororem etiam Batidem Idomeneo tradit vxorem. Leontia Attica meretrice aſſumpta pro concubina vſus eſt.Erat autem intrepidus aduerſus turbationes omnes atq; mortem,ſicut Epicurus in pri

* προηγουμένοις.

in primo Metrodoro tradit. Aiunt illum ſeptem annis ante Epicurũ obiiſſe diem, quinquageſimũ & tertium agentem ætatis annum. Ipſe autem Epicurus, in iis quæ recitauimus teſtamentis ipſius, vt vita functi filiorum curam haberi mãdat. Habuit autem & prædictum familiarẽ quendam Metrodori fratrem Timocratem. Porrò Metrodorus hos ſcripſit libros, ad medicos tres, ad Timocratem de ſenſibus, de magnificentia, de morbo Epicuri, aduerſus dialecticos, aduerſus ſophiſtas nouem, de itinere ad ſapientiam, de mutatione, de diuitiis, aduerſus Democritum, de nobilitate. Fuit & Polyænus quidam Athenodori filius Lampſacenus modeſtus & amabilis, vt Philodemus ait. Succeſſor item eius Hermachus Agemachi filius, Mitylenæus, vir inſignis, patre quidem paupere, at principio oratoriæ deditus. Feruntur & huius pulcherrima iſta monumenta, de Empedocle epiſtolæ viginti duæ, de diſciplinis aduerſus Platonem, aduerſus Ariſtotelem. Moritur autem apud Lyſiam, vir ſanè, vt diximus, illuſtris. Leonteus itidem Lampſacenus, eiusq; coniunx Themiſta, ad quam etiam ſcribit Epicurus. Colotes quoq; & Idomeneus & ipſi Lam-

psaceni. Atque isti quidem nobiliores ex Epicuri ludo fuere, adiecto & Polystrato successore Hermachi, cui succeßit Dionysius, cui Basilides. Apollodorus quoque κηποτύραννος dictus, clarus fuit, qui vltra quadringenta volumina conscripsit. Duo quoque Alexandrini Ptolemæi Melas, atque Leucus. Zeno quoq; Sidonius Apollodori auditor, qui infinita scripsit. Demetrius etiam cognomento Lacon, ac Diogenes Tarsensis qui selectas conscripsit scholas. Orion item, & alij quos hi qui germani Epicuri sunt, sophistas appellant. Erant autem & alij Epicurei tres, Teleontei filius, & Themistæ, alter Magnesius, quartus Oplomachus. Scripsit autem Epicurus infinita volumina, adeò vt illorum multitudine cunctos superarit. Namque Cylindri ad trecentos sunt, in quibus nullum extrinsecus quæsitũ testimonium est, solisq; referti sunt Epicuri sententiis. Aemulatus est illum Chrysippus in scribendo multa, sicut Carneades etiam refert parasitum illum librorũ dicens. Nam si quid Epicurus scriberet, idem scribere & Chrysippus contendebat. Atq; ideo sæpius eadem scripsit. Vnde & tumultuariè scribere, ac parum emendatè illi ex festi-

natio

natione contingebat, totq; testimonia inserit, vt ex his solis libri pleni esse videantur, quemadmodum & apud Zenonem, & apud Aristotelē inuenire in promptu est. Tam multa autem, & tam præclara sunt Epicuri volumina. Ex quibus ista vel optima sunt: de natura triginta & septem, de atomis & vacuo, de amore. Epitome eorum quæ aduersus physicos scripta sunt, aduersus Megarenses dubitationes, * raræ opiniones, de sectis, de plantis, de fine, de iudicio siue regula. Chæredemus de diis, de sanctitate, Hegesionax, de vitis quatuor, de * iusto opere, Neocles. Ad Themistam, Symposium. Eurylochus, ad Metrodorum, de visu, de angulo atomi, de tactu, de fato, de perturbationibus, opiniones ad Timocratem, Pronosticon, Exhortatorius, de imaginibus, de fantasia, Aristobulus de musica, de iustitia & virtutibus aliis, de donis & gratia, Polymedes, Timocrates tres, Metrodorus quinque, Antidorus duo, de austris opiniones, ad Mithrem, Callistolas, de regno, Anaximenes, Epistolæ. Vnam autem ipsarum, si videtur conabor ponere, tribus eius propositis epistolis, in quibus omnem philosophiam suam breuiter collegit.

* κύριαι
* δικαιοπραγίας.

git. Ponemus autem peculiares ipsius opiniones, & si quid visum est eloqui, electione dignum, vt omni ex parte cuiusmodi vir fuerit addiscas, si tamen ad hæc iudicanda idoneus sum. Primam igitur epistolam scribit ad Herodotum, de summa rerum omnium naturalium. Secundam verò ad Pythoclem, quæ de cœlestibus corporibus est. Tertiam ad Menœceum: continet autem ipsa, de vitis. Ordiendum autẽ videtur à prima, cùm prius pauca dixerimus, de diuisione philosophiæ iuxta ipsum. Tres igitur in partes, & ipse philosophiam diuisit, Canonicã, Physicam, Ethicam. Canonica igitur illa accessum continet ad opus. Agitur de illa in libro qui inscribitur Canon. Porrò Physica naturæ totam speculationem continet, de qua in libris naturalium triginta octo, atque in epistolis per elementa disseritur. Ethica verò de electione, & fuga differit, quæ in voluminibus de vitis, & epistolis, ac libro de fine tractatur, Consueuerũt autem canonicam naturali coniungere, appellantq; illam de iudicio, & principio sine introductione. Naturalem verò de generatione, & corruptione, & de natura. Cæterùm moralẽ de his quæ eligi

vel

vel vitari debent, & de vitis, & de fine. Enimuerò dialecticam vt transuersum agentem repudiant. Posse enim physicos abundè simplicibus,& propriis rerum vocabulis agere. Ait igitur Epicurus in canone quodam sensus, iudicia esse veritatis,& anticipationes, & affectus. Epicurei præterea fantasticos intuitus mentis adiiciunt. Dicit autem & in ea, quam ad Herodotum scripsit epitome, atque in certis illis opinionibus. Omnis enim, inquit, sensus irrationalis est,nulliusq; memoriæ capax. Neque enim à seipso mouetur,neque ab altero motus potest aliquid adiicere siue auferre,nec est quod ipsos possit arguere. Nam neq; similis sensus similem potest, quod par sit vtriusq; vis, neque dissimilis dissimilem,quippe qui non earundem rerum iudices sint, ac ne ratio quidem ipsa. Nanque omnis ratio à sensibus ducta est, neq; alter alterum: omnibus enim intendimus, eoq; asseritur sensuũ veritas, quòd quæ sensu vigent, ea subsistant. Porrò & videre nos, & audire non secus ac dolere subsistit. Quocirca & de incertis oportet ab his quæ appareãt signis colligere. Nanque & cogitationes omnes à sensibus manant, secundum incidentiam, & propor-

tionem, & similitudinem, & compositionem, cooperante aliquid etiam ratione ipsa. Insanorum imaginationes, ac visa etiam in somnis vera sæpe sunt. Mouent enim, non autem mouet quod non est.

Cæterùm anticipationem dicunt veluti comprehensionē, seu opinionem ratam, siue cogitationem, siue vniuersalem intelligentiam insitam, hoc est, memoriam eius rei, quæ sæpe extrinsecus apparuit, vt exempli gratia, tale quiddam homo est. Simul enim atq; homo nominatur, continuò per anticipationem forma etiam illius intelligitur, præcedentibus ac ducibus sensibus. Prorsus igitur quod prius omnibus nominibus ordinatū est, manifestum est. Neque enim profectò quæreremus, quod inquirimus, nisi prius illud nouissemus. Verbi gratia, quod procul abest, equus'ne an bos est. Oportet enim antea per anticipationem agnouisse bouis, & equi formam. Neque enim aliquid nominaremus nisi prius per anticipationem illius forma per oculos animo impressa esset. Euidentes sunt igitur anticipationes, quod opinabile est a priore certo aliquo pēdet, ad quod illud referimus, quod opinamur, vt vnde nouimus, an sit istud

homo

homo nécne, hanc enim opinionem appellant siue opinationem, & veram esse, & falsam dicunt. Nam si quidem pro testimonio sumatur, pro illa, siue contra illam agendum sit, falsa est. Vnde etiam introductum est προσμένειν, id est, perseuerare, vt prope turrim accedere, & contemplari qualis propè videatur. Perturbationes autem esse duas dicũt, voluptatem & dolorem, quæ in omne animal cadant. Ex his alteram propriam, alteram alienam esse: perq; eas iudicare electiones, & euitationes. Quæstionum quoq; alias esse de rebus, alias circa simplicem versari vocem. Atq; ista de diuisione ac iudicio summatim dicta sunt. Redeundum iam ad epistolam quàm diximus.

EPICVRVS HERODOTO S.

IIS qui nequeunt, ò Herodote, singula quæ à nobis de natura scripta sunt ad vnguem intelligere, neque maiores, de his rebus editos libros perscrutari, compendium totius operis feci, quantum satis esse putaui, vt integerrimarum opinionum memoriam facilè tenerent, vt quouis tempore in his quæ sunt rata, illis opem ferre possint, in quantũ arripuerint

naturæ

naturæ ſpeculationem. Quin eos etiam, qui iam contemplatione omnium, formam & veluti fundamenta totius operis iecerunt, huiuſce compendio adiutum iri ſpero ad facilè reminiſcendum. Nam fundamentis rei crebrò indigemus, membris non ita. Eundum igitur ad illa eſt, faciendusq; ex iugi memoriæ exercitatione habitus, ex quo & ratus maximè, validusq; ad res intuitus nobis obueniet, omnísque particularium rerum diligẽs cognitio reperietur, cùm formæ pleniſsimè animo verſantur memoriáque tenentur. Nam ea ſumma totius diligentiæ, isq; effectus eſt, huiuſce intuitu vti celeriter poſſe, ad ſimplicia elementa, atque ad concluſionum voces. Neq; enim fas eſt condenſationem perpetuæ rerũ circuitionis eſſe, niſi poſſit paucis vocibus totum in ſeipſo complecti illud, quod etiam per partes diligenter explicatum fuerit. Vnde cùm omnibus perutilis ſit, qui ſint illi familiarius dediti naturæ rationi, huiuſmodi vitæ continuationem fieri moneo in phiſiologia, eam quæ maximè tranquillitatem afferat vitæ, & eius compendium, ac veluti ſummam opinionum omnium tenere memoriter. Primum igitur mi He-

rodot

rodote,quæ ſubiecta ſunt vocibus oportet comprehendere,vt ea quæ opinamur,ſiue quærimus, ſiue de quibus ambigimus, ad ea referentes diiudicare poſsimus. At ne indiſcreta ſint omnia nobis in infinitum demonſtrantibus,ſiue inanes voces habeamus, neceſſe quidem eſt primam notionē per vnamquanque deſpici vocem, nihilq́; probatione indigere. Siquidē habebimus quæſitum vel dubitatum,vel opinatum ad quod referamus:ſiue ſecundum ſenſus obſeruare omnia oportet,ac ſimpliciter præſentes intuitus, ſiue mentis,ſiue quorumuis iudiciorum. Eadē ratione etiam perturbationes quæ adſunt,vt perſeuerans illud incertum habemus,quibus notare poſſimus. Hæc autē vbi perceperimus, de incertis iam conſpicari opus eſt. Primum quidem quod nihil ſit eo quod non eſt. Omnia enim ex omnibus fierent,ſeminibus nihil indigentia.Sed & ſi quod occidit, interiret in id quod non eſt, omnia iamdudum interiiſſent, cùm ea non eſſent in quæ diſſoluerentur.Atqui & omne huiuſmodi ſemper fuit quale nunc eſt, ſempérque tale erit, nihilq́; eſt in quod mutari poſsit. Nam præter ipſum vniuerſum nihil eſt,quod in id ingreſſum mutationem

operetur. Enimuero istud quoque etiam in maiore compendio statim à principio dixit. In primo item de natura ipsum omne est. Corpora nanque ista vt sese habeant, sensus ipse testatur in omnibus, secundum quem necesse est incertitudinem cogitationum coniicere, quemadmodum antea dixi. Nisi enim esset quod inane & locum, & quæ tangi non potest naturam nominamus, nequaquam haberent vbi nam essent corpora, neque per quod mouerentur, quæ profectò moueri perspicuum est. At præter ista nihil neque cogitatione comprehendi potest, neque per modum comprehensionis, neque secundum comprehensibilium proportionem. Quippe quæ per omnes naturas accipiuntur, neque veluti horum euentus accidentia'vе dicuntur. Eadem ferme in primo de natura, & in decimo quarto & quinto, atque in maiore compendio. Corpora alia quidem sunt concretiones, alia verò ex quibus concretiones factæ sunt. At ista indiuidua sunt & immutabilia, nisi omnia in id quod non est, interitura sunt. Cæterùm in dissolutione concretionum plena per naturam sustinere valent, cùm non habeãt quorsum, aut quo pacto solui possint. Ita-

que

que principia necesse est indiuiduas esse corporum naturas. Præterea & omne istud infinitum est. Nam quod finitum est, extremum habet. Extremum autem præter illud quippiam inspicitur. Itaque quod extremum nō habet, nec finem quidem. Quod autem finem non habet, infinitum sit necesse est, non finitum. Atqui & multitudine corporum, & vacui magnitudine omne istud infinitum est. Si enim esset infinitum vacuum & corpora finita, nusquam manerent corpora, sed ferrentur per infinitum inane dispersa, cùm non haberent quo se figerent atq; cohiberent. Quòd si vacuum finitum esset, non haberent infinita corpora vbinam subsisterent. Ad hæc verò indiuidua corpora ac plena, ex quibus & concretiones fiunt, & in quæ dissoluuntur, incomprehensibilia sunt figurarum differentiis. Neque enim possibile est ex eisdem figuris comprehensis, tot factas esse differentias, ac per vnamquanque figurationem simpliciter infinitæ sunt * similes. Porrò differentiis non simpliciter infinitæ, sed tantum incomprehensibiles sunt. Neque enim, ait, interius in infinitum sectionem esse. Dicit autem quandoquidem qualitates immu-

*aliàs ἄτομοι.

tantur, si quis eas non etiam magnitudinibus simpliciter in immensum emissurus sit, mouentur assiduo atomi. Ait enim interitus & æqua celeritate motus illas agitari, cum vacuo similem motum exhibente perpetuò grauissimè atque leuissimè. Atque illæ quidem longè à se inuicem distantes. Aliæ verò agitationem ipsam continent, cùm fuerint complexione inclinatæ, siue ipsis complexionibus sustentatæ fuerint. Nam vacui natura quæ illos singulos dirimit, hoc efficit: quandoquidem firmitatem siue affixionem facere ipsa non potest. Solidum verò quòd illis inest per collisionem, agitationem facit quantum complexio illa ex collisione restitutionem ac instaurationem dat. Horum autem initium non esse, cùm atomi & inane causæ sint. Ait autem, intrinsecus neque vllam circa atomos inesse qualitatem, præter figuram & magnitudinem & grauitatem: immutari autem colorem circa positionem atomorum in duodecim institutionibus ait, omnémque magnitudinem circa illos non esse, nūquam enim atomus sensu visa est. Hæc autem vox cùm ista omnia memorātur, figuram idoneam submittit cogitationibus naturæ

rerum.

rerum. Mundi item infiniti ſunt, ſiue huic ſimiles, ſiue qui diſsimiles ſunt. Atomi nanq; cum infinitæ ſint, vt modo demonſtratum eſt etiam longiſsimè feruntur. Neque enim conſumuntur eiuſce atomi, ex quibus fiat mundus, ſiue à quibus effectus ſit, neque in vnum, neque in infinitos, neque in ſimilibus, neque in differentibus. Nihil igitur eſt quod huiuſmodi mundorum infinitatem impediat. Imò & formæ ſimilium figurarum cum ſolidis ſunt, tenuitatibus longè ab apparentibus diſtantes. Neque enim eius receſsiones in aëre fieri non poſſunt, neque aptitudines per efficientiam concauorum atque tenuium, neque vapores conſequentem poſitionem atque inceſſum obſeruantes, eam quam in ſolidioribus habeant. Eas autem formas imagines vocamus. Atqui motus qui per vacuum fit, nullo contrà incidentium occurſu fit, omnem longitudinem comprehenſibilem in incomprehenſibili conſummat tempore. Quippe tarditatis ac celeritatis inciſio aduerſa, nec aduerſa, ſimilitudinem accipit, neque tamen ſimul ſecundum tempora quæ per rationem ſpeculamur, iuxta id quod agitur corpus ad loca plura penetrat. Nam cogitari nõ po-

test. Et hoc sensibili in tempore simul ac conuenerit, & ex quouis infinito non ex quo complectamur motum, locus recedês erit. Simile enim contrariæ illi incisioni erit, etiam si tandiu celeritatem motus non intersecandam relinquamus. Perutile est autem & hoc tenere elementum, vel si nihil aliud quàm quòd simulacra tenuitatibus summis vtuntur. Vnde iis quæ apparent palàm reluctatur, vel quòd celeritatem habeãt incomparabilem, quæ quemuis meatum moderatum habeat in hoc, ne quid illorum infinitatem vel minimum interscecet, plurimas autem & infinitas continuò aliquid refringat. Ad hæc verò quoniam imaginum generatio simul atque cogitatur contingit. Nam fluxus à corporibus eius qui fit in multa angustia, notationi perspicuus non est hoc contrariam repletionem seruans diutius solidi positionem, ordinemq; atomorum : & si aliquando confunditur, celerésque in aëre * conuentus sunt, quòd minimè oporteat altius repletionem fieri. Sunt autem alij modi à quibus naturæ huiusmodi gignantur. Nihil enim horum contra sensus attestatur, si respiciat aliquis modum aliquem effectus, vt ab exterioribus

* συςά-σεις.

ad nos

ad nos conuenientiam referant, etiamsi existimandum est cùm aliquid extrinsecus subrepit, formas nos intueri atque cogitare. Neque enim profectò resignarent quæ exteriora sunt, naturam suam, coloris scilicet atque formę, per aërem qui inter nos & illam medius est, neque per radios aut qualescunque fluxus qui à nobis ad illa manarint. Ita veluti formis quibusdam à rebus ipsis ad nos penetrantibus, quæ à coloribus formæq; similitudine nõ differant iuxta modum congruæ magnitudinis, in*aciem aut mentem celeri vtentibus motu, deinde hac ex causa quòd vnum & perpetuum est fantasiam, & consensionem reddens, à seruante subiecto, secundum eam quæ inde proficiscitur æqualem in altioribus affectionem in solido fictionis atomorum & quam animo vel sensibus fantasiam irruentem acceperimus, seu formæ, seu accidentium, forma hæc est solidi, quæ fit iuxta subsequentem densitatem, seu ex imaginum comprehensione. Porrò eò quòd opinamur mendacium semper ac falsum asseri, siue non refelli potest. Sin verò minus asseratur per immobilem nobis ipsis connexum imaginalem intuitum, perceptione præditum, per

*ὄψιν.

quam mendacium ſit. Nam ſimilitudo viſorum quæ veluti in imagine accipiuntur, ſiue illa in ſomnis fiant, ſiue per alios* intuitus mẽtis, aut iudiciorum reliquorum, nequaquam in his eſſent quæ ſunt, & vera appellantur, niſi eſſent aliqua, & hæc ad quæ iaculamur intuitum: falſum verò nõ eſſet niſi accepiſſemus & alium aliquem motum in nobis ipſis, coniunctũ quidem, cæterùm perceptione præditum. Secundum hunc autem coniunctum fantaſtico iactui, perceptionemq; habentem, ſi quidem non aſſeratur ſiue refellatur, fieri vt mendacium ſit: ſi autem aſſeratur, aut nõ refellatur, verum. Et hæc igitur operæpretium eſt vt opinio fortiter teneat, vt neque iudicia tollantur actionum, neque falſum dum æqualiter confirmatur cuncta perturbet. Atqui & auditus fit, dum flatus aliquis fertur, ſiue à vocante ſiue à ſonante, ſiue à ſtrepente, aut quoduis audiendi inſtrumentum inferente. Porrò fluxus hic in æqualium partium tumores diffunditur, quandam adinuicem ſeruantes conſenſionem, atque vnitatem propriam, ad id quod emiſit atque ad ſenſum pertingentem, qui in illo vt plurimum facit. Sin verò minus, vel quod extrinſecus eſt tantum manif

* ἐπιβολάς.

manifeſtat. Nam abſque conſenſione aliqua inde adueniente nunquam profectò fieret huiuſmodi * ſenſus. Non igitur exiſtimandum eſt aërem ipſum à procedente voce formari, vel ab his quæ ſimilis generis ſunt. Multum enim ei deeſſet, ſi hoc ab illa pateretur, ſed eum ictum qui fit in nobis, ſimul ac vocem miſerimus, huiuſmodi facere ex quibuſdam tumoribus, qui ventoſum efficiant fluxum, deinde nobis paſsionem audiendi inſinuent. Quin & hoc ipſum de odoratu ſentiẽdum quod de auditu diximus. Nunquam enim vllam effici paſsionem poſſe niſi ſint tumores quidam, qui à re ipſa ad hunc mouendum ſenſum debita menſura ferrentur, dum partim quidam perturbati atque alienati ſunt, partim verò quieti & conuenientes. Atqui atomos exiſtimandum eſt, nullam qualitatem eorum quæ videntur admittere, præter figuram & grauitatem & magnitudinem, & quæ neceſſariò figuram contingunt: qualitas enim omnis immutatur, atomi verò nihil mutantur. Oportet enim ſemper in diſſolutionibus concretionum aliquid ſolidum atque inſolubile ſubſiſtere, quod mutationes in id quod non eſt non faciat, neq; ex eo quod

* ἐπαίσθησις.

non eſt, ſed ſecundum tranſmutationes ex plurimis, quorundam verò acceſſus etiam, ac * receſſus. Quocirca neceſſe eſt, vt ea quæ non tranſmutantur incorruptibilia ſint, & ab eius quæ mutat natura prorſus aliena, verùm tumores habere ac formationes ſuas. Hoc enim ſubſiſtere neceſſarium eſt. Nam in his quæ apud nos tranſformantur, ſecundum * ablationem figura accipitur ſubſiſtens. Enimuerò qualitates cùm in eo quod mutatur inſitæ non ſint, non ſecus atque illæ relinquuntur ex corpore toto pereuntes. Abundè igitur poſſunt iſta quæ relinquuntur efficere concretionum differentias. Quandoquidem aliqua neceſſe eſt relinquantur, atque in id quod non eſt defluant. Sed ne ſemper omnem quidem in atomis magnitudinẽ eſſe putandum eſt, ne ea quæ apparent reluctentur. Cæterùm mutationes quaſdam eſſe magnitudinum exiſtimandum, præſtat id quippe. Hoc autem ſi adſit, & quæ ſecundum paſsiones, & quæ ſecundum ſenſus fiunt, reddentur. Omnis autem ſubſiſtens magnitudo neque vtilis eſt ad qualitatum differentias. Nam & ad nos veniunt haud dubiè viſibiles atomi. Quòd cùm ſit, minimè cernitur, neq; quo pacto

* ἐφόδους.

* περιαίρεσιν.

pacto fiat visibilis atomus, agnoscere possumus. Ad hæc putandum non est in corpore finito tumores infinitos esse, neque qualescunque. Itaque non eam modo sectionem quæ in infinitum pateat ad id, quod minus est tollere oportet, ne omnia infirma faciamus, cogamúrque complexionibus * repentinorum ea quæ sunt, in *ἀθρόων. id quod non est, terrendo consumere: verùm ne transmutationem quidem in his quæ finita sunt in infinitum, neque in minus fieri existimandum. Neque enim vbi semel quispiam dixerit tumores in plerisq; infinitos esse, quales etiam sint intelligere potest. quínam verò istud, quo modo finita sit ista magnitudo? Quales enim quidem sunt constat. Nam tumores illi infiniti sunt, & hi ex quibus, qualescunque hi fuerint, infinita profectò esset etiam magnitudo extremitatémque finitam habentes perceptibilem, nisi & per seipsum inspiciendum est, ne & quod deinceps sequitur, huiusmodi intelligamus, atque ita per consequens in anteriora tendendo in infinitum contingat cogitatione procedere. Minimum autem illud quod in sensu est cõsiderandum est, vt neq; sit huiusmodi, cuiusmodi id quod habet

bet transmutationes, neque tamen omnino dissimile, sed habeat commune cum transmutationibus aliquid. Cæterùm perceptione partium careat, sed cùm propter communis illius similitudinem aliquid ipsius non percepisse arbitramur, partim ad hæc, partim ad illa, æqualitatē nobis oportet occurrere, ex qua ista conspicimus à primo inchoantes, non in eodem, neque in partibus partium, sed in proprietate sua metiendo magnitudines, quę maiores sunt magis, & quæ minores minus hac proportione arbitrandum, quòd in atomo minimum est vti. Constat enim differre illud paruitate ab eo quod secūdum sensus aspicitur, eadem verò proportione vti. Namq; & quam magnitudinem habet atomus, secundum hanc proportionem prædicauimus, paululum solam excludendo longitudinem, præter ea minimos atq; nō mixtos fines esse putandum est, longitudinum dimensionem, & ex ipsis primis maioribus ac minoribus parando rationis speculatione, in his quæ sunt inuisibilia. Nam commune illud quod eis inest ad immutabilia sufficit, quod hactenus est perficere. Collationem autem ex his quæ motum habent fieri posibile non est.

Nam

Nam & infiniti quod ſupremum aut infimum ſit prædicandum non eſt ſupra vel infra eſſe. Nam quod ſupra caput ſit vndecunque ſtemus, ducere in infinitum, nunquam nobis iſthud apparere. Ita & quod infra id quod intellectum eſt, æqua ratione euadere in infinitum, ſupra eſſe atque infra iuxta idem. Hæc enim intelligi poſsibile non eſt. Itaque licet vnam accipere ſuperiorem intelligibilem loci mutationem in infinitum, vnámque inferiorem & ſimiles ad ſuperiorũ pedes, id quod à nobis fertur ad ea quæ ſupra caput noſtrum ſunt loca pertingat, aut in inferiorum caput quod à nobis fertur inferius. Namq; motus vniuerſus nihilominus vtrique oppoſitus in infinitum intelligitur. Verumenimuero & æqua celeritate atomos eſſe neceſſe eſt, cùm per inane inuehuntur nullo reluctante. Neque enim grauia paruis, ac leuibus celerius ferrentur, quandoquidem nihil occurrit eis, neque itidem parua magnis, cùm motum omnia habeant commenſum, vbi ne illis quidem aliquid obluctatur, neque ſupernus neque obliquus per colluſiones motus, neq; inferior per propria pondera. In quantũ enim vtraq; continent, in tantum vna cum intel-

lectu

lectu habebit motum, quod aut extrinsecus, aut ex pondere proprio reluctetur aduersus ferientis vim. Sed enim & per concretiones altera celerius quàm altera dicetur, quando atomorum ęqua celeritas sit atque in vnum ferantur locum atomi quæ in *conuentibus sunt, & contra minima perpetuò, nisi in vnum secūdum tempora quæ ratione cernuntur, sed frequēter oblu ctentur donec sub sensu motus assiduitas fiat. Quod enim de inuisibili opinamur, quòd nimirum tempora quæ ratione cernuntur perpetuum motum habitura sint, in huiusmodi verum non est. Nam omne, quod cernitur, aut animo per intuitū percipitur, verum est. Post hæc dispiciendum est, ad sensus passionésq; referēdo. Ita enim erit firmissima probatio, quod animus sit corpus tenuibus partibus per totam *congregationem seminatum. Cæterum spiritui simillimum calori quoddam temperamentum habenti, atq; huic alicubi simile alicubi illi. Est autem pars quæ multā accepit immutationē exilitate partium atq; horū ipsorum. Cōsentit autem huic magis ex reliquo cœtu. At istud omne constat, vires esse animi, & perturbationes, agilitatésq; motus & cogitationes, & cætera quibus

*ἀθροίσμασι.

*ἄθροισμα. quod mox cœtui vertit.

bus priuati morimur. Enimuero & id oportet tenere quòd habeat anima sensus plurimam causam. Non tamen istam accepisset, nisi à conuentu reliquo roboraretur. Porrò reliquus conuentus cum hanc parauerit causam, & ipse huiusmodi casus ab illa particeps fit, non tamen omnium quæ illa posidet, idcirco discedente anima sensu caret. Neq; enim ipsum in seipso posidebat hanc vim, sed alteri quod vnà cum eo factū fuerat: parabat per consummatam circa se virtutem, secundum vertiginem, sibiipsi continuò sensibilem incidentiam perficiens, & illi per communem fluxum, atque consensum, vt dixi reddebat. Idcircò igitur & insita anima nunquā alia aliqua parte discedente, priuato sensuum fieret, sed cùm illa vna pari periret soluto eo quod sustinebat, siue toto siue etiam parte aliqua. siquidem sensus animæ in vigore persisteret. Porrò conuentus reliquus permanens, & totus, & per partes, non habet sensum illo abscedente, quantalibet sit quæ se intendat atomorum multitudo in animæ naturam, verū enim & soluto conuentu toto dispergitur anima, neque iam easdem vires habet neq; mouetur. Itaq; ne sensum quidem habet. Neq; enim intelligi

potest

potest hoc ipsum quod sentitur, nisi in conuentu isto his motibus vtatur quando ea quæ roborant & quæ continent huiusmodi non sint in quibus nunc existens tales motus habet. Atqui & hoc in aliis dicit, & ex leuissimis atomis atque rotundissimam illam esse compositam, multũ ab illis differentibus quæ igneæ sunt, pars tamen eius quæ ratione caret corpori quoq; reliquo connexa est. Rationalem autem partem in pectore sedem habere, vt ex metu & gaudio manifestũ est. Somnum fieri cùm partes animæ quæ per omnem concretionem disseminatæ sunt, aut continẽtur, aut euacuantur, deinde poris incidũt. Semen præterea ex omnibus corporis partibus ferri intelligendum est. Dicit enim per plurimam nominis familiaritatem in eo quod per se intelligitur. Incorporeũ autem per se intelligere non possumus præter vacuum. Porrò vacuum neque facere aliquid neq; pati potest, sed motum tantum per se corporibus præbet. Itaq; qui incorpoream dicunt esse animam, desipiunt. Nihil enim aut facere posset aut pati, si esset huiusmodi. At nunc euidenter hæc vtraq; in anima esse casus manifestant. Has igitur de anima ratiocinationes, si quis ad perturbationes

sens

ſenſuſq; referēs, memoria teneat quæ principio diximus, ſatis intelligit ea quæ locis comprehenſa ſunt in id quod particulare eſt ex his firmiter ac diligenter expoſita. Verum enimuero & figuræ & colores & magnitudines & pondera, & alia quæ de corpore prædicantur, vt quæ per ſeipſa tendant, ſiue ad omnia, ſeu ad viſibilia, & ea quæ per ſenſum cognita, neq; per ſeipſas naturas eſſe opinandum. Non enim poſsibile eſt id ſcire, neq; omnino vt non ſunt, vt neque alia quæ inſunt huic incorporea, neq; vt huius particulæ, ſed vt corpus totum, quod vniuerſaliter quidem horum omnium quæ ſua ſunt naturam ſempiternam habeat, poſsibile non eſt eſſe ſi ſimul feratur. Sicuti cum ex ipſis tumoribus maior conſtiterit conuentus ſiue primorum, ſiue vniuerſi magnitudinum, aliquo autem minorum, ſed, vt dixi, ex his omnibus perpetuam habens ſuam nuturum. Atque intuitus quidem priores habēt hæc omnia & perceptiones. Cæterū conſequente multitudine ſubita, & nuſquam ſciſsionem admittente, ſed iuxta ſubitam * agnitionem corporis prædicamentū percipiente. Quin & corporibus contigit ſæpe vt ea ſequatur, & quod ſempiternum non eſt, neq; in *ἔννοιαν

inuisibilibus neque in corporeis. Vnde secundum motum plurimum hoc nomine vtente, manifestè colligimus casus neq; vniuersi habere naturam, quam assumentes secũdum repentinum corpus appellamus, neque item consequentium sempiternorum, sine quibus corpus cogitare non potest, per intuitus autem quosdam, subsequente repentino singula appellarentur. Cæterùm quandocunq; contingentia singula inspiciuntur, non sempiternis casibus subsequentibus, neq; hæc actio expellenda ex eo quod est, quia naturam non habet vniuersi cui contingit, quod profectò etiã corpus appellamus, neque item sempiternorum subsequentium, neq; rursus per se existimandum. Neque enim hoc, vel in his vel in sempiternis contingentibus intelligendum, sed id quod etiam apparet casus omnes corpora existimandum, etiam si non sempiternè subsequantur, neq; per se rursus naturæ ordinem habeant. Cæterùm quemadmodum sensus ipse proprietatem facit, conspiciuntur. Sed enim & hoc vehementer considerare opus est. Nanque tempus minimè quærendum est, sicut & reliqua quæ in subiectio quærimus, referentes ad eas quæ ad nos ipsos inspiciuntur

tur

tur anticipationes, sed ipsam euidentiam per quam tempus aut multum aut pusillum vocamus, hoc * familiari quadam propinquitate circumferentes reputandum, neque * locutiones velut meliores persequendum, sed his quæ sunt ad manus in ea re vtendum. Neque aliud aliquid per seipsum prædicãdum, quasi eadem quam proprietas hęc substantiam habeat. Quod quidem faciunt quidam, sed solùm quo proprietatem connectimus, hoc etiam submetimur animaduertendum. Nam hoc demõstratione nõ indiget, sed animaduersione. Nam diebus ac noctibus horumq; partibus connectimus. Similiter & perturbationibus ac tranquilitate & motibus & statibus proprium aliquem præterea casum. Rursus hoc ipsum cogitantes secundum quod tempus nominamus. Ait autem & in secũdo de natura libro & in magna epitome, atque in his quæ prædiximus, Mundos & omnem finitam cõcretionem similem his quæ inspiciuntur speciem frequenter habentem existimandum ex infinito horum omnium prodisse, ex conuersionibus propiis, discretis, maioribus, atque minoribus, rursumq; dissolui omnia, celerius alia, alia tardius, cùm alia hoc ab ipsis patiantur.

*ἐγγυικῶς. *διαλέκτους.

Constat igitur & mundos illum dixisse interire, quum partes mutantur, & in aliis quòd terra aëri superuehatur, præterea & mundos neq; ex necessitate arbitrari oportet vnam habere figuram, imò & differentes eos in duodecimo de mundo esse ait. Alios nanque sphæræ, alios oui præferre speciem, aliósque aliam itidem formam, non tamen quamuis formam admittere neque animantes esse ab infinito discretas. Neque enim probaret quispiam, quòd in eo qui sit huiusmodi, comprehensa non sint efficientia semina, ex quibus & animalia & arbores & cætera quæ conspiciuntur, constant. In huiusmodi verò non potuisset. Eadem autem ratione etiam innutriri eum terra existimandum. Sed & naturam quoque opinandum est plurima & varia ex rebus eisdem edoctam fuisse, atq; coactam. Porrò rationem quæ ab ea * credita fuissent, ea postea diligentius explicuisse atque adinuenisse. Præterea in quibusdam celerius, in aliis tardius, & quibusdam euolutionibus atque temporibus ab his quæ ex infinito, in quibusdam verò secundum minores. Quocirca & nomina ab initio non positione facta, sed ipsa hominū ingenia per singulas nationes propriis

*ϖαρεγγυηθέντα

priis affectas perturbationibus, ac propria percipientes visa, propriè aërem emittere immissum à perturbationibus singulis ac visis, vt esset vnaquæque etiam gentium per loca differentia. Tandem verò communiter per gentes singulas fuisse imposita propria vt significationes minus ambiguæ fierent an inuicem, breuiusque significarent, quasdam insuper res etiam quæ non conspiciantur inferendo, vt eos qui essent conscij * monerent in sonos quosdam erumpere coactos, illos verò ratione duce plurimis ex causis ita interpretatos esse. Enimuero in meteoris motum & conuersionem ac defectum, ortúmque & occasum & his similia, neque ministerio cuiusquam facta existimandum est. Verùm illius ordinatione & imperio qui omnem simul beatitudinẽ & immortalitatem habeat. Neq; enim beatitati conueniunt negotia, & curæ, & iræ aut gratiæ, sed infirmitate ac timore & indigentia proximorum ista fiunt. Neque rursus cùm ignis simul sit conuersus in se quæ beatitudinem posśident, secundum voluntatem hos motus accipere, verùm omnem seruare * decentiũ per omnia nomina quę in huiusmodi feruntur notionibus, si neq;

* παρεγγυῆσαι.

* σέμνωμα.

contrariæ honesto ex his opiniones fiant. Alioquin maximam in animalibus perturbationem huiusmodi contrarietas faciet. Quocirca & eas quæ ab initio sunt huiusmodi conuersionũ perceptiones in mundi generatione oportet opinari, necessitatemq; hanc & ambitum perfici. Atqui enim causam eorum quæ sunt maximè propria diligenter exponere, Phisiologiæ opus esse putandum est, beatitudinemq; in scientia de cœlestibus rebus huc cecidisse, & in eo quod naturæ quædam sunt quæ inspectæ secundum huiusmodi meteora, & quæ his affinia sunt, ad huius rei exactam diligentiam conferunt, præterea non in huiusmodi ipsum multipliciter esse, ac ipsum se circa illa pro viribus & secus quomodolibet habere, sed simpliciter non esse in incorruptibili, ac beata natura eorum quæ discretionem suggerunt, aut perturbationem vllam, hoc autem mente comprehendere simpliciter
*ἱστορίᾳ. est esse. Porrò quòd in * notitiam cadit de occasu & ortu, & de conuersione ac defectu, & quæ his similia sunt, nihil amplius ad beatitudinem scientiæ conferre, sed similiter habere metus eos qui ista considerant, quæ'nam verò naturæ sint, nesciunt,
& quæ

& quæ'nam casse vel maximè ratæ,& nisi ista difficilia nouissent fortasse plurimi, cùm timor ex consideratione horum solutionẽ capere nequeat, ac dispositionem eorum quæ sunt maximè propria. Idcirco & plures inuenimus causas cõuersionum, & occasus,& ortus, defectus,& huiusmodi, sicut & in his quæ particulatim fiunt. Aut existimandum non est horum vsum diligentiam non accepisse, quanta posit ad tranquillitatem nostram beatitudinemq; conferre. Itaq; quasi per transitum intuẽtes quoties apud nos similitudo sit, de ratione cœlestium omnisq; incerti differẽdum est, eos aspernando, qui id quidem sciunt, quod vno modo se habet aut fit, neque quod multis contingat modis, imaginationemq; ex * recesibus reddunt. ignorant præterea quæ'nam sunt quæ perturbationem non ingerãt. Si tamen arbitramur eo modo susceptum id fieri posse, & in quibus similiter perturbatione vacamus, ipsum quod multis fiat modis non ignorantes, quemadmodum si quod ita se habeat nouerimus, perturbatione carebimus. Ad hæc omnia illud omnino oportet intelligere, quòd * perturbatio humanis animis propriè omnino fit in eo quod

* ἀποστημάτων.

* ταραχος.

 hæc

hæc & beata opinarentur, & incorruptibilia, & contraria his voluntates simul habeant, & actiones, & causas, & in futura vita dirum quippiam secundum fabulas, & expectent, & suspicentur, siue hanc priuationem sensus quæ in morte est metuant, quasi post mortem aliquid sit, & ipsi in eo quod non opinionibus ista patiantur, verùm * ratione & cõmendatione quadam. Vnde cùm non diffiniant malum æquam siue etiam maiorem perturbationem capere, quasi hæc opinarentur tantùm. Porrò huiusmodi perturbationis vacatio, est his omnibus euadere liberum, & absolutum, perpetuamq; omnium, & eorũ quæ sunt planè propria seruare memoriam. Quocirca omnibus vtendum est præsentibus, in commune quidem vt communibus, priuatim verò vt priuatis, ac præsenti omni per singula iudicia euidentia. Si enim hisce intenderimus, id vnde perturbatio metúsque fiebat excludemus, habita recta ratione, atq; soluemus deq; cœlestibus ac reliquis quæ semper incidũt, quæq; summè terrent reliquas causas afferemus. Ista tibi Herodote de natura omniũ summatim perstrinximus. Quæ tu si diligenter pro viribus tenere studueris, arbitror

* ἀλόγῳ παραστάσει.

te etsi nō ad omnia semper per partes diligenter explicata sufficient, incomparabilem tamen ex eis firmitatem atq; constantiam aduersus homines cęteros percepturū. Nam te ex teipso promouebis plurimùm ad ea etiam quæ in toto de natura opere sunt dicta per partes exponenda. Atq; hæc ipsa mandata memoriæ perpetuo emolumento erunt. Sunt enim huiusmodi, vt hi etiam qui iam particularia satis, aut etiam perfectè digesserunt, ad huiusce tamen intuitus plurimos haberent, plurimum iuuari ex his posint in his quæ de tota natura disseruntur. Quæ autē non penitus cadunt in ea quæ conficiuntur, ex his sunt aut secundum eum morem qui *caret inuidia, simul atque intelligitur ambitus eorum quæ sunt in primis rata ad tranquillitatem animi faciunt. Et ista quidem de naturalibus eius epistola. Sequitur de meteoris in hæc verba:

* Interpres legit φθόνου: verùm quædam exēplaria habēt φθόγγων.

EPICVRVS PYTHOCLI S.

REDDIDIT mihi Cleon abs te epistolam, in qua nos fouere atq; diligere persistis, dignè pro nostro in te studio neque ignauiter earum ratiocinationū meminisse niteris quę ad beatam vitam contendunt. Precaris vt tibi de meteoris bre-

uem mittam facilémque tractatum, quo facilius admonearis. Ea enim quæ in aliis scripsimus difficillimè teneri memoria quamuis ea, vt ais, quis continuè circumferat. Nos autē perlibenter preces admisimus tuas, magnáque de te & iucunda spe fruimur. Cùm igitur cætera iam absoluerimus omnia, agimus quæ postulasti, pluribus & aliis emolumento futura inuenta hæc, & his maximè qui rudes adhuc germanam summamq; nuper naturæ rationem degustarunt, his item qui aliquibus disciplinarũ liberalium sunt grauioribus curis impliciti. Ea igitur ritè percipe, mãdataq; memoriæ tecũ acriter acuteq; volue, cum cæteris quæ in breui epitome ad Herodotũ misimus. Primùm igitur nullum alium aliquem finem ex cœlestium corporum scientia, siue per cõnexionem, siue absolutè dicantur putãdum est, quàm perturbationis vacationem, ac probationem certã, sicuti & in reliquis, neq; quod sit impossibile in aggredi, neque speculationem habere similē, aut his libris quos de vitis scripsimus, aut de his quos de aliis naturalium quæstionũ purgationibus, puta quòd omne corpus impalpabile natura sit, quòd indiuisibilia elementa, & omnia

huiusmodi, aut quæ vnicã his quæ videntur concordiam habent, quòd in meteoris non procedit. Verùm ista quidem multiplicem habent generis causam, & substãtiæ prædicamentum sensibus consentientem. Neq; enim secũdum proloquiorum * vanitatem legisq; sanctionem de natura disserendũ, sed sicut ea quæ videntur hortantur. Non enim iam vita nostra aut stultitia, aut gloriæ vanitate opus habet, sed solùm tranquilla, ac secura vita. Omnia quidem immobili ac stabili ratione fiunt per omnia, ex his duntaxat, quæ multiplici modo his quæ apparent cõcorditer incidunt, cùm quis quod probabiliter de his dicitur congruenter omiserit. Cùm verò quispiam hoc quidem omittit, hoc autem eiicit, quod æquè ei quod videtur consonum est, eum profectò constat omni naturæ excidisse ratione, atq; ad fabulas esse deuolutũ. Signa verò quædam eorũ quæ in supernis consummantur, ferre quædam ex his quæ nobis apparent, & quæ inspiciuntur aut sunt, non ea quæ in supernis apparẽt. Hæc enim multis modis fieri possunt, vnumquodq; tamen visum obseruãdum est, atq; in ea quæ illi coniunguntur diuidendum, quandoquidem illis non reclamat

* *Aliàs nouitatẽ.*

clamatur, quin sæpenumero absoluantur ab iis rebus quæ apud nos sunt plurimis modis perfici, vt ea quæ sunt apud nos. Mundus est cœli quædam cõtinentia, stellas & terram & quæ videntur omnia continens, abscissionemq; ex infinito habens, atque in finem desinens, siue rarum siue densum, quo soluto quæ in illo sunt omnia confusionem accipient, & desinens aut in eo quod circumagitur, aut quod instantiam habet, & rotũdam aut triangularem aut quancunq; circumscriptionem, omnibus enim modis fieri potest, quando eorũ quæ videntur nihil obsistit mundo huic, in quo finem comprehendere nequimus. Quòd autem, & huiusmodi mũdi sint infiniti multitudine, colligi potest, & quoniam talis fieri mundus potest in mundo, & * intermundo quod interuallum dicimus inter mundos, in loco vacui pleno & nõ in magno puro & vacuo, quemadmodum aiunt, quædam idoneorum quorundam seminum, quæ ab vnomũdo siue intermundo fluxerũt, siue etiam à pluribus sensim, quæ auctiones & cõpositiones faciunt in locum alium si sic contigerit, & irrorationes ex his quæ oportunè eas suggerunt, quoad consumantur accipiántque

* μετακοσμίῳ.

const

constantiam, quantū subiecta fundamenta
* subiectionis efficere poſsint. Non enim * προσο-
coaceruationem fieri oportet solùm, neq; χῶν.
vertiginē in eo vacuo in quo fieri est poſ-
ſibile mundum ſecundum quod ex neceſ-
ſitate putatur, augeriq; tandiu quoad alte-
rum offendat, vt ait quiſpiam ex his qui
Phyſici vocātur. Hoc enim his quæ viden-
tur repugnans eſt. Sol item & luna, & ſy-
dera cætera * ſeorſum facta, poſtea à mū- *καθ'
do cōprehenſa ſunt, & quæ præterea ſer- αὐτά.
uantur, continuò efficta ſunt, atque incre-
mentum ceperunt. Pari ratione, & terra,
& mare per comparationes, & vertigines
quarundā tenuitate partium, conſtantium
naturarū ſiue ſpiritualium ſiue ignis præ-
ferentium ſpeciem, ſiue vtrunque ſimul.
Hæc enim ita ſuggerit ſenſus. Porrò ſolis
cæterorumq; ſyderum magnitudo, quan-
tum ipſi iudicamus, ea eſt quæ videtur.
Hæc autem in vndecimo de natura. Nam
ſi, inquit, magnitudinem interualli ratio-
ne amiſiſſet, longè profectò magis colo-
rem. Alia nanq; huic rationabilior diſtan-
tia nulla. Cæterùm ſecundum id quod per
ipſum eſt, ſiue maior ſit quàm videatur,
ſiue paulò minor, ſiue tantus ſimul. Ita
enim, & apud nos lumina quæ ex inter-
uallo

uallo cernuntur, per ſenſum conſpiciuntur. omnis autem in hanc partem inſtantia ſoluetur facilè, ſi quis rebus certis intendat, quod in libris de natura monſtrauimus, ortus & occubitus ſolis ac lunæ ſyderumq; cæterorum, & per incenſionem & extinctionē fieri poſſe, cùm talis ſit circunſtantia etiam per alia loca, vt ea quæ prædiximus perficiantur. Nihil enim eorum quæ videntur obluctatur per euidentiam quoq; ſuper terra, & rurſum per adiectionem quod prædiximus confici poſſe. Neque enim refragatur aliquid eorum quæ cernuntur. Ipſorum quoque motus non quidem fieri impoſsibile ſecundum vertiginem totius cœli, ſiue ſecundum ipſius quidem ſtatum, horum vertiginem iuxta eam quæ ab initio in generatione mundi genita eſt in ortu neceſsitatem, deinde calore per quandam ignis diſtributionem ſemper ad interiora loca tendentis, cōuerſiones ſolis ac lunæ fieri quidem poſsibile per obliquum cœli, ita temporum neceſsitate coacti. Similiter & ſecundum aëris * obſiſtentiam, ſiue etiam materiæ aptæ quæ ſemper adiaceat atq; inflammetur. Partim verò deferentis, ſiue etiam ab initio vertigo huiuſmodi iſtis ſit

* ἀνθέξωσιν.

diſtrib

diſtributa ſyderibus vt in gyrum moueā-tur. Cuncta enim huiuſmodi atque his ſimilia in nullo euidentiæ ratione diſſentiunt, ſiquis ſemper in huiuſmodi partibus poſsibili adhærens horum ſingula ad eorum quæ videntur conſonantiam poſſit adducere, nihil metuens ſeruiles Aſtrologorum artes, euacuationéſque lunæ, ac rurſus impletiones, euerſionémque huius corporis. Fieri enim profectò poſſent itidem, & figurationes aëris. Atq; & quæ ſecundum appoſitiones, & omnes alios modos, per quos & ea quę apud nos apparent reuocātur ad huiuſmodi ſpeciem reddendam, niſi fortè quis vnico illo modo contentus, reliquos nequicquā repudiet. Neque ſpeculatiuè poſsibile eſt aliquid homini aſpicere, & aliquid impoſsibile, atq; ideo impoſsibilia inſpicere cupiens. Præterea poſsibile eſt lunam ex ſeipſa habere lumen, poſsibile item & à ſole mutuari. Etenim apud nos pleraque cernuntur, quæ plura ex ſeipſis habeant, pluta item ab aliis, nihilq; impedit eorū quæ in cœleſtibus videntur, ſi quis multiplicis modi ſemper memoriam habeat, conſequenteſq; ipſis vnà ſuppoſitionem, & cauſas ſimul accipiat, neq; aſpiciens in ea quæ non

conſeq

consequuntur, hoc ipsum defluere alias aliter in illum vnicum modum. Porrò faciei * manifestatio fieri quidem in ipsis potest, & per immutationes partium, & per cumulatam adiectionem, modisq; omnibus meteoris huiusmodi vestigare nequaquam adnitendum est. Si enim aliquibus repugnare euidentiis contingat nunquam vera tranquillitate poterimus frui. Solis ac lunæ defectus potest etiamnum fieri & per extinctionẽ, quemadmodum & apud nos pleraq; fieri videmus. Iamq; per interpositionem quorũdam aliorum, aut terræ, aut cœli, aut cuiuslibet alterius huiusmodi, sicq; proprios adinuicem modos conspiciendum, & quòd coniunctas fieri cõcretiones impossibile non est. Porrò in x 1 1. de natura libro dicit, obumbrãte luna solem deficere, lunam verò, terræ vmbra se opponente, verùm secundum recessum. Hoc & Epicureus Diogenes in primo electarum opinionum tradit. Præterea circuitionis ordo sic accipiatur, sicuti & quædam apud nos fiunt, diuinaq; ad hęc natura nusquam admoueatur, immunis à ministerio in omni sua beatitate seruetur. Sin minus autem hoc fiat, omnis de cœlestibus inanis erit contradictio, sicuti iam

* ἔμφασις.

iam quibuſdam fuit,qui non modum attigere poſsibilem, verùm in vnitatem deciderunt,dum vno tantum modo arbitrantur hæc fieri,alioſq; omnes poſsibiles excludunt, quiq; & ad id quod intelligi nequeat, & ad ea quæ appareant ferantur. Quæ verò ſigna ſuſcipere oportet, cùm non poſsimus pronũtiare,valere ſinamus, quæ noctium ac dierum prolixitates immutant, præter id quod ſolis motus celeres fiunt,rurſumq; tardiores ſuper terram pro locorum longitudine immutant, & loca quædam celerius peragũt, & tardius, ſicuti & apud nos quædam conſpiciuntur, quibus conſona de meteoris dicendum. Qui autem vnum aſſumentes his quæ apparent reluctantur eo etiam exciderunt, quod inſpicere homini poſsibile eſt. Nãque ſignificationes fieri poſſunt etiam per collationes temporum,ſicuti & in his quæ apud nos videntur animantibus,& in aliis, ſicut aëris & mutationis. Hæc enim vtraq; his quæ videntur non repugnant. Qualitatibus præterea, ſi ab hoc aut ab illo ſit cauſa. Neque coniicere licet quî fieri atque conſtare poſſunt concretiones aëris, impreſsiones ventorum,atque implicatio * ἀλλη-nes*ſe inuicem tenentium atomorum, & λούχων.

eorum quæ ad hoc agendum idonea sunt fluxumq; ex terra aquisq; collectionem, atque modis aliis plurimis huiusmodi cõstantias fieri impossibile non est. Iam verò in his partim se collidentibus, partim verò mutantibus, aquas perfici, & ventos item per relationem ex locis idoneis, dum per aërem mouentur. Vbi inundatio vehementior ex quibusdam ad huiusmodi immissiones idoneis cõuentibus facta fuerit, tonitrus fieri posse, ac per spiritus in vacõcauis nubium euolutionem sicut in vasis contingit. Atque ex igne inspirato soni tum in ipsis fieri, & fractiones nubium atque dissidentias ac confricationes, atq; ordines quæ concretionem glaciei instar acceperint. Et in totum ad hanc partem, vt multis modis fieri dicere possumus quæ videntur inducũt. Coruscationes item eadem ratione modis plurimis fieri. Nã per confricationem collisionemq; nubium, figuram illam ignis effectricem elabentẽ, coruscationem gignere statumq; ex nubibus talium corporum quæ hunc splendorem efficiant, & per pressuram aut collisionem nubium sit, siue ab se inuicem, siue à ventis, & per complexionem ea quæ à syderibus manat se inserente luce, siue à

motu

motu nubium ventorumq; compulſa, & per nubes decidente, ſiue per collationem tenuiſsimi nubiū luminis, aut ex igne coctas nubes efficere tonitrus, & per huius motum, & per ignis euaporationem quæ fiat per conſtantiam motus, volubilitatisq; vehementiam. Fractiones quoq; nubium à ventis caſum eſſe efficientium ignis atomorum, coruſcationisq; ſpeciem peragentium. Aliis item modis pluribus facilè erit inſpicere ei qui & quæ apparent teneat, hisq; ſimilia queat conſpicari. Præcedit autem coruſcatio tonitrum in huiuſmodi circunſtantiam nubium, & quod ſimul atque flatus irruerit, emittatur figura coruſcationis efficiens. Poſtmodum verò ſpiritus inuolutus huiuſmodi reddat ſonitum, & per vtrorumq; incidentiam coruſcatio maiore ad nos celeritate vtatur. Poſtremò autem venire tonitrum, ſicuti in quibuſdam quæ ex interuallo inſpiciūtur ictusq; quoſdam efficiunt. Fulmina fieri poſſunt per multos ventorum conuentus, & conuolutiones, validamq; euaporationem, & fractionem partis, eiusq; vehementiorem ad inferiora loca lapſum, fragore illo contingente quòd conſequentia loca denſiora ſunt, ob implicitas nubes, per hūc item

ignis inuoluti lapſum ſicuti fieri poſsibile eſt. Tonitrum quoque cùm ignis amplior fuerit inſpiratus qui vehementius prorumpit nubem, quòd in anteriora cedere nequeat, idcirco quòd huiuſmodi concretio fiat, plurimum quidem ad excelſum aliquem montem, vbi maximè fulmina cadunt adinuicem ſemper. & aliis item modis plurimis fulmina fieri poſſunt, modo longè abſit fabula. Aberit autem ſi quis rite ea quæ apparent ſequens, de his quæ ſunt occultiora ad eam normam iudicarit. Preſteres quoque & per poſitionem nubis ad inferiora loca, aliena ſpecie, à repentino flatu impulſæ fieri conſentaneum eſt, & per flatum qui vnà & feratur vehemẽs, & nubem ad proxima impellat loca exterior flatus. Præterea & per circunſtantiam ſpiritus, cùm in circulum aër quidam ſuperne compellitur, vehemensq; ventorũ colliſio fit, neq; valet in tranſuerſa diffluere, propter eam quæ circunfunditur aëris denſitatem, atque ad terram quidem vſq; preſtere deſcendente ſtrobili fiunt, vt generatio ſecũdũ motum ſpiritus fiat. Porrò vſque ad mare vertigines fiunt. Terræ motus autem & cùm ſe in terram recipit ventus, fieri poſſunt, & cum hæc paruis tumoribus,

moribus, perpetuoq; motu se obiicit, quādo *agitationem terræ parat spiritus ille, aut exteriore ex parte complectitur, dum in fundamenta ruit, aut in abstrusa spelunca in morem terræ loca densatus à ventis aër. Propter hanc autem distributionem motus ex lapsibus fundamentorum plurimorum, itemq; redditionem vbi condensationibus vehementioribus terræ obuiarit, terręmotus perfici poßibile est. Et aliis item modis pluribus has terræ agitationes fieri. Porrò ventos in tēpore fieri contingit, cùm semper fiat, sensuumq; subrepat alienatio quædam, & per collectionē aquæ copiosæ. Venti autem reliqui fiunt, vt cùm pauci in concaua irruerint multa, horum dum diuisio fit. Grando perficitur & per concretionem vehemētiorem. Vndique autem ventosorum circunstantiam quorundam, ac petitionem & moderationem, quorundam pariter aquæ præferentium speciem, eruptionem simul atq; cōpulsionem ipsorum facientem, ac disruptionem ad id constare quod secundum partes cōcretas fit, & secundum *soliditatē. Verùm etiam circunferentiam fieri impoßibile non est, extremis vndiq; conuenientibus, & inconstantia omni ex parte

*κραδασμόν.

*ἀθρόοτητα.

vt dictum est partes, & planè, siue aquosis quibusdam seu ventosis circunstantibus. Niuem autem perfici credibile est,& cùm aqua tenuis ex nubibus funditur variis cõmensionis,& pressuræ ex nubibus idoneis & ex seminis monumento. Deinde dum fertur hoc concretionem accipiente, propter vehementiorem quandam in locis inferioribus nubium cõgelationis circunstantiam.& per concretionem huiusmodi *lenem habẽs in nubibus raritatem,emissio hæc nubibus fit, dum se inuicem collidunt quæ aquæ speciem præferunt,& quæ his vnà adiacent,quæ dum veluti compulsionem faciunt, grandinem reddunt exprimuntq; quod maximè in aëre fit, & per huiusmodi collisionem nubium, quæ coagmentum acceperunt, fit vt desiliat niuis ista congeries:& aliis item modis nix confici potest. Ros autem efficitur & per conuentum adinuicem ex aëre talium, quæ sint huiusce humoris causæ ac effectus. Sed enim & per loci mutationem, aut ex humentibus locis, aut aquas habentibus maximè perficitur ros. Deinde cùm hæc inter se conuenere, humiditatemq; peregerunt, motum rursus ad inferiora loca, quemadmodum fieri & apud nos plera-

*ὁμα-λήν.

que

que huiusmodi cernimus, vbi humores si rosidi concretionem quandam suæ qualitatis acceperunt, ob circunstantem frigidũ aërem efficitur glacies, & per detritionẽ quidem globosæ formæ ac rotundæ ex aqua, compulsionemq́; scalenorum, & acutorum angulorum, qui in aqua sunt, & per eam quæ extrinsecus fit talium collisionẽ, quæ compulsa vt aqua in concretionem transiret effecerunt, detritis rotundorum quãtitatibus. Iris fit dum sol aquosum aëra sua luce perstringit, siue per aëris propriam naturam, quæ lucis & aëris propria est, ex qua colorum huius proprietates fiunt, siue omnes, siue vnico modo. Ex qua iterum effulgente propinquiora, quæq́; aëris eum percipient colorem quo partes has circunferentiæ fulgere conspicimus. Fit autem huiusmodi visum quod æquale omni ex parte interuallum luminis pateat, siue quòd cùm talem compulsionem recipiant sectiones quæ vel in aëre vel in nubibus sunt, & ex eodem aëre se ingerente dum ad lunã referuntur atomi, circunferentia quædam in hanc concretionem demitatur. Area circa lunam fit, dum ex omni parte aër ad lunam refertur, deinde qui ex ipsa manant fluxus leniter eatenus

coërcentur quoad in gyro circa ipsam nubes consistat, & non omnino diuidat, siue eum qui in circuitu est aërem ipsa vndiq; cogente æqualiter ad circunferentiam suam, crassioremq; constituent, quod fit per partes quasdam, siue extrinsecus fluxu aliquo impulso, siue calore idoneos poros ad id efficiendum nanciscente. Cometæ stellæ fiunt, siue igne plerisque in locis temporibus suis in sublimi coalescente, cùm efficit casus circunstãtiam; siue quòd proprium quendam motum in tempore cœlum supra nos habeat, vt huiusmodi appareant stellæ, siue ipsæ temporibus quibusdam per quendam moueantur casum: atque ad loca nostra declinent, & manifestæ omnibus fiant. Harum item defectus fieri propter his oppositas causas, quod cõtingit non modò quòd pars mundi huius stet circum quam versentur reliqua, vt quidam aiunt, sed quòd aëris vertigo circularis ipsam circunstet, quæ impedimento sit, vti ne circumeant, sicut & stellæ reliquæ, siue etiã quòd deinceps materia illis congrua non sit. Porrò hoc in loco vbi constitutæ cernuntur etiam aliis pluribus modis hoc fieri potest, si quis colligere studeat ex eorum quæ cernuntur congruentia, vt

vaga

vaga quædam ſydera ferri contingat ſi motibus ſuis vtuntur,quædam verò immota durare. Poſsibile eſt quidem eſſe ab his quoque quæ in circuitu mouentur, ita ab initio moueri coacta eſſe, vt alia quidem ſecundum eandem ferantur vertiginem, quæ lenis ſit,alia verò ſecundum eam quæ ſimul inæqualitatibus quibuſdam vtatur. Fieri autem poteſt vt quibus feruntur locis non intentiones aëris eſſe planiores, quæ in ſeſe ordine compellant, leniterq; & planè intendant, neque ita inæqualiter vt & quæ videntur immutationes fiant. Enimuerò vnam iſtarum rerum cauſam aſsignare,cum multiplicem ea quæ in cõſpectu ſunt præbeant, inſanè & minimè congruè ab his fit qui vanam aſtrologiam profitentur, fruſtraq; quorundam cauſas reddunt, quandoquidem diuinam naturam nunquam huiuſce abſoluunt miniſteriis. Sydera quædam aliis minora conſpici contingit, tardioréque motu circunferri, cùm eundem orbem circumeant, contrarióque ferantur motu, ab eadem abducta vertigine, & ab eo quo circunferantur,alia maiore loco,minore alia,cum eandem vertiginem ambiunt. Porrò ſimpliciter de his definire illis conuenit, qui

prodigia confingere apud plerosque uolunt. Quæ autem cadere dicuntur stellæ, & ex parte & ex collisione sua fieri possunt; & quod illic excidant quocunque expiratio fuerit. Sicuti & de coruscationibus diximus, ex concursu quoque atomorum ignis efficientium consensu incidente vt hoc fiat, ac secundum motum quocunque impetus à principio secundum concursum fuerit. Ex collectione item veluti in condensationibus quibusdam nebulæ præferentibus speciem, secundum euaporationem horum per inuolutionem siue eruptionem continentium, & in quemcunque locum impetus fuerit, motu quoque in eum subsequente. Sunt & alij modi quibus hoc fiat innumerabiles. Porrò *significationes quę in plerisq; animalibus fiunt. Non enim animalia necessitatem aliqua inuehunt vt hyems fiat, neque sedet aliqua natura diuina, quæ horum animalium obseruet exitus, deinde huiusmodi efficiat signa. Neque enim in animal quodlibet, modò id sit gratiosius paulò, eiusmodi stultitia cadet, nedum in id quod plenissimam obtinet felicitatem. Hæc igitur omnia Pythocles memoriter tene: longè enim la-

*ἐπιση-μασίαι.

téque

téque euades fabulam, & quæ his propinqua & similia discernere poteris. Maximè autem teipsum dede ad speculanda principia, & infinitatem, & his quæ similia sunt. Iudicia præterea & perturbationes & id cuius gratia ista colligimus. Hæc enim in primis considerata, causas quoque particularium rerum cognitu faciles facient. Qui verò istis vel maximè contenti non fuere, ne ista quidem ipsa rite conspexerunt, neque cuius rei gratia illa conspicienda erant, consecuti sunt. Hæc ille de * cœlestibus corporibus opinatus est. Cæterùm de his quæ ad vitæ moderationem pertinent, quonam modo eligenda alia, alia repudianda, sic scribit. Primum autem quid de sapiente opinetur exponamus. Detrimenta quæ ex hominibus, siue odij, siue inuidiæ, siue contemptus gratia fiunt, sapientem autumat ratione superare. Eum verò qui semel fuerit sapiens, in contrarium habitum transire non posse, neque perturbationibus cedendo errare: quin potius continendum ne quid ad sapientiam impedimentũ patiatur. Non tamen ex omni quidẽ corporis habitu, neq; in omni gente fieri sapientem. Nam siue

*μετεώρων.

crue

crucietur excarnificeturq; sapiẽs, futurum nihilominus felicem: gratiámque amicis, præsentibus/æquè ac absentibus habiturum sapiẽtem solum atq; item in itinere. Cum tamen cruciatur & ingemiscet & eiulabit. Mulieri item non congressurum sapientem, quia leges interdicant, vt Diogenes in epitome Epicuri dogmatum moralium ait, neque cruciatu affecturum seruos, verùm miserturum, veniámque daturum: probos quoque amaturum sapiẽtem negat, neque sepulturæ curam habiturum neq; à deo amorem immittit Diogenes refert. Neq; item oratoriæ daturum operam, dicens illam nihil quidem vnquam profuisse, plurimum verò etiam obfuisse, vxorem tamen ducturum ac liberos procreaturum sapientem, vt Epicurus in ambiguis & in libris de natura. Cæterùm pro vitæ interdum conditione ducturum vxorem, auersurumq; aliquos, neque obseruaturum in ebrietate, vt Epicurus in symposio, neque accessurum ad remp. vt in primo de vitis, neque tyrannidem quæsiturum, neque κυνιεῖν, vt in secundo de vitis, neque vnquam mendicum futurum: cæterùm & si illi eruantur oculi, vitæ participem futurum, vt in eodem ait,

Mœror

Mœrore item non conficiendum ſapientem, vt ait Diogenes in xv. electorum, non * litigaturum: libros atque monumenta relicturum, non autem celebritatibus daturum operam: acquirendi curam ad futuri prouidentiam non habiturum: fortunæ reluctaturum, amicum neminem quæſiturum, gloriæ curam habiturum, quoad contemptui non habeatur: plus autē aliis lætitia in ſpeculationibus afficiendū. Peccata eſſe inæqualia. Sanitatem quibuſdam conducere, pleriſq; indifferentem eſſe: fortitudinem per naturam non contingere, ſed ratione commodíque notatione. Amicitiam vſus gratia neceſsitatíſque ineundam, à nobis tamen inchoendam: nam & terram ſerimus. Conſtare illam voluptatum conſortio ac ſocietate. Felicitatem bifariam intelligi, ſupremam illam quæ in deo eſt, quæ incrementum non admittat, adiectionémq; & oblationem voluptatum. Imagines quoque poſiturum, ſi habeat, indifferenter forte teneas, ſolúmque ſapientem rectè de muſica & poëtica verba facturum; Pangenda non fingenda poëmata dixit. Non mouetur ſi alter altero dicatur fuiſſe ſapientior, ſed ex ſapientia ſola ſi affluat, rite

* δικάσεσθαι.

ritè appellandum ſapientem putat. Principem in tempore obſequio coliturum, gratulaturumq; cuilibet reſipiſcenti: ſcholam item habiturum, non ſanè vt turbam faciat, recitaturúmque in multitudine, ſed non ſponte. Dogmata quoque illaturum, & non dubitaturum. In ſomnis quoq; ſibi ſimilem futurum, ac pro amico quandoque moriturum. Iſta quidem illi opinantur, verùm tranſeũdum iam ad epiſtolam.

EPICVRVS MENICOEO. S.

NEQVE iuuenis quiſpiam dum eſt, philoſophari negligat, neque ſenex cum ſit, philoſophando fatigetur. Neque enim intempeſtiuus vllus eſt, neque qui ad animæ ſanitatem tempus non habet idoneũ. Qui autẽ dicit aut nondum philoſophandi tempus eſſe, aut tempus præteriſſe, ei ſimilis eſt qui dicit ad beatam vitam aut non adeſſe tempus, aut non amplius eſſe. Philoſophandum igitur & iuueni & ſeni, illi quidem vt ſeneſcens in virtutibus vigeat præteritorum gratia, huic vt iuuenis vnà & vetulus ſit, quòd futurorum careat metu. Meditãdum ergo quæ faciant beatam vitam. Siquidem ſi adſit illa, omnia ſuppetunt, ſin verò abſit, agimus omnia, vt illam habeamus. Quæ autem aſsiduè te

admon

admonebam, ea & age, & meditare, bene viuendi elementa hæc esse arbitrans. Primum quidem deum esse animal immortale ac beatum, puta sicut communis de deo dictat intelligentia, nihil illi aut ab immortalitate alienum, aut à beatitudine applicans. Cæterùm omne quod illius cum immortalitate beatitudinem seruare possit, de eo opinare. Dij nempe sunt, vt certa est illorum cognitio, non autem tales sunt cuiusmodi eos plerique arbitrantur: neque enim eos quales putant obseruant. Impius autē est nō qui tollit multitudinis deos, sed qui diis opiniones multitudinis applicat. Nō enim sunt anticipationes, sed opinationes falsæ quæ plurimi de diis sentiunt. Hinc detrimenta maxima pessimis quibusque à diis inferuntur, & commoda item probis. Nā virtutibus per omnia delectati similes amplectūtur, ac omne quod huiusmodi non est alienum existimantes. Consuesce autem arbitrari nihil ad nos pertinere mortem. Bonum enim omne ac malum in sensu est, sensus autem priuatio mors est. Vnde recta cognitio, quòd nihil ad nos sit mors, id efficit vt mortale quod est, fruatur vita, non ambiguum adiiciens tempus, sed immortalitatis desiderium afferens.

ferens. Nihil enim in vita mali eſt, ei qui verè comprehendit nihil eſſe in vitæ priuatione mali. Vanus ergo eſt, qui mortem ſe timere dicit, non quia præſens mœrore conficiatur, ſed expectata & futura contriſtet. Nam quòd præſens nihil perturbat, expectatum nequicquam conficit. Itaque quod acerbiſsimum malorum eſt, & horrendum maximè mors, nihil ad nos, quoniam cùm nos ſumus, mors non adeſt, cùm verò mors adeſt, nos iam non ſumus. Neque igitur ad viuentes, neque ad mortuos pertinet. Nam his qui ſunt illa non eſt, quibus verò adeſt, iam illi non ſunt. Atqui plurimi mortem aliquando, vt malorum maximum, aliquando verò vt requiem eorum quæ in vita ſunt triſtium, cupiunt. Neque igitur ne non viuat metuit, nec enim illi viuendi amor imperat, neque opinatur mali aliquid eſſe, non viuere. Quemadmodum verò cibus, non qui plurimus, ſed qui ſuauiſsimus eſt, eligitur, ita & tempus non longiſsimum, ſed ſuauiſsimum carpitur. Porrò qui iuuenem bene viuere, ſenem bene ex vita diſcedere admonet, fatuus eſt, non modò ob amorem vitæ, ac ſtudium, verùm quòd eadem ſit meditatio bene viuendi, ac bene

mor

moriendi. Longè autem deterius qui dicit, bonum quidem non natum esse.

φῦντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι. Theognidis.

hoc est,

Aut vbi natus eris mox Orci limē adire.

Nam si quòd ita crederet hoc dixit, quomodo non discedebat ex vita? Id quippe illi in promptu erat, siquidem hæc illi fuisset rata sententia. Sin * autem inuehens * μωκώμενος. dum in his quæ ratione carent versatur. Memoria verò tenendum quod futurum est, neque nostrum sit, neque omnino non nostrum, vt ne tanquam futurum prorsus expectemus, neque item quasi non futurum desperemus. Reputandum prætere concupiscentias, alias quidem necessarias, alias verò tantum esse naturales. Necessariæ verò quæ sunt, partim ad felicitatem, partim ad corporis tranquillitatem, partim ad vitam ipsam esse necessarias. Horum quippe sine errore speculatio est, vt nouerim quid eligendum, quid'ue fugiendum sit ad bonam corporis tuendam valetudinem, corporísque quietem. Hic enim finis est bene beatéque viuendi. Huius enim gratia omnia agimus, vt neque doleamus, neque perturbemur. Vbi verò semel id penitus consecuti erimus, sol-

uitur omnis tempestas animi, cùm non possit animal tendere quasi ad minus aliquid, & aliud, quærere quo animi corporísque consumetur bonum. Tunc voluptate nobis opus est, cùm illam non adesse dolemus, non etiam voluptate indigemus. Quocirca voluptatem finem dicimus, ac principium beatæ vitæ. Hanc enim primum bonum atque ingenitum nouimus, atque ab hac electionem omnem ac deuitationem inchoamus atque huic occurrimus, perturbatione tanquàm norma bonum quoduis discernentes. Quoniam verò primum istud insitum bonum est, idcirco non omnem voluptatem eligimus, verùm sæpe plerasque transgredimur, quando ex his maior molestia sequitur, dolorésq; nonnullos voluptatibus præstare arbitramur, ex diutina toleratione dolorum maior nos voluptas sequitur. Omnis itaq; voluptas eò quòd naturam propriã habet, bonum est, non tamen eligenda omnis: sicut & dolor malum est, nõ tamen semper quiuis repudiandus est dolor. Cõmensione itaq; & vtilium inutiliumq; respectu hæc omnia iudicare cõuenit. Vtimur enim bono interdum vt malo; contrà & malo tanquàm bono. Frugalitatem preterea magnũ exist-

existimamus bonum, non vt semper vtamur modicis, verùm vt nisi multa habeamus vtamur paucis, credentes verissimè illos magnificentia frui suauissimè qui illa minimum indigent, quodq; naturale sit, id omne esse parabile, noua verò difficilè parari posse, dapes item simplices æquã magnifico luxui adferre voluptatem, quando omne quod dolet per inediam sublatũ sit. Panis ergo cibarius, & aqua summam voluptatem afferunt, cùm egens quis illa in cibũ sumit. Itaq; simplicibus & non magnificè paratis cibis assuescere, & salubritatis est, & hominẽ ad vitæ vsus necessarios impigrum reddit, ac splendidis si per interualla sumantur, nos commodius aptat, atq; aduersus fortunam interritos facit. Cùm itaque dicamus voluptatem finem esse, nõ luxuriosorum & nepotum voluptates, eásque quæ in gustu & ingluuie sunt positæ, vt quidam ignorantes, aut à nostra sententia dissentientes, aut malè accipientes arbitrantur, sed non dolere corpore, animóque tranquillum esse, & perturbatione vacare dicimus. Non enim conuiuia & comessationes, non puerorum mulierúmque congressus, non piscium vsus, & cæterorum quæ affert pretiosior mẽsa suauem

gignit vitam, verùm ratio ſobria cauſasq; perſcrutans, cur quæque vel eligenda, vel fugienda ſunt, opinionéſque expellens, per quas animos vt plurimum occupat tumultus. Horum omnium initium maximúmque bonum prudentia eſt. Quocirca philoſophiam quoque prudentia antecellit, ex qua reliquæ virtutes omnes oriuntur, docentes quòd non iucundè viuere poſsit quiſquam, niſi prudenter, honeſtè, iuſtéque viuatur: virtutes enim ſuaui & iucundæ vitæ coniunctæ ſunt, iucundáque vita ſeparari à virtutibus nequit. Nam quem eo arbitraris præſtantiorem eſſe, qui & piè de diis opinatur, mortémque interritus ſuſtinet, finémque naturæ rectæ æſtimat, finémque bonorum vt facilis ad implēdum parabiliſque ſit comprehendit. Malorum verò finem, vt aut tempus aut dolorem habeat, dominámque non diu moleſtata futuram, vt à pleriſq; inducitur, nuntiat, partim, à fortuna, partim à nobis, quòd neceſsitas obnoxia nulli ſit, inſtabiliſque fortuna. Quod à nobis eſt dominatu caret, quòd quærimonia & contrarietas ſolet e veſtigio ſubſequi. Præſtat enim fabulam quæ de diis traditur ſequi, quàm naturalium ſeruire fato. Illa enim ſpeciem

ciem excuſationis obtēdit honorem deorum, hoc ineuitabilem neceſsitatem habet. Fortunam verò neque deam, in vulgò ſuſpicantur, putat. Nihil enim Deus agit temere, neque inſtabile, cauſam nempe arbitratur bonum ſiue malum ex hac ad beatè viuendum hominibus dari, principia tamen magnorum bonorum aut malorum ab iſta ſuppeditari, præſtat enim rationabiliter eſſe infelicem, quàm abſque ratione felicem. Melius eſt enim in actibus quod bene iudicatum eſt per eam digeri. Hæc igitur atque his ſimilia, tecum ſi die noctuq; meditere, fiet vt nunquam ſeu vigiles, ſeu dormias, perturbatione vlla tenearis, verùm vt deus inter homines viues. Nihil enim habet commune cum mortali animanti, animal homo, immortalibus bonis exercitatus. Diuinationem autem omnem ab aliis tollit, ſicuti & in parua epitome, dicens eam non ſubſiſtere: & ſi, inquit, ſubſtantialis ſit, nihil ad nos exiſtimes pertinere quæ fiunt. Hæc & eiuſmodi de his quæ vitam informant: pluraq; his aliis etiã in locis diſſerit. Diſſentit autē à Cyrenaicis de voluptate. Illi enim nō eam quæ in ſtatu eſt, ſed eam ſolùm quæ in motu ſit admittunt. Hic au-

tem vtranque animi videlicet corporísque complectitur, vt in libro de electionibus & fuga ait,& in libro de fine, & in primo de vitis,& in epistola ad Mitylenenses amicos, similiter & Diogenes in decimosexto electorum,& Metrodorus in Timocrate, ita asserunt intelligi voluptatem, & quæ in motu sit, & in statu. Et Epicurus in libro de hæresibus ita dicit: Nanque perturbationis dolorísque vacatio constantes sunt voluptates. Gaudium verò ac lætitia actio secundum motum videntur. Item aduersus Cyrenaicos. Illi enim corporis dolores deteriores arbitrantur doloribus animi. Corpore enim peccantes cruciari, hic autem animi dolores. Carnem enim præsenti tantummodo dolore affici, animum verò & præterito, & præsenti & futuro. Ea ergo ratione maiores quoque animi, quàm corporis esse voluptates. Demonstratione verò vtitur, quòd sit voluptas finis, quòd animalia simulatq; nata sunt, ista quidem deliniri, offendi contrà dolore naturaliter absque rationis adminiculo cernimus. Nostra ergo sponte dolorem fugimus, sicuti & Hercules quidem ipse, qui dum amissa sibi tunica consumeretur, clamat mordens atque eiulans.

Ἀμφὶ

Ἀμφὶ δ' ἔςενον πέτραι,
Λοκρῶν τ' ὄρειοι πρῶνες, Εὐβοίασι τ' ἄκραι.
hoc eſt,
At circumgemunt petræ,
Locrorũ,& alta Eubϙæ promontoria.

Voluptatis verò cauſa virtutes quoq; eligi, non propter ſe, ſicuti & medicinã propter ſanitatem, vt ait & Diogenes in vigeſimo electorũ. At verò Epicurus inſeparabilem quoq; dixit eſſe à voluptate virtutem ſolam, cætera verò ſeparari, nempe vt mortalia. Agedum igitur nunc Colophonem addamus, vt ita dixerim, & ſcriptorum omnium, & vitæ philoſophi, ratas ipſius opiniones adiicientes, hiſq; omne hoc opus noſtrũ concludentes, fine illo vtentes, qui felicitatis ac beatitudinis initium ſit. Quod beatum atque immortale eſt, neque ipſum negotia habet, neq; alij præbet, quo fit, vt neque ira, neque gratia tãgatur. Nam huiuſmodi omnia infirmitatis ſunt. In aliis verò ait, deos ratione conſpici, alios quidem numero ſubſiſtentes, alios verò ſecundum ſpeciei ſimilitudinem, ex perpetuo ſimilium imaginum fluxu quæ in ſeſe perfectè ſint humana ſpecie. Mors nihil ad nos. Quod enim diſſoluitur, ſenſu priuatur: quod autẽ ſenſu

caret, nihil ad nos. Terminus magnitudinis voluptatum, rei quæ cuiq; doleat sublatio eſt. Vbicunque verò fuerit id quod delectat, quandiu ibi eſt, nihil eſt quod doleat, aut afficiat mœrore, aut vtrunq; ſimul. Non moratur diutius in carne quod dolet, ſed ſummus dolor minimũ durat. Quod autem nimium ſolum delectat ſecundum carnem, non multos dies durare contingit. At diuturni morbi plus habent in carne quòd oblectent, quàm quòd doleant. Non poteſt iucundè viui, niſi prudenter, ac honeſtè, ac iuſtè viuatur, neque prudenter, honeſtè ac iuſtè, niſi iucundè, cui autem hoc non contigit, is non viuit prudenter atque honeſtè, & cui iuſtè non euenit, non poteſt hic iucunde viuere, eò quòd confidat hominibus, aut ſecundum naturam principatus, & regni bonum ex quibuſcunque potuerit hoc parari. Glorioſi atque conſpicui quidam eſſe cupierunt, ita ſe vt ab hominibus tuti ſint adepturos exiſtimantes. Itaque ſi quidem tuta ſit talium vita, naturæ bonum receperunt, ſin minus, nihil habent, cuius gratia principio cõtra naturæ proprietatem appetierunt. Nulla per ſeſe voluptas malum eſt, ſed cauſæ quarundam voluptatũ multiplic

tiplices ingerūt voluptatum perturbationes. Si cumularetur voluptas omnis, & tempore, & ambitu, congregatio fieret, aut maximè principales naturæ partes. Nequaquam à seinuicem differrent voluptates, si efficientia voluptatum luxuriosorum metus animi soluerent, metus inquam, & de cœlestibus, & de morte, & de doloribus: præterea si voluptatū doceret finem, nihil haberemus quo eos culpare possemus, vndique voluptatibus hauriendis instantes, nulláque ex parte neq; quod doleret, neque quod vrgeret habentes. Quod profectò malum foret si nihil nos cœlestium suspiciones perturbarent, neque mortis opinio si nihil nos moueret, aut aliud quippiam. Quod si adhuc non dubitem scrutari dolorum ac voluptatum fines, non indigeremus physiologia nec liceret de his quæ maximè rata sunt metuentem soluere, nisi planè nouisset quæ sit totius natura, sed fabulosum aliquid suspicaretur. Non itaque liceret absque physiologia accipere synceras voluptates, neq; prodesse aliquid humanam sibi parare securitatem, cùm & superna, & quæ sub terra sunt suspecta essent, ac simpliciter quæ sunt in infinito, cùm humana se-

curitas fuerit vſque ad àliquid, virtúſque innexa; & puriſsima fœcunditas ſit, quæ ex quiete & multis cedendo ſecuritas prouenit. Naturæ opes diffinitæ, & parabiles ſunt. Porrò inanium opinionum diuitiæ in infinitum excidunt. Breuis ſapienti fortuna ſubincidit. Quæ verò ſunt maxima, & in primis rata diſpoſuit ratio, & perpetuo vitæ tempore diſponit atq; diſponet. Iuſtus à perturbatione remotiſsimus, iniuſtus verò perturbatione plenus eſt. Non creſcit in carne voluptas, cùm ſemel quod per indigentiam dolebat, ablatum eſt, ſed ſolùm variatur. Porrò * mentis finis, finē qui ſecundum voluptatem eſt genuit, horumq; ipſorum, & eorum quæ his affinia ſunt, electio maximos quoſq; metus animo parat, infinitum tempus ac finitum æquam habet voluptatem, ſi quis voluptatis ipſius fines ratione metiatur. Nam caro voluptatis fines accepit infinitos, infinitumq; ipſam efficit tempus. Porrò mens carnis finem ac terminum ratione pertractans, æterníſque exuta timoribus, vitam omni ex parte conſummatam fecit. Nihílque iam infinito tempore opus habuimus, ſed neque voluptatem quidem effugit; ne tum quidem, cùm exitum ex vita

* διανοίας.

moleſt

moleſtiæ atq; anxietates compellũt, quaſi aliquid beatæ vitæ deſiderat in qua vitæ terminos noſcens, non ignorat quàm ſit parabile id quod indigentiæ dolorẽ tollat, omnemq́; vitam conſtituat. Itaque nihil negotiis opus eſt quæ certamina habent, ſubſiſtentem verò finem verſare animo oportet, omnémque euidentiam ad quam ea quæ opinamur referamus. Alioquin omnia rationẽ iudicij deſiderabunt, tumultúque plena erunt, ſi ſenſibus omnibus repugnabis, non habebis, neq; quoſuis ex iis quos mentiri dixeris, quo pacto iudices, aut ad quid te referas, ſi quẽ ſimpliciter eiicias ſenſum, neque diuidas in id quod opinaris, iuxta id quod acceſsit, quod iam per ſenſum præſens eſt. Affectus inſuper, & omnẽ imaginalem mentis intuitum cõfundens, ac ſenſus reliquos opinione inani; vt qui iudicium eiicias omne. Porrò ſi & quod expectatur omne inopinabilibus notionibus firmes, ídque quod atteſtationem non admittit, vt quod falſum ſi non dimiſeris, eris quaſi omne certamen obſeruans, omnéque iudicium rectum ſiue non rectum, niſi per omne tempus quæ geruntur ſingula ad naturæ referas finem. Verùm antea euertes ſiue

fugam

fugam, siue insectationē in aliud aliquid faciens, non erunt verbis consentaneæ tibi actiones voluptatum, quæcunq; ad dolorem non inducunt, nisi impletæ nō sunt necessariæ: sed appetitum habent minus lætum, quoties paratu difficiles autoresq; detrimenti esse constiterit, quas in totius vitæ beatitudinem sapientia parat. Longè maxima res est amicitiæ acquisitio, eadem sententia confidentiam parit, quòd nihil sit æternum neque diurnum, ac ne grauius quidem quicquam ac molestius, & ea quam in ipsis definitis est amicitiæ seruitus consummata maximè confert. Voluptatum aliæ naturales aliæ necessariæ sunt, aliæ naturales, & non necessariæ, aliæ verò neque naturales neque necessariæ sunt, sed circa inanem opinionem versantur. Naturales, & necessarias existimat Epicurus eas quæ dolores sedant, vt est in siti potus. Naturales verò non necessarias, quæ voluptates solum variant, non autem dolorem tollunt, vt sunt pretiosi cibi. Neque naturales autem neque necessarias putat eas, quemadmodum coronæ, & statuarum ornamenta. Naturalium voluptatum quę dolorem non inferant nisi consummatæ fuerint, sit vehemens

mens ſtudium circa naturam, nouam non diffundit, ſed circa inanem opinionem, neq; circa ſuam opinionem hominis naturæ vtilitatis eſt ſignum, vt neque inuicem lædant neq; lædantur. Quæ animantes eo fœdere iungi non poſſunt, vt neq; lædant mutuò neque lædantur, in his ius nullum aut iniuria eſt. Eadem eſt in gentibus ratio, quæ aut nolunt aut nequeunt, ita fœderari, vt neque lædant mutuo neque lædantur. Iuſtitia enim nihil per ſe eſſet, verùm in contractibus mutuis quibuſlibet locis id fœdus nititur vt non lædamus neque lædamur. Iniuria per ſe malum non eſt, verùm in ſuſpicionis metu id malum ſitum eſt, ſi me lateat quod huiuſmodi ſunt iniuſtitiæ vindices. Non credat is qui clàm aliquid facit cõtra id quod inter ſe conſtituerunt homines ne lædantur, aut laudant ſe latere poſſe, & ſi millies etiam tum lateat, ad finem vitę tamen incertum eſt an latere poſsit. Communiter quidem omnibus ius idem eſt. Vtilitatis enim aliquid confert in mutuá ſocietate, priuatim verò agri, & quarumcunque rerum non omnibus idem conſequitur ius eſſe. Aliud quidem omnium teſtimonio firmatum, quod expediat in vſu

mutuæ ſocietatis eorum quæ iuxta putantur eſſe,ius dicitur, ſiue idem ſit omnibus ſiue non idem.Porrò ſi ponat tātum quiſpiam,non autem proueniat commoditas mutuæ ſocietatis, non iam hoc iuris naturam habet etiam ſi intercidat cōmodum iuris, nonnūquam autem ad anticipationem congruit. Nihilominus id temporis iuſtum erat, his qui inanibus vocibus ſemet confundunt, ſed res plurimas cernūt: vbi cùm variæ fuerint circunſtātes res non congruentes, ad anticipationem viſa ſunt quæ putabantur iuſta in ipſis rebus, ea iuſta non erant.Vbi verò vaneſcentibus circunſtantibus rebus viſa ſunt non cōgruere, ad anticipationē quæ exiſtimata ſunt iuſta.Vbi verò vaneſcentibus rebus iam non vtilia erant ea clàm poſita iura. Hic autem iuſta quidem fuere, quando erant vtilia ſocietati mutuò ſimul conuerſantium, poſtea verò non ita fuerunt iuſta, quando neque vtilia erant. Quibus rebus externis minimè confidere præclarè conſtituit. Hic ea quidem quæ ſunt poſsibilia & familiaria efficit, quæ verò huiuſmodi non ſunt,non aliena ſanè neque eiuſdem cognationis,atque vbi in illis non poterat ſe ſtuduit nō immiſcere, excluſitq; omnia

quæ agere non conducebat. Atqui omnes qui eo profecerant vt se ex eis maximè confidendum pararent quæ sunt propinqua & finitima, hi etiam inter se vixere suauissimam vitam, firmissimam habentes fidem ac probationem, certissimamq; propinquitatem adsumentes, lamentis prosequuti non sunt defuncti celeriorem obitum.

FINIS.

RERVM AC NOMINVM PROPRIORVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR. INDEX.

*

A

Crates

Princ

Theop

FINIS.

